

COGNOSCE OCCASIONEM
JOHN CAMP
WILLIAMS



ΙΑΤΡΙΚΗ
ΠΕΡΙ·ΤΗΝ
ΤΥΧΗΝ
ALFRED.M.HELLMAN

MEDICINALIVM EPISTOLARVM MISCELLANEA, VARIA AC RARA CVM

eruditione, tum rerum ſcitu digniſsimarum explicatione referta: ut earum lectio non ſolùm Medicinæ, ſed omnis etiam Naturalis historię ſtudioſis plurimum ſit emolumenti allatura.

Quarum Elenchum & Argumenta, uerſa altera pagina reperies.

D. IOANNE LANGIO LEMbergio, Illuſtriſs. Principum Palatinorum Rheni, &c. Medico, autore.

Cum gratia & priuilegio ad quinquennium.

BASILEAE, PER IOannem Oporinum.

IOAN. LANGIVS LECTORI AMICO SALVTEM.

ORNAT magnifico thesauri nomine libros,
Quo pluris uendat bibliopola suos.
Est liber, Hesperidum qui spondet mala sororum,
Quæq; ferat cornu Copia diues opū.
Est qui Pactoli fuluas promittit arenas,
Aurea Colchorum uellera spondet ouis.
Hæc si cuncta darent ægrotis munera uates,
Addat & immensas Crœsus auarus opes:
Si tua Tantalea cruciat præcordia pœna
Hydrops, aut febris maceret illa siti:
Non'ne tui Medico reserares scrinia ditis,
Qui te Plutonis faucibus eriperet?
Iro pauperior malles tu degere uitam,
Quàm gelida diues morte perire miser?
Iste liber nullo tituli splendore decorus,
En pro diuitijs dogma salubre dabit.
Quo pacto incolumem poßis traducere uitam,
Sospes Nestoreos & superare dies.
Artis Apollineæ cunctis notha dogmata pandit,
Et quónam Medicus gaudet apella dolo.
Et qua chirurgus curare tyrannide morbos
Ignotos audet, dißitaq; ossa locat:
Sicut edax Tityj discerpit uiscera uultur,

Clysmate sic linguam uellicat ἐν συνόχοις.
Si articuli uulnus phlegmon obsederit ardens,
Ne putreant nerui, pharmaca nullus habet.
Sunt ueteratores Medici, sycophantæ & agyrtæ,
Qui phaleris populum fallere nempe student.
Ista Philargyriæ possedit pectora dæmon,
Quæ nugis cogit turpe parare lucrum.
Horum lethiferas quæris discernere fraudes?
Iudicio prudens, hæc paradoxa legas.

EPISTOLARVM QVAE HOC
Opere continentur, Elenchus & Argumenta.

FINIS.

IN MEDICINALIVM EPISTOLARVM Miſcellanea D. IOANNIS LANGII Lembergij Præfatio.

LANGIVS CANDIDO LECTOri ſuam ſcribendi epiſtolas Medicinales occaſionem recenſet.

ELAPSIS iam plus minus triginta, candide Lector, annis, quum relictis cultioribus Encyclopediæ Muſis, quas tum Lipſię profitebar, animum ad paulo ſeuerius Medicinæ ſtudiũ appuliſſem, & ne (quod Seneca inertis eſſe ingenij teſtatur) relictis fontibus riuulos ſectari uiderer, dũ diuini Hippocratis, ac fidi eius interpretis Galeni, opera diurna nocturnaq; lucubratione perluſtrare, reperi Galenũ à ſuis de ſalubri uictus ratione præceptis, Germanos, his ſeueris uerbis, ne dicam conuicijs, excludere: Apud Germanos, inquit, ne nutriri quidem infantes contenderim, qui nuper editos infantulos, etiã ab utero adhuc calentes, in flumen egelidum deferunt. uerùm, inquit, nos neque Germanis, neque alijs agreſtibus aut barbaris hominibus, hæc prodimus: nõ magis equidem quàm urſis, apris, leonibus, aut alijs id genus brutis: ſed Græcis, & ijs qui tametſi genere ſint barbari, Græcorum tamen æmulantur ſtudia.

Cur Galenus Medicinã Germanis non ſcripſit, lib. 1. de ſalubrib.

Cæterum quum Germanos uirilis animi fortitudine, ac corporis robore Græcis uel præſtare, uel ſaltem non impares eſſe, ingenijq; præclaris dotibus ad bonas capeſſendas literas nullis nationibus eſſe ſecundos, probè

 ſcirem:

Agrestis infantulorum Germaniæ educatio. *Strabo in Geograph.*

scirem: arbitrabar Galenum his uerbis saltem barbarum in educandis infantulis Germanorum morem incessere, quos Strabo & diuus Gregorius Nazianzenus tradũt, exploraturos an fœtus legitimo thoro conceptus sit, infantem fascijs cõstrictum, in Rheni fluentis alueum præcipitare: qui si pessum iuerit, pro notho ac spurio repudiatur: si uerò sospes emerserit, pro legitimo educatur. Vnde Nicobolus ad patrem ita scribit:

In Epigrãmat. Greg. Nazianzeni.

— εἰ δὲ κακοῖσι
τέρποίμην, παίδων με τεῶν ἄπο τηλόθι ῥῖψον,
ὡς νόθον, εὐγενέος ῥήνου κριθέντα ῥεέθροις

Id est: —*Si uerò malis*
Delecter, è liberis me tuis procul abijce,
Velut spurium, nobilis Rheni probatum fluentis.

Temerariũ Medicorũ ex urina uaticinium.

At postquam ex Bononia, sacro tum bonarũ artium, tum medicinæ ac iurisprudentiæ Musæo, in Germaniam redieram, comperi quosdam Medicos, mira artis ostentatione elatos, ex solius putridi lotij inspectione, uelut uatidicas ex crystallo anus, de substantia & interna morbi causa temere pronunciare ausos: ac de ęgrotantis salute uel exitio, tanquam ex Delphica Apollinis tripode, uaticinari, ne dicam perfricta fronte nugari. in discernendis uerò morborum causis, ac ex horum indicationibus, in recta curationis methodo instituenda, quam Hippocrates & Galenus docuerunt, adeò cæcutire & aberrare, ut Galenum illis non sua medendi præcepta scripsisse, nec ea hos logiatros uel saltem per transennam uidisse, rectè iurares.

Chirurgicorum imperitia & crudelitas. *De glossocomio Hippocrat. lib. 2. de Fracturis.*

Comperi quoque de Medicorum sorte, aliud crudele Chirurgicorum uulgus, omniũ literarum ignarum, ac prorsus ἀναλφάβητον, qui nec ullis instrumentis luxata membra instaurare norunt: quæ si forsan quouis uiolento impulsu, uel carnificis industria, fortè fortuna instaurauerint, tum uideas, quanta tyrannide, & contra omnem ueterum methodum, etiã sine glossocomio (quod nec unquam uiderũt) membra reducta quotidie

adeò

adeò contorquere atque diuellere pergant, ut non rarò rursus de suò acetabulo excidant. Certè hac ratione eos nõ luxata, sed intolerabilem dolorem instaurare, rectius affirmares. Quid multis? Certè id quod de adulatoribus quidam dixit, in eos rectè detorqueri potest: Prestare incidere coruos, quàm huius farinæ Chirurgis uitam, uel corpus committere. Atqui quum ignorantia nihil sit audacius, longè atrocius illorũ uideas facinus, qui cum linguam ægrotantis febrili causonis ardore arescentem & fuscam cõspexerint, quem morbum ob linguæ fuscedinem, in qua morbi causam subsistere arbitrantur, **die breün** appellant: hic neglecta febris ægrũ interempturę cura, tędet & pudet me referre, quàm malè olẽtibus medicamentis scabriciem linguæ detergere ac humectare singulis horis, non extincta febre, frustra satagunt: hic stercoris equini diluto, alter è contusis cancris cremore, linguã eluit: & panno rubro, & aspero quidem, nõ tam defecat quàm excorticat. Mehercle, si Poëtis credere fas est, uultures apud inferos Tytij amatoris iecur nõ ita diuellunt, ut isti balatrones linguam febricitantium cõtinuo affrictu lancinant, & emacerãt. At, bone Deus, si stulta illorũ in phlegmonis erysipelatodis, uel in ipsius erysipelatis puri curatione consilia, seuerus ille morum censor Cato, aut Crassus ille ἀγέλαστος (qui semel tantũ in uita, dum spinosos duris labris asinũ edentẽ carduos uidisset, risisse fertur) audirent, certè à risu sibi temperare non possent, etiamsi labra mordicùs apprehenderent. Nam si alicui macula uel exanthema rubeum eruperit, etiã citra febrem, quæ cum erysipelate & bubone sæpe coincidere solet, quod ipsi à colore **rothlauff** indigitant: confestim ægro in perpetuum humectationi, lauacris, capitis'que lotioni interdicunt. Vnde crebrò habebis quosdã proceres impexis capillis obuios, qui in uiginti annis caput non abluerint: & ægros ita sordidos, qui in tota uniuersali ægritudinis periodo nec

Nam corui solum mortuos lancinãt, sed Chirurgici uiuos.

Exitialis Chirurgicorum in causonis cura error.

Der Empiricorum breün.

Empiricorum in cura erysipelatis, id est, rothlauffs, amentia.

Chirurgicorũ in curandis articulorũ cũ phlegmone uulneribus temeritas.

Der vngelertẽ wundartzeten falsch glidwasser.

Der schewer puluerleschungh.

Chirurgicorũ in curanda cranei fractura, ignorantia.

manus lauerint, nec recens lota, quantumuis sicca, linteamina sibi substrauerint. At si quis in cubiti gibbero, uel genu, aut quouis alio neruoso corporis articulo, cæsim uel punctim sauciatus fuerit, & tandem ob doloris acuitatem phlegmon uulnus, ex humorum affluxu, obsederit, læsusq́ febre ita æstuet, ut calor naturalis uigorq́ membri humorum alluuium concoquere nõ possint: quũ ex uulnere pro uera sanie alba & lactea, aquosum ἰχῶρα sero lactis simillimum emanare uiderint, mox exclamant, esse genuini ex articulo humoris effluuium, quem glidwasser appellãt: quũ in omnibus totius corporeæ molis articulis non tantum subsit humoris, quantum uno die & nocte ex tali uulnere apostemoso effluit. At hic non curata prius (quod recta Methodus exigit) uulneris phlegmone, nec habita febris ratione ulla, insignem uideas illorum in sistẽdo ichoris profluuio amentiam. hic, unguentum de baccis populi nigræ, in sartagine feruefactum, uulneri infundit: ille exemptis de equorum ephippio capreolarum pilis, ulceris osculum obstruit, quo fit ut humor ille crudus subter cutem totum membrum perreptet, neruosq́ putrefaciat, & musculorum thoros exedat. Non dissimili dementia in pulueris ex halinitropyrij extinctione desipiunt, quo sphærulas ex ære cyprio uel ferro cõflatas machinis pyrobolis in hostes eiaculamus: quorũ nulla ratione efficta remedia, in Epistolis nostris satis superq́ confutauimus.

At illorum execrabilis in curanda occulta cranei fractura error, est isto longè periculosior: quod, si cute illæsa, ictu lapidis, uel teli obtusi, aut ex alto & præcipiti loco casu, ita disruptum aut fissum fuerit, ut per cranei rimulas ichor sanguinis super cerebri panniculos destillauerit, nisi cute ad X characteris effigiem dissecta, craneũ trepano ἀβαπτίστῳ perforaueris, ut influxi humoris uapores exhalare, ac noxia suppurationis recremẽta cerebrũ eructare posit: certè necesse est, prohibita trãspiratione,

humores

humores intra craneum computrescere, & ægrum conuulsione aut sphacelo perire. Hæc quidem, quum sint omnium bonarum artium ignari, & hirundinibus indociliores, doceri non possint: necesse est inexpiabili horum inscitia, præcipuè in bellis, multa hominũ milia perire quotannis. Proinde, candide Lector, sanctè deierare ausim, non raro, quum inter milites causon uel dysenteria grassatur, ut nuper bis in Vngaria accidit, aut si febris aliqua Epidemialis, qualis sudor ille Anglicus, incrudescit, plures Empiricorũ temeritate, quàm morbo, aut hostis gladio interimi. Tuam, Lector, obtestor fidem, dic quæso, quot hominum milia credis illum sceleratum chirurgicum occidisse, sua nephanda curãdæ febris illius sudorulentæ Methodo, quam in morbi ignoti principio, temerario ausu, inuulgauerat? Numerus omnem fidem superat. urbs Parisiorum populosissima non tot alit incolas. Quis non ab imo pectore ingemisceret, Medicinam, tam sacrosanctum Dei donum, auaricia & ignorantia pseudomedicorum in hominum perniciem conuerti: salutare summi Dei donum anus uatidicas, sycophantas quoq;, & agyrtas, suis imposturis, arte Magica & idololatriæ superstitionibus ac incantamẽtis, ita prophanare & cõspurcare, ut nulla sit artiũ, quæ tot impijs scateat superstitionibus. Quis pius bonusq; æquo feret animo? Certè nullus: nisi præfecti aut magistratus δωροφάγοι, qui accepta turpi pecuniola, hæc Medicinæ monstra, & Iudæos perfidos, in perniciem subditorum alunt, fouent, & tuentur: quibus solis fas est, subditorum marsupia fœnore exhaurire: & corpora Christianorum per medicamenta inexperta, uita, uel sanitate saltem spoliare: & sollicitos ægrorum animos, eorum incantamentis & sceleratis superstitionibus, à ueri Dei cultu, qui omnium sanat languores, ad idololatriam, perfida recuperandæ sanitatis spe, deflectere. Misertus itaq; ægrorum, quos è tonstrina Chirurgici cauticis eorum medi-

Quid sit cerebri sphacelus. Hipp. li. 7. Aphor. 50.

Multa milia hominum, Empiricorum temeritate quotannis perire.

Empiricorum temeritas plures in sudore Anglico, quàm morbus interemit.

Syncera Medicina, Magia, superstitione & idololatria defœdata.

Magistratus δωροφάγος, id est, munerum deuorator.

 camentis,

camentis, & crudeli luxata instaurandi carnificina adeò efflictim emacerant, ut subiecti quæstionibus carnificis torturam leuius ferrent: quos deniq; indocti & barbari ex pagis & monachorum cœnobijs, ac Iudæorum synagoga, pseudomedici, sua imperitia & ignotis medicamentorum uiribus, ita impunè conniuente magistratu, perimunt, ut hos quispiam in Germania funesto & lugubri infinitorum mortalium fato libitinam exercere rectè dixerit: ut igitur miseros hos ægros ab illorum carnificina & fraudulentis imposturis asserere possem, quamuis negotiorum cumulo penè obrutus, & erumnosis ægrorũ curis multifariam districtus has quas uides Medicinales epistolas obiter cõscripsi, in quibus quosdam his triobolaribus Medicis, quorũ tota ars ex urinę indicio dependet, ignotos morbos, rectamq; curãdi methodum declarare statui: & perniciosas ueteratorum in medendo fraudes, quibus loculos decumbentium exhauriunt, mortemq; ægrotantiũ intempestiuam accelerant, detegere: & nihil illorum obtrectationes, conuicia, aut calumnias ueritus, me illorum inuidiæ libenter exponere, quæ mihi uirtutis studijq; calcar erit. Verùm confido, ad tam pios & reipublicæ utiles ac necessarios conatus, operam fauorem & studium Medicorũ, qui candidè & syncerè docti sunt, non defuturum: qui singulari eorũ, & satis dudũ spectata eruditione, qua medicinam barbarorum & sophistarum nugis conspurcatam, plurimùm illustrarunt, etiam hanc meã operam non promouere modò, sed enixè adiuuare poterunt. Vale.

Pseudomedici, monachi, & parrochiani, medendo libitinã exercẽt et promouent.

Inuidia, studij & uirtutis calcar & incitabulum.

Auctoris in doctos Medicos confidentia.

Ioannes Langius Lembergius ex Schlesia Medicus.

IN

IN PSEVDOMEDICOS, QVI *suis imposturis Medicinam defœdant:* *Epistola prima.*

NVDIVSTERTIVS ad cœnã mihi in horto tuo condictam libens accesi, in qua cum non modò animi conuiuarum omnifaria florum, herbarum & fructuum amœnitate, Musicesq; harmonia refocillarentur, sed & corporis uires lauto fercularũ apparatu reficerentur, ac dum secundæ mensæ bellaria afferrentur: tum Aristarchus, conuiuiorum commoda dicturus, Nõ temerè (inquit) Homerus, meus ille amasius, toties conuiuia in Troiano bello inter Heroas celebrata commemorat: & Lycurgus, ut Laconum iuuentus in publico sobriè conuiuaretur, edixit. Est sanè conuiuiũ cõmilitonum homelia, alacritatis animi pabulum, amicitiæ philtrum, & beneuolentiæ parens. Ob idq; Brachmanas Indorum philosophos, antequam cubitum concederẽt, ex phiala Tantali, quæ ex eius statua iugi liquoris scaturigine referta semper fuit, instaurandæ amicitiæ gratia bibisse fertur. Itaque ut uno uerbo (inquit Aristarchus) dicam, conuiuium sobriè institutũ, præsens animi corporisq; esse pharmacũ testabor. Quánã igitur quæso medela, affectus animi edaces, morbis corporis grauiores, melius quàm φιλοτησίας poculis curabis? proinde ait Zeno philosophus, ut lupini amari crebra aquarum aspergine macerati, dulcescunt: sic animus uino irrigatus mitescit. & Galenus, λύπας ἀπαισίας καὶ δυσθυμίας κουφίζει οἶνος πινόμενος: Tristitiam & mœrorem uinum sobriè bibitum alleuiat omnem. Præterea ut ellychniũ lampadis olei fomento conseruatur: sic genuinus humani corporis calor, humiditas, & uires, quæ continua & occulta corporis exhalatione fathiscunt, salubri potus & cibi

Philostrat. libro 3. & Hieronym. contra Iouinian.

Galenus in lib. Animã corporis sequi temperaturã.

cibi pabulo conseruantur: quibus uel maxime inculpata corporis sanitas constat, qua nihil præstantius excogitari potest, quam nec cum omnibus Crœsi diuitijs, uel auriferi Tagi arenis commutare possis. Cuius pæana & laudem Amphion Sicyonius poëta his uersibus scite decantauit,

Sanitatis encomiũ.

Athen. lib. ult. Dipnosoph.

Μετὰ σεῖο μάκαιρα ὑγεία τέθηλε πάντα,
καὶ λάμπει χαρίτων ἔαρ, σέθεν δὲ χωρὶς
οὔτις εὐδαίμων —— Id est:
O beata sanitas, te præsente amœnum
Gratijs uer floret, absq; te nemo beatus.

In confesso igitur est, sanitatem salubri conuiuiorum diæta conseruari, & Medicorum pharmacijs defectã instaurari. Ob id Erophilus: φάρμακα, inquit, ἐὰν τὸν χρώμενον ὀρθῶς συνετὸν ἔχῃ, οἷον παρὰ θεῶν χεῖρες εἰσί. Id est: Pharmaca, si quis illis utens recte prudens contigerit, auxiliares sunt deorum manus. Quare ô coepulones perchari, inquit Aristarchus, ut tantis, tamq; præclaris conuiuiorum donis recte frueremini, nunquam à conuiuijs uestris deberet abesse Medicus, qui salubrem uictus rationem, & obsoniorũ uires uobis præscriberet: quo munere, suo more, Langius in hoc cõuiuio preclare defunctus est. Tandem ego: O Aristarche, respondi, non me, nec alios Medicinę peritos huius uel officij uel labo ris tederet, si non uulgus, pseudomedicorum imposturis perculsus, à consilijs Medicorum ita absterreretur, ut nõ prius, quàm iam animam efflaturus, cum morte confli-

Pharmaca deorũ manus. Galen. libro 6. de Cõp. phar. κατὰ τόπους.

Scita pseudomedicorũ cum tragœdiarum personis cõparatio. Hippoc. in Lege sua.

ctetur, medicos consulat. Istos sane personatis tragœdiarum histrionibus simillimos Hippocrates recte asseruit. Nam ut illi habitu, gestibus, uestitu'que personam regis aut heroum referunt, quos non esse constat: sic illi pseudomedici ueste olosenca, annulis, rubro'que pileo decori, falsa & ficta artis ostẽtatione apud ignobile uulgus, indoctosq; proceres, titulum personamq; Medici sibi uendicant: quam si illis exutis ademeris, sub illorum

persona

persona aut Iudæum perfidum, aut monachum apostatam, uel omnium bonarum artium ignarum parochianum, agyrtas, ardelionem, aut anus incantatrices, ac id genus farinæ hominum, latere deprehendes: qui nihil non audent, quo ab afflictis ægris per fas & nefas pecuniam emungant. O sceleratum pecuniæ aucupium, quid non mortalia pectora cogis audere? Hi sacrosanctam Medicinam, præclarum summi Dei donum, temerarijs ex urina de morbis uaticinijs, ac nefarijs superstitionum nugis & incantationibus, conspurcare non erubescunt. His accedit tandem Magia, quæ astrologiam & medicinam in suum asciuit consortium: quos non obsecro morbos curare, quæ denique præstigia & intempestates, herbarum, radicum, lapidumque uiribus, sub stato lunæ & stellarum ortu adaptatarum, sese non efficere posse promittant? His fascinare, his dæmones cogere, his denique irata deorum numina litari posse, perfricta fronte nugantur. Si Gygis quæris annulum, quo rex ille se inuisibilem reddidit: promissus quidem, sed citra fidē, non deerit. His Magiæ nugis Medicina adeò defœdata est, ut nulla sit artium, quæ adeò confertim erroribus & superstitionibus scateat, ac illa nobis cœlitus data Medicina. Hercules certè minori labore Augis purgauit stabulum, quàm aliquis, quantumuis doctus, Medicinam à tot mēdis elueret & expurgaret. His dictis, Symposiarcha unà cum omnibus conuiuis petebat, ut id labori subirem: sed ob quas causas id facere distulerim, sequens explicabit Epistola.

Medicina Magiæ per mixta. Pli. li. 30. ca. 1. & lib. 29. cap. 1. & li. 28. ca. 2. Philostrat. li. 7. in uita Apollonij. Nicodemus in suo Euāgelio. Orpheus in libel. de Lapidib. et Thebi. philosophus. De Gygis regis Lydorum annulo, Plato li. 2. de iusto. Philostrat. in uita Appollonij.

EPISTOLA SECVNDA DOCET, QVAM *difficile sit, Medicinam ab erroribus & superstitionibus uindicare.*

GRAVITER quidem, mi Francisce, proximis tuis literis expostulasti mecũ, quid ita præter promissa cunctarer, Medicinã ab erroribus & imposturis & superstitionibus uindicare. Fateor quidem, id me facturum, in Symposio quodam recepisse: sed cum promissa præstare uellem, non experta prius operis difficultas, me ob has causas deterruit. Primùm, quòd bona pars Medicorum in falsis barbarorum opinionibus adeò consenuerit, ut scyrrum quamuis durum citius digeras, quàm inueteratas illorum opiniones, à puero conceptas, ex animo eriperes. Quo sanè semel odore testa recens imbuta fuerit, hunc non facilè elues. ἔστι δ᾽, ait Galenus, οὐδεμία βαφὴ δευσοποιὸς οὕτως, ὡς τὸ τῆς ἄνευ λογισμοῦ πρὸς τὰ μοχθηρὰ δόγματα πάθος. οὐ γάρ ἐστι μεταπεῖσαι τοὺς ἐν αὐτοῖς τραφέντας: Nulla est tinctura adeò ineluibilis, ut ad falsa, citra rationis iudicium, dogmata, animi affectio: quæ in his educatis, dissuadere non poteris. Non temerè Timotheus, celebris Musicus, à discipulis prius malè instructis, geminam postulabat mercedem, quum geminum docendi & dediscendi laborem subire cogeretur: quã Medicus æquius à discipulis Medicinæ, perperam instructis, efflagitaret. Nã quum Medicina omnifaria ingenuarum artium eruditione, longæua rerum experientia confirmata, constet: Musica uerò sola concinna uocum & numerorum harmonia & proportione perficiatur: quis non fatebitur, Medicum, dum rectè docet, falsa corrigit, bisq; quaterq; plus laboris, ne dicam periculi, quàm musicum sufferre? Nemo planè negabit, nisi rationis impos. Deinde quum magistratus & proceres,

Prima deprauatæ Medicinæ ratio.

Gal. in li. 1. de cog. & cura pass. animæ.

Lib. 2. de dispnœa.

Quintilianus.

proceres, acceptam à Iudæis & reliquis Medicis δοξοσόφοις parua pecunia, liberè in corpore subditorum grassari, eosq́ non tondere, sed deglubere permittant: hac magistratuum indulgentia effectum est, ut nulla sit lex (teste Plinio) quę capitalem Medicorum inscitiam puniat: soliq́ Medico hominem occidere, & Iudæis in corporibus Christianorum experimenta per mortes agere, impunè liceat.

Altera deprauatæ Medicinæ ratio.

Pli. lib. 29. cap. 1.

Hac impunitate freti monachi, apostatæ, agyrtæ, ambubaiarū collegia, balatrones, anus incantatrices, deniq́ carnifices, & qui paterna obligurierint bona, instar Aeschinis Socratici, ex arte Myrepsica alimoniam quærentes, in hanc sacrã Medicinæ professionem gregatim irrepserunt: quam suis incantationibus, superstitionum præstigijs & nugis, adeò defœdarunt, ut nulla sit artium quæ ex illorum ignorantia tot sit superstitionibus & erroribus referta.

De Aeschine Socratico Athenæus in fine lib. 3.

Cui nam, obsecro te, Aesculapius, uel ipse Medicinæ inuentor Apollo, tantas ingenij suppeditabit uires, ut illorū aniles opiniones, magicasq́ superstitiones & errores homicidij sanguine pollutos, extirpare posset? arenas maris citius enumerares, quàm illorum inscitã densa ignorãtię caligine obseptã emendares, οὕτω γὰρ, inquit Gal. δυσσοποιόν τι πρᾶγμα ἐστὶν ἀμαθία σφόδρα, καὶ μᾶλλον ὅταν ἀλαζονία μιχθῇ: Adeò ineluibile uitium est ignorantia magna, præcipuè si arrogantiæ permixta fuerit.

Gal. hæc li. 13. Therapeuticæ aut Methodi.

His sanè sciolis arrogantiores esse scio nullos, qui ita de suis glorientur remedijs, ac sua adulatione ignobile inescare uulgus, suamq́ ignorantiam incessus grauitate, annulorum ostentatione, uestium fastu celare possint. His rectè cũ Phauorino dicere possis: Palliũ & barbã uideo, Medicũ philosophũ nõ uideo.

Tertia deprauatæ Medicinæ ratio difficilis correctionis.

Postremò, quęso te, qua ratione illorũ morbo aut ignorantiæ medeberis? qui ex cõposito eam celant? Vadimonium deserere (crede mihi) minoris æstimant, quàm ignorantiam ingenuè fateri. id quod maximè illorum inscitiam prodit. Quo enim quisq́ est doctior, eo minus errorem

Doctos nõ pudet fateri errorẽ.

Corn. Celsus lib. 8. 4. ca. Quintilianus lib. 3.

fateri eum pudet. Nam & Hippocrates, ille Medicorum coryphęus, se futuris cranei deceptum fuisse, fateri non erubuit: More (inquit Cornelius Celsus) magnorum uirorum, fiduciam & peritiam magnarum rerum habentium. Nam leuia ingenia, quia nihil habent, nihil sibi detrahunt. Magno ingenio, multaq; nihilominus habituro, conuenit etiam simplex ueri erroris cõfeſsio. Nam his, cum sint in barbarorum sectis educati, totiusq; philosophiæ expertes, ignorantia ita aciem mẽtis & rectum rationis iudicium perstrinxit, ut suam ignorãtiam agnoscere non poſsint, & in ueri cognitione planè cæcutiant.

Galen. in principio lib. 8. de Composi. phar. κατὰ τόπους.

Ψευδεῖς γὰρ δόξαι προκαταλαμβάνουσαι τὰς ψυχὰς τῶν ἀνθρώπων, οὐ μόνον κωφοὺς, ἀλλὰ καὶ τυφλοὺς ἐργάζονται. Id est, Falsæ opiniones obsidentes animas hominum, eos nõ modò surdos, sed & cæcos reddunt. Hæc dum in animũ reuoco, promiſsi me pœnitet. Tamen beneuolentia doctorum uirorum fretus, cotis uice fungar: & si promiſſa nõ præstitero, erit tamen aliquid prodire tenus, si non datur ultrà: & uiri boni, uoluntate mea saturabuntur.

DE CHIRVRGICORVM IN CVranda uulnerum apostematione imperitia.

Epistola tertia.

Corn. Celsus in Prologo lib. 1.

TVIS igitur admonitus literis, uela uentis committam, tu uerò oram soluenti felix auspicium precare: auspicaturus à uetustiſsima Medicinæ parte Chirurgia, quam primùm Aesculapius, deinde eius filij Machaon & Podalirius, ac Chiron Achillis præceptor, Troiani belli temporibus magno mortalium cõmodo domi forisq; in bello profeſsi sunt: quæ cùm multarum rerum peritiam, tum maximè humani corporis constitutionis noticiam requirit: sine qua nullus luxata instaurare, fracta coadunare, uenam aut apostema rectè incidere potest. Ob id post Hippocratem

Viuorũ & mortuorũ Anatomiæ neceſsitas.

pocratem Herophilus & Erasistratus, tanto studio humani corporis fabricam scrutati sunt, ut latrones morti addictos à regibus ex carcere impetratos, uiuos inciderint, quo uitali adhuc micante in corpore spiritu, illius organorum actiones, officia, colligantias, & cõstitutiones exactè dignoscerent. At nostri seculi Chirurgici, quum semel uitulũ aut porcellũ lanium exenterare uiderint, totius anatomiæ imperiti, non uerentur ineffabili quadam tyrannide in corpora hominum urendo & secando grassari: quod cùm in alijs morbis, tum maximè in curãda uulnerum phlegmone, eorum imperitiam uidere licet. Nam si quando forte fortuna caput aut finis musculorum, tendo, circa articulos, arbitrarij motus organa ligamentis circũsepta, punctim uel cæsim læsa fuerint, tum ob dolorem & humorũ colluuionem uulnus phlegmone inflãmatur: qua nisi prius rectè curata, frustra uulneri medeberis: & membrum læsum nõ tabescet modò cancræna, aut sphacelo putrescens emorietur, sed & putridos per arterias & uenas ad cor & cerebrum exhalans uapores, & patiens insomnis delirabit, & tandem spasmo cõficietur. Cæterùm cum nemo incognita curare posit, operepræcium erit, singula apostemationis uulnerũ accidẽtia pathonomica ex Damocrato referre.

ὅταν μυὸς τρωθέντος, ἢ νεύρων τινῶν
ἢ καὶ νυγέντος ὑμένος ὀστέου
μετὰ τὴν τετάρτην ἡμέραν σύνοι πόνοι,
καὶ φλεγμοναὶ, πυρετοὶ μετὰ συμπτωμάτων,
πολλῆς ἀγρυπνίας, παρακοπῆς, δίψους σφοδροῦ,
κατὰ γλώττης γένηται πρόσθεσις,
κατ᾽ ἡμέραν ῥέποντα πρὸς τὰ χείρονα
ἰχὼρ τρυγώδης, λεπτὸς, ἐρυθρὰ τραύματα,
ταῦτ᾽ ἐγγὺς αὐτῶν πάντα ἔχοντα σώματα.
ἐργὰς, διατάσεις, φλεγμόνας, οἰδήματα.

Quamuis bona pars Medicorum causam phlegmonis uulnerum in corporis cacochymiam referunt, Da-

 mocrates

mocrates tamen (me iudice) rectius in dolorem refert, qui ex musculorũ neruis & tendinibus uulneratis oboritur circa articulos, sensus & arbitrarij motus organa: quæ cum ferè nulla carne sint cooperta, acutius sentiunt, & ob id maiori dolore, quàm epigastrij musculi carnosi affliguntur: qui uelut cucurbitula omnifariam humorũ alluuiem ad uulnus pellicit, quo tandẽ uulnus intumescens, tertio, aut plurimũ quinto die phlegmone & alijs symptomatibus corripitur. Ob id Hippocrates lib. 4. de Morbis inquit: Vlcera si curentur, maximè in diebus imparibus inflãmantur. uenit enim tum humor ad omnes uenas, cum crisi turbatur: uenæ autem repletæ, dolorem & calorem toti corpori inducunt. Proinde rectè tradit Damocrates, post quartum diem non ferendos dolores in neruorum articulorumq́ue uulneribus, cum grauissimis symptomatibus incrudescere: qui dolores quũ humorum affluxum ad uulnus proritent, quibus uenæ arteriæq́ue circa articulorum musculos infarciantur: quid obstare poterit, quin doloris exacerbatione & sanguinis alluuio uulnus rubore, œdemate & phlegmone turgeat, & putredinis dolorisq́ue æstu adeò efferueat, ut putridus ille calor per uenas & arterias cordi præcordijsq́ue communicatus, tandem febrem continuam incendat, & linguam continua siti & ariditate emaceret? Nec cerebrum ab illius contagione intactum manet: quippe cum musculorum nerui à cerebro & eius medulla propagentur, necesse est id, lege consortij, musculorum & neruorum apostemationi compati. Quare dum morbus & dolor ingrauescit, patiẽs uigilia & delirio affligitur, & tandem spasmo diuellitur. quæ cuncta Galen. de Prænotionibus ex pulsu, lib. 4. his uerbis scitè complexus est, quæ, quum Græca Latinis plus energiæ & lepôris habeant, hic inserere placuit: οὐδὲν (ait) θαυμαστὸν οὐδὲ διότι τοῖς κατ' ἐπιγάστριόν τε καὶ θώρακα μυσὶ φλεγμήνασι πυρετοὶ ἑτοίμως ἕπονται. καὶ διὰ

Vis doloris attractiua.

τοῦτο

τοῦτο καὶ οἱ σφυγμοὶ μεγάλοι γίγνονται, καὶ ταχεῖς καὶ πυκνοί. τῶν δ' ἐν πήχει καὶ κνήμῃ μυῶν φλεγμηνάντων, καὶ μάλιστα καθ' ὃ μέρος αὐτῶν ἐκπεφύκασιν οἱ τένοντες, ἕτοιμον μὲν ἁλῶναι καὶ σπασμῷ, ῥᾷστα δ' οἱ σφυγμοὶ τείνονταί τε καὶ σκληρύνονται. σαρκώδεις μὲν γὰρ οἱ περὶ τὸν θώρακα καὶ γαστέρα, νευρώδεις δ' ἱκανῶς οἵ τ' ἐν χερσὶ καὶ ποσί. ἔτι δὲ μᾶλλον εἰ τινῶν φλεγμονὴ τῶν κατὰ χεῖρας ἄκρας ἢ πόδας, ἑτοίμως μὲν σφυγμὸς αὐτοῖς γίνεται σκληρός, ἑτοίμως δὲ σπῶνται. Expoſitam ſatis clarè arbitror apoſtemati uulneris naturam, & ſymptomata, illorumq́ue cauſas: ex quibus Medicus phyſicus facilè totius curæ & remediorum indicationes depromere poteſt. Circa quæ mira Chirurgicorum imperitia manifeſtatur. nā quum (teſte Galeno) in curādo uulnere nihil ſit prius, quàm prouidere ne phlegmone corripiatur: hi non modò quid phlegmon ſit ignorant, ſed nec muſculorum aut tendinum aut articulorum compaginem & ſitum nouerunt. Nec principio neruorum, ne ſpaſmo corripiatur, prouident: nec febris, qua totum corpus tabeſcit, rationem habent, quum uulneratis merum bibere uinum, cibariisq́ue aromatum conditura præparatis liberè ueſci permittant: nec uulneris apoſtemationem agnoſcunt, donec pro ſanie bene cocta liquorem feculentum, oleagineum, & inſtar ſeri lactis tenuem ubertim emanare uiderint, quem Damocrates perbellè appellat ἰχῶρα τρυγώδην λεπτόν, Cornel. uerò Celſus hydropem & meliteram appellat: Eſt, inquit, quædam ſanies, quæ uel hydrops, uel melitera appellatur. hydrops tenuis, ſubalbidus, ex malo ulcere exit: maximè ubi neruo læſo, inflāmatio ſubſecuta eſt. Melitera, craſsior et glutinoſior, ſubalbida, mellíq́ue albo ſubſimilis fertur: hæc quoq́ue ex malis ulceribus, ubi nerui circa articulos læſi ſunt, & inter hæc loca maximè ex genibus profluit. Quem liquorē, aut ſi mauis ἰχῶρα, noſtrates Chirurgici ineptiſsimo uocabulo Aquam articulorum appellant, & eſſe arbitrantur: licet ex omnibus ſanè articulis, to-

Gal. lib. 6. Methodi id tradit.

Pollux lib. 4. hęc eadem.

Gal. in lib. de Tumoribus præter naturā.

Cor. Celſus li. 5. ca. 26. de ſaniei ſpeciebus.

Chirurgicorū glidwaſſer.

lis, totius corporeæ molis, non tantum liquoris eliceres, quantum uel una die & nocte ichoris ex uulnere apostemato profluit. At nostrates scioli, hunc esse arbitrantur articulorum mucilaginem, quem natura (teste Hippocrate) illis indidit, ne continuo motu exiccarentur, & ut illius muci lubricitate facilius & sine offensa promouerentur. Audi obsecro illorum dementiam. Ne igitur talis ichor, quem ipsi congenitum articulis humorem arbitrantur, effluat incassum: pilis capreolarum, quibus ephippia equorum infarciuntur, osculum uulneris, apposito spleniorum fasciculo obstruunt: quo fit, cum sanies illa effluere non posit, ut subtercutanea totũ perreptet membrum. tandem hoc semiputridũ, obstructis uitalis spiritus meatibus, sphacelo emoritur. Dicere me pudet, sed dicam, quod hisce oculis uidi: Ambergę chirurgum, unguentum populeonis in patella feruefactũ, bulliens adhuc, uulneris osculo infundentē. à quo quum remedij rationem sciscitarer, Malis mala curari oportere, respondit. tum patiens effusis lacrymis: Certè, inquit, tua remedia non mala tantum, sed pessima esse sentio. cui ego post biduũ, abscisso serra brachio medebar. Hi si scirent, calorem naturalem, omnis humorum concoctionis in corpore & saniei in ulceribus digestionis esse opificem, facilè intelligerent, qua ratione tanta crudorum humorum copia, ex inflammatis articulorum & neruorum uulneribus efflueret. Nam perinde ac in corpore hominis morituri, ulcera effœto calore naturali, nulla sanie bona madida, liuescunt: sic in his uulneratorum corporibus, in quibus cõgenitus corpori & membro calor, febris & phlegmonis æstu obrutus languet, nullam bonam posse produci saniem fateberis: quam sublata uulneris phlegmone & febre facilè produceret, ut tandem uulnus facilè curare posis. Sed quæ sit uera curandi uulnerum inflammationis methodus, referre, Epistolæ compendium non fert: quam Hippocrates, & fidus

[Margin notes:]
Lib. de Locis in homine, & de fracturis osium.

Ridicula et perniciosa in uulnerũ apostematione Chirurgicorũ medicamenta.

Vlcera morituri cur sicca liuescunt.

Cor. Celsus lib. 5.

fidus illius interpres, cùm pasśim alibi, tũ in libro quarto de Articulis, ac lib. 3. & 4. ac sexto Methodi, te docebũt: quam etiam in Consilijs nostris propediem publicandis leges. Vale, & de his boni consule quæso.

IN CVRA CAVSONIS CHIRVRGI-corum temeritas. *Epistola quarta.*

NVPER tuis literis Baro generose petijsti, ut quis'nã fuisset morbus, qui duce Friderico comite Palatino (in cuius castris uterq; nostrûm merebat) contra Machometicæ factionis Imperatorem in bellum profecto, in exercitu Romani Imperij ita populatim grassatus esset, ut ferè plures eo tum morbo quàm hostis gladio perierint, tibi iterũ in bellum profecturo declararem. Quum itaq; commilitoni amico mos gerendus sit, te celare non possum, fuisse alterã causonis speciẽ, ueteribus Medicis melius quàm nostratibus cognitam. Cuius prima species, si aëris sicca calida'que constitutio χολοποιία præcesserit, tunc ab ortu Pleiadum usq; ad solstitium æstiuale magno mortalium exitio ingrauescit. cuius interna causa fertur cholera sanguini commixta, in maioribusq; circa cor, epar, uentriculum, ac non raró circa pulmonem in uenis putrescẽs, feruentem illam febrem ab urendo καύσονα dictam, parit: cuius æstu lingua adusta nigrescit, patientemq; sæuisśimis symptomatibus, nẽpe cephalalgia, delirio, hæmorrhagia, phrenitide, & tandẽ uẽtris torminib. & diarrhœa emacerat: & magis internè circa præcordia, siti intolerabili, quàm in extremis æstuat. At altera notha eius species hyberna, plurimum ab æquinoctio autumnali usq; ad Pleiadũ occasum, si australis aeris cõstitutio præcesserit, ingrauescit: cuius humore & frigore cholera, eius in uenis fomes, pituitæ permixta mitescit, ac longè præsatis mitiora symptomata parit, curatuq; altera est longè

Prima causonis species æstiua.

Hippoc. & Gal. li. 1. & 2. Epidem. & lib. 1. de Morb. ac. lib. 4. Reg. acut. lib. 5. de Loc. affectis. Gal. Diocles Charist. ad Antig. regem.

Altera causonis species brumalis & hyberna.

facilior: & cum huius febris causa procathartica sit aëris constitutio, qui teste Hippocrate, communis est Epidemialium morborum causa, & hanc esse Epidemiæ aut Endematis morbum, contagionis lue infectum, quis inficiabitur? Nemo. Hic est ille morbus, qui autũni tempore in Pannonia milites præteritis annis toties debellauit, & crebrò populatim in Rheni accolas sæuit: quem uulgus ab accidente modò cephalalgiam, modò ob nigricantis linguæ colorẽ, fuscedinem ineptissimè appellant. Sed cur quotannis hoc morbo tot hominum millia pereunt, in promptu causa est. Nam dum hæc Epidemialis febris lues sæuit, tum præcipuè in castris, nõ naturæ & morbi peritus Medicus, sed indoctissimus quisque chirurgicus, qui nec causam nec substantiam morbi nouit, accersitur. Itaque in sola huius morbi cura millies chirurgicorũ imperitia plures, quàm hostis gladio interimi, sanctè deierare ausim. Qui cum causam morbi & necis in fusco linguæ colore subsistere arbitrẽtur, quàm (Deus alme) fœda excogitant remedia, quibus linguam expoliant? Hic expresso de cancris succo, os patientis colluit: alter dissoluto equorum stercore, illius colatura linguam ægroti eluit. Taceo quod nefas esse ducunt, alio quàm fusci aut rubei coloris panno, aut alio quàm prunorum fusci coloris ligno, linguam abstergere: ac si specialis in coloris similitudine subsisteret sympathia. O' stulti, quãdo accidens, neglecta illius & morbi causa, curare satagitis: umbram quoque corporis creta dealbare frustra laborabitis. Hæc illorum temeritas, sanè eos prodit ignorare, quis sit in complicatis affectibus, quos Græci διαθέσεις appellant, curationis methodus, & indicationum ordo ac scopus: quorum primus à causa affectuum & morbi sumitur interna, quæ sui ablationem per contrarium indicat. Constat autem, morbum esse suorum symptomatum causam. Proinde febris illa feruens, cuius ardor saliualem linguæ humiditatem, qua ex

Hipp. lib. 2. de Natura ho. & Gal. eius interpres lib. 1. Epidem. & li. 2. de Dieta acutorũ.

Der ungelerten felth scherer thorheit.

Delira chirurgicorũ in cura causonis remedia et imperitia.

Gal. lib. 3. Methodi, hos tres curatiõis scopos uberius declarat.

Primus curãdæ causonis scopus.

ex adenibus irrigatur, exiccat, & atra incensi sanguinis fuligine linguã obfuscat, nigredinis linguæ causam esse, fateri oportet. quam nisi extinxeris, citius Aethiopem dealbabis, quàm linguam, nisi prius ablata febre, ab hac nigredine uindicaueris: qua nõ solum in causone, sed in quouis interno epatis erysipelate & inflãmatiõe inficit. Vnde Galenus γλῶσσα, inquit, μελαίνεται διὰ τὴν ἄμετρον θερμασίαν, ὥσπερ τοῖς ἡλιοθεροῦσι τὸ δέρμα. Alter uerò curationis scopus, eius sine quo non, habet. Sic puritas ac repletio in cura sordidi & caui ulceris, rationem eius sine quo non habet: nisi id à sordibus primùm expurgaueris, & deinde carne bona impleueris, frustra ulceris consolidationem molieris: & nisi prius ablata phlegmone, uulneri inflammato frustra medeberis. Tertius uerò curationis ordinum scopus, urgentiũ & accelerãtium, curamq; ad se attrahentium affectuum rationem habet: unde homini præcipuè imminet periculum, hic curã primùm ad se allicit: ut si ex puncto musculi capite immedicabilis conuulsio oborta fuerit, nerui per trãsuersum incisio, & in uenæ aut arteriæ hæmorrhagia, totius uasis per transuersum præcisio, curam uulneris anteuertit. Pariter, si luxatio cũ ulcere, præcipuè phlegmone obsesso, in aliquo maiorum articulorum inciderit, uulnus sanamus: & luxationem intactam relinquere, periculum conuulsionis nos urget: sic syncopis & lipotomiá primas curationis partes sibi despondent. Atqui cum lingua in censu naturalium uitæ membrorum non sit, eius discoloratio nec causæ eius sine quo non, uel urgentis, rationem habere potest. Quippe cum non equis modò, sed hominibus periuris linguam clauis affigere trunco, illiusq; primam præcindere partem, non in Germania tantum, uerùm & Bononiæ & in Hispanijs citra noxã uidi: & Galenus lib. I. de Differentijs morborum refert, quendam in magna corporis conuulsione primam linguę partem mordicùs abscidisse, & demorsam citra sanitatis offen-

De hac nigredine linguæ Gale. li. 4. de Dieta ac. & li. 5. de Locis affect. lib. I. Epid. lib. 8. de doctrin. Hippocr. & Plat.

Alter generalis curationis scopus.

Tertius curatiõis scopus, & indicationũ prætãtia.

Cor. Cels. li. 5. & Hippocrat. lib. de Artic. et libro 3. de Fracturis, & medici uulnerarij officio.

ſam deglutiſſe. At id æquè animaduerſione dignum, quum in huius febris cura, poſt leuem alui deiectionem, & phlebotomiã, nulla in præcordijs exiſtẽte phlegmone, præcipuè ſi concoctionis ſigna apparuerint, paulo liberaliori aquæ frigidæ, prius tamen, ne circa præcordia moretur, decoctæ potu, nullum ſit præſentius remedium: ipſi uerò tanta ſiti ægros temerè macerãt, qua nec maiorem ſitibundus ille Tantalus apud inferos ferre cogitur. Quid multis? Præſtaret incidere coruos, quàm ſe tam imperitis committere Medicis. illi in cadauer inſenſibile ſæuiunt, at iſti in uiuos graſſantur: quos homicidij reos peragere meritò magiſtratus deberet. Verùm cũ curandi cauſonis rectam methodum præter Arabes medicos, Hippocrates lib. 3. Epidimiarum, & lib. 4. de Ratione uictus in morbis acutis, Gal. in methodo, & eius ſimia Paulus Aegineta doctè cõſcripſerint, præter Epiſtolæ decorum foret, eam hic repetere. Vale.

IN CVRANDA CAECA CRANEI *fractura, cæca chirurgicorum amentia.*

Epiſtola quinta.

Hiſtoria de ſymptomatib. fracturæ cranei occultæ.

SCRIBIS, mi Auerbachi, amicorum optime, nuper oborto inter aulicos diſſidio, equitem quendam Franciſci tui affinis caput, iactu lapidis ſatis ponderoſi ſauciaſſe: quo ictus in terrã proſtratus, aliorũ ſubſidio eleuatus, quum domum redijſſet, nares & aures illi cruentaſſe. Et quamuis uulnus quantitatem fabæ uix excederet, chirurgus'que tantillum uulnus ne pili quidem faceret, tertio tamen die choleram patientẽ euomuiſſe, oculos eius caligaſſe, lingua'que balbutiente, pedes obtorpuiſſe, & corpus ſenſim febre lenta incaluiſſe: chirurgicum uerò horum omnium cauſam non in uulnus, ſed paulo liberaliorem uini compotationem retuliſſe. Deinde uerò quinto die ingra-

ingrauescente febre, patientem epilepsiæ spasmo correptum, & toto sinistro corporis latere resoluto, soporifero ueterno obtorpuisse, nec sibi tum mente constitisse: at tandem septimo die plane delirantem, subitò sideratũ, obijsse: chirurgumq; eum non ob malam uulneris affectionem, sed apoplexia perditum, passim proclamasse: uerùm defuncti hæredes autorem uulneris, cõpedibus adhuc detentum, homicidij accusatum in ius uocasse. At reus pro tribunali causam dicturus, uulnus nõ fuisse mortis causam, chirurgũ testatus est. Hæredes uerò chirurgum id dicere, ut fortasse suæ curationis imperitiam celaret, asseuerasse. Et quum Iurisconsultus non tantum de partu decemmestri, sed & de lethalis conditione uulneris Medicos doctos consulendos statuisset, affines interempti, ab Empirico medicos physicos appellasse.

Iurisc̃osulti in plerisque causis Medicorũ iudicio egent.

Proinde petis, senatus nomine, ut meũ de causa mortis tui affinis iudicium declarare uelim. Et cũ Senatus de me sit bene meritus, id laboris detrectare non possum: simulq; ut is intelligat, quantum intersit reipublicæ, doctos habere & alere Medicos, rem paulo altius repetã. Multifarias esse in capitis uulneribus & contusionibus fracturarum cranei differẽtias & nomina, Medici docti nouerunt: quarum una, quę cæteris est periculosior, Cæca appellatur, quòd detrimenta eius, uisui nõ sint palàm obuia, nisi cute prius transuersis instar X literæ lineis incisa, locum cranei affectum detexeris, ad pericraneum usq;. Quæ utplurimum accidit, quum quis ab alto in caput ceciderit, aut id pauimento aut parieti cadens allisèrit, aut lapide, fuste, telo'ue quouis obtuso ictum, conquassatum'ue fuerit. quo fit, ut cute adhuc integra, uel parum uulnerata, caluaria, cerebri & sensus organorum conclaue, ictu depressa, ad cerebrum subsideat, illiusq; membranam suturis cranei adhærentem, eiusq; neruos comprimat. quo fit, ut lingua & membra arbitrarij motus organa, ad quæ nerui coarctati à cerebro uergunt, &

De differẽtijs fractu. cranei, Celsus libro 8. cap. 4. Gal. in Diffini. lib. 6. Methodi. li. 2. de Causis morborũ.

Cacæ cranei fractura.

spiritum animalem deferunt, παραλύσει torpeat, & æger obmutescat, donec incisa cute caluaria tripodis instrumenti terebra attracta, eleuataque fuerit. At si caluaria casu uel quauis plaga conquassata & rupta dehiscit, tum nullo uel angusto existente cutis uulnere, sanguinis ἰχῶρ & sanies supra cerebri duriorem pelliculam defluit per rimas fracti cranei: quorum alluuione cerebrũ & eius panniculus, asperitate partiũ fracti cranei læsus, phlegmone corripitur: & eo magis, si intus capitis cõcussione uena rupta sanguinem profuderit, qui extra sua uasa effusus, repente coagulatur, & putrescens uirulentis suis uaporibus, cerebrum, illiusque arterias replet, & spiritum animalem sua contagione inficit & alterat. inde fit, ut febris incrudescat, patiensque deliret: & spasmo epilepsiæ crebro conuulsus, stomachus lege consortij læsus, cholerã euomat: patiensque obmutescens, tandem sideratus moriatur. Proinde recte ait in Aphoris. Hippocrates: Quibuscunque cerebrum præciditur, his necesse febrem & bilis uomitũ accidere. Et lib. de Morbis. 1. Si percussi, inquit, cerebrum conquassatum dolebit, percussus obmutescet, nec uidere nec audire poterit: si uero uulneratum fuerit, febrem & choleræ uomitum superuenire, ac aliquam corporis partem siderari ac perire necesse est. Hæc fracti cranei symptomata si inciderint, spes uitę in angusto erit: nisi tempestiue cute incisa, depressa discooperti cranei ossa tripodis terebra eleuaueris, exasperata polieris, fracta exemeris, ruptaque trepano ἀβαπτίστῳ perforata lenticulari scalpro excideris, ut tandem per ampliatum caluariæ foramen, cerebrum, saniem & eius serum ἰχῶρα expurgare, & putridi uapores exhalare possint. Horum symptomatum causas, simulque curandi methodum, Hippocrates Laconica sui uernaculi idiomatis breuitate ita explicuit: ἢν δὲ τὸ ὀστέον ῥαγῇ, καὶ ῥογμὴ ἐγγένηται, ἐπικίνδυνον τοῦτο περιϊέναι ὡς μὴ κατὰ τὴν ῥογμὴν τοῦ ὀστέου ἰχὼρ ῥέον, τὴν μήνιγγα σήπῃ. ὥστε γὰρ κατὰ στενὸν μὲν ἐσιὼν, οὐκ ἐξιὼν δὲ, λυπέει, καὶ μαίνεσθαι ποιεῖ, τὸν ἄνθρωπον τοῦτον χρὴ ποιεῖν, ὡς ἔξοδος ᾖ τῷ ἰχῶρι, μὴ

Sanguinẽ extra sua uasa effusum, intra corpus coagulari, & putrescere, testatur Galenus li. 6. de Locis affectis. Hippocr. lib. 1. de Morbis. & libro 6. Aphor. 19.

Altera occultæ cranei fracturæ descriptio, & species.

Symptomata & cõia fracti cranei, describit Corn. Cels. lib 8. cap. 4. Gal. lib. 6. Methodi. Hip. in li. de Capitis uulneribus.

ῥι, μὴ μοῦνον ἔσοδος, εὖρος διαπεπευσένος. καὶ φαρμάκοισι χρῆσθαι, ὅσσα ἐφ᾽ ἑαυτὰ τὸ ὑγρὸν ἕλκουσιν, καὶ λύειν. Hisuerbis monet, os fracti cranei ſerra incidere, & foramen dilatare, ut humores, ne his cerebri pellicula putreſcat, effluere poſſint, & hos pharmacis attractorijs eliciendos. Hac ego olim curationis methodo in Nouoforenſi Noricorũ ciuitate uſus, dum puer lanij trimus ex ſuperiori domus tabulato proſpiciens, pronus in ſtratum cecidiſſet, & in delapſu caput parieti prominenti alliſiſſet: qui quum in domũ patris ſemianimis deferretur, primũ bilem euomuit, & ſpaſmo epilepſiæ bis cõuulſus, obmutuit, & tam brachio quàm crure ſiniſtri lateris reſolutus, commate deprehenſus iacebat. ex quibus ſignis facilè conijcere potui, offenſam per cranium ad cerebrũ uſq; penetraſſe. Quare altero die mox caput concuſſum, primùm in occipite non longè à ſuturæ interuallo, & utroque latere aperui, unde quotidie cruor ſanie permixtus, ubertim profluebat: & cum per hæc caput expurgatum fuiſſet, puer (uel hodie ſuperſtes) citra omnem membrorum & loquelæ offenſam, Deo auſpice, conualuit. Quandoquidem ex commemoratis à te accidentibus conſtat, cęcam cranei fracturam uulneri capitis, non illæſo cerebri panniculo, unà cum phlegmone coniunctã fuiſſe: quam ſi medicus prædicta ratione ab diuino Hippocrate tradita, & à Galeno ſummopere probata, curare neglexerit: tum nec percuſſorem, nec Medicũ culpæ mortis immunes ſtatuo: nempe quum uulneris autor morti occaſionem dederit, uulneris uerò curator mortis remedia neglexerit: unde occaſio mortis facta eſt deterior, quam ſuis remedijs extirpare, non erat impoſsibile. Ex his iudex, quis, & qualem commeruerit pœnam, facilè decernere poteſt. At ſi licet ridicula, attamen uera, ſerijs miſcere, quid mihi nuper contigerit, paucis commemorabo. Nuper cum quibuſdam empiricis in conuiuium acceſsitus, & ut id genus hominum eſt gloriabundum, ſingulis

Hiſtoria pueri in fractura cranei per Langium curati.

De trepano abaptiſto Gal. li. 6. methodi. Corn. Celſ. lib. 8. cap. 3. & 4.

gulis ſua chirurgię inſtrumenta partim Auguſtę, partim Nurbegæ, ex Norico ferro & calybe facta, cōmēdantibus: tum ego ab illis ſciſcitabar, Ecquis illorum trepanum ἀϐάπτιστον, cuius Galenus meminit, haberet, aut uidiſſet unquam? Obſtupeſcebant omnes, attentíque ora aperta tenebant. tandem unus ait: Langi doctor, fruſtra quæris in Germania abaptiſta. Nō enim chirurgicorum inſtrumenta nobiſcum, ſed campanæ & pueri baptiſantur. Tum ego ſubridens, aiebā: Me Romę, uiuēte Leonę pontifice, apud Vigonē Iulij ex Liguria pontificis chirurgicum, trepana ἀβάπτιστα non uidiſſe modò: ſed etiam qua ratione, ne in perforatura cranei panniculum cerebri offenderent, aut pungerent, indemerſibilia conficerentur, didiciſſe. Tum cæteri, Romæ ea ob præſentiam Pontificis facilè baptizari poſſe annuebant. Ego uerò, quum riſum continere non poſſem, illis ualedixi. Hæc Senatum tuum, ob pleraq; in me collata beneficia, celare nolui. Vale.

DE FVNGIS, QVI FRACTO CRAneo *& alijs ulceribus adnaſcuntur.*
Epiſtola ſexta.

PETIISTI à me certior fieri, quare fungos in uulneribus capitis naſcentes, nō inter fractæ caluariæ ſymptomata enumerauerim, quum tamen Gal. in 1. lib. de Locis affectis, eos nō obticuerit, dū ex agnatis (ut ait) aliquādo locus affectus quoque cognoſcitur.

Galeni de Locis affectis, locus obſcurus declaratur, de fungis capitis.

Agnata enim ſubſtantiæ proprietate participant, quemadmodum in capitis fractura fungi, quādo membrana cerebri, μήνιγξ Græcis dicta, læſa fuerit, & patitur. Simul quoq; oras, ut quales hi fungi ſint, tibi declarem. Nihil certè tam arduum, modò ſit noſtræ opis, noui, in quo non libenter tibi obſecundarem: ob id & in hoc libens tua iuſſa capeſſam. Primùm quòd

fungorum

fungorum non memini, id à me dedita opera factum scito. Non enim apertæ cranei fracturæ & ulceris symptomata, sed cæcæ & occultæ accidentia recensere libuit: in qua rarò, uel ferè nunquam fungi nascuntur. Quemadmodum sanè in stipitibus arborum, humores semiputridi per corticem extuberantes, in fungos coalescunt: sic uulnerato cranio, humores cerebri affluunt, qui (teste Alexandro Aphrodiseo) ossis frigore condensati, in speciem fungi concrescunt: qui in superiori parte ampliusculi, infrà uerò prætenues, pro ratione loci perficiuntur. Vnde Galenus libro Epidem. tertio ait, τοῦ πάχους τῶν χυμῶν τὰς τοιαύτας ἐπιφύσεις ἐργαζομένου, καλοῦσι δ' αὐτὰς οἱ πολλοὶ μύκητας: id est, Densitate humorũ tales in uulnerib. adnascentias efficiente, quos multi fungos appellant. quos quum nostrates chirurgici in capitis uulneribus enatos uident, substantiã cerebri esse arbitrati, aut ęgros tanquam deploratos relinquunt: aut si forte fortuna eos curauerint, uulnera cerebri sese curasse, tantillum' que de cerebro frustum exemisse gloriantur. Quid igitur sint fungi, & qua ratione in ulceribus quoque nascantur, te intelligere puto. Vale.

De fungis in uulneribus capitis nascentib.

Alexan. Aphrod. lib. 2, Problemate. 86. et Gal. in tertiũ Epide. Hippocra.

OCVLI DISCISSI VISV, ILLAESO, *curatio. Epistola septima.*

MAGNOPERE petis, ut qua methodo oculũ ciuis Ambergensis cultello dissectum, uisu illæso curauerim, tibi enarrem: quod ut acciderit, paucis ita accipe. Ciuis erat Ambergæ, cui nomen Neudegker. hic debita exacturus, in quendã pagum peregrè ibat. & dum cultello oblongo, rapum ex agro proximo euulsum excorticaret, & ob itineris lubricitatem pedibus uacillaret, pronus cum oculo in cultellum cadẽs, oculum ab inferiori palpebra ad supercilium usq;

Historia oculi uulnerati à Langio curati.

e per

per medium dissecuit. Chirurgici uerò accersiti, ne putredo intra craneum serperet, oculum excidere statuerant. id ciuis citra mei absentis consilium fieri nolebat. Vesperi uerò, quum domum ab ægro, quem in oppido Sulczpach inuiseram, redijssem, uidi oculum ad oui gallinei magnitudinem intumuisse. quare quamprimum, ne oculus ob dolorem & humoris alluuium phlegmone corriperetur, eum unguento de alabastro illeui: & albumen oui, addito caphuræ momento, cum oleo & aqua rosarum dissolutum, & othonijs exceptum, supra oculũ applicui: quibus tumor desidebat, & tandem oculi recẽs uulnus, citra phlegmonem & suppurationem consolidaui.

Vngueñti de alabastro utilitas.

Nosti sanè, quàm frugiferum sit in omnium uulnerum phlegmone coercenda, unguentum illud, quod ex alabastritide marmore, frigidæ & siccæ cõstitutionis, Beneuenutus Hierosolymitanus, in libello de Oculorũ morbis, conficere docet. Similem uerò dissecti oculi curam, Galenus de Causis symptomatum libro quarto, his admiratur uerbis: Equidem uidi incredibile quidpiam, quod antea nunquam uidere consueueram. Puer cum iuxta pupillam stylo pungeretur, effluente protinus humore albugineo, imminuta est pupilla, ac ceratoides tunica omnino corrugata uidebatur: qui mox curatus, uisum recuperauit, instaurato scilicet paulatim humore, qui antea effluxerat. Sed huiusmodi euentus rarò uidentur. Et noster quoq; patiens uisum recuperauit plenariè, uno relicto symptomate, quòd temulentis quoq; accidere solet: omnia uisa gemina esse illi apparebãt. Pupilla sanè oculi ad inferiorem palpebrã agglutinati, depresior altera stabat. Crystalloides quippe humor, si ad superiora uel ad inferiora declinat, tum (inquit Galenus) quicquid cernitur, id duplũ uidetur. Sed tandem oculus frequenti motu, quem illi indixeram, ab inferna relaxatus palpebra, à geminati uisus fallacia liberabatur.

Historia oculi uulnerati, curati à Galeno.

Causam geminati uisus, refert Alexan. Aphrod. Plutarchus & Aristot. in Problema. sect. 31. & Gal. de Vtilita. partic. lib. 10.

Aliã curam docet Albucasis parte 2. cap. 14. & 15.

Hæc non eo nomine tibi petẽti scribo, ut mihi hono-

rem,

rem, quem Deo acceptum refero, arrogare uelim: ſed ut noſtrates chirurgicos admoneam, quo rationali methodo uulnera curare diſcant. Vale.

CHIRVRGI QVARE PHLEBOtomatos ſanguinem ſorbere cogunt.
Epiſtola octaua.

ALIAM uerò æquè temerariam chirurgicorum inſcitiam te celare nō poſſum. qui cum muſculos temporum, frontis, genæ, aut maxillarum, ab intercutaneo aere diſtentos, contremiſcere uident, illic mox hominis animam & uitam latere, ueluti ergaſtulo incluſam, proclamant. Pariter quoque, quamuis nulla corporis per pharmaca euacuatio, ſit magis ipſa phlebotomia periculi expers: attamen cum ſecta uena ſanguinem in lebete, ob flatulētum incluſum ſpiritum, cōtremiſcere uident, uitam cum ſanguine effuſam ſuſpicātur: quem ob id repentè, antequam tepeſcat, patientem abſorbere cogunt. O' audax chirurgicorū ignorantia, qui neſciunt, aerem, uitalis & animalis ſpiritus fomentum, nō modò per arterias cerebri, pulmonis & cordis cauernas, ſed per occultā quoq; inſpirationem & poros, uniuerſos corporis artus perreptare. qui ob arteriarum cum uenis coadſtomoſim, ſanguini quoq; permiſceretur: quem etiam ex flatulento & uiſcoſo humore nō in muſculis modò, & omnibus quæ diſtendi poſſunt membris (nempe uentriculo, inteſtinis, iocinore, liene, ſepto tranſuerſo, ac in ipſo puerperarum utero) crebrò generari accidit, cuius tremulo motu matrix agitata, fœtum in utero moueri puerperæ falſo ſuſpicantur. Hunc inquam tremulum nō in muſculis & alijs membris tantum, ſed præcipuè in corde motum, Græci Palmum appellant. Proinde Galenus inquit, ὥστε ἀνάγκη τὴν ἐργαζομένην τοὺς παλμοὺς αἰτίαν, ἀερώδη τινὰ οὐσίαν ὑπάρχειν. Et certè ſi

Cauſas palmi deſcribit Galen. li.5. de Cauſis ſymptomatum, & libro 4. de Differētijs pulſuū, & li.3. de Prænotione ex pulſu.

De cordis palmo, Galenus lib.5. de Locis affectis, ca.1

magna paruis conferre fas est, quemadmodum uentus uisceribus terrę inclusus, erupturus terram tremulo conquassat motu: sic aer flatulentus musculorum, aliarumque corporis partium, quæ distendi possunt, uelamine circunseptus, eas palmo concutit, donec per distentum uelamen eruperit. Huius causam quum uulgares illi chirurgi ignorent, illic subesse animam arbitrantur. Quare ne ab illis decipiaris, & sanguinem pro anima impurum deglutire cogaris, hæc te celare nolui. Vale. Cæterùm quum phebotomię à nobis facta sit mentio, non intępestiuum arbitror, & hoc de chirurgicorum imperitia, uelut κολοφῶνα adijcere: qui uenam incidendam exploraturi, primùm frigido ex populi baccis unguento inungunt: quod potius sanguinē ingrossare ac regere, quàm ad uenam allicere potest. At ueteres rectius, oleo tantū membrum incidendæ uenæ irrigatum fricabant, ut eius tepore sanguinem fluxilem redderent. unde Galenus inquit, ὡς φλεβοτομουμένοις ἐπισταζόμενον ἔλαιον, εὔρουν ἐργάζεται τὸ αἷμα. Vides'ne obsecro, quantum interest, aliquid ratione duce, quàm sola imitatione fretū, facere? quod simiarum est peculiare quibus: illi iure conferuntur, nihilo illis sapientiores, quum ferè omnia citra rationis iudicium agunt. Iterum uale.

Temerè chirurgos ung. popu. uenam incidēdā inungere.

Veteres uenam incidendā oleo unxisse.

Gal. lib. 2. de Simplici medi. & libro 3. de Cōplexionibus.

VVLNERA EIACVLATORIIS IGNE †*tormentis facta, citra methodum à chirurgis temerè curari.* Epistola nona.

† Brauasolus hæc tormenta ex Græco appellat pyrobolos.

ENIXE desiderasti, ut tibi in bellum cōtra Machometicę factionis princīpē ꝓfecturo, aliquē uulnerarię Medicinæ peritū mitterem, qui pręcipuè uulnera eiaculatorijs igne tormētis illata, ac ardorē pulueris, cuius impetu missiles ex ære aut plumbo tormentorum globi eiaculantur, probè extinguere in uulneribus nosceret. Talis certè chirurgi

operam libens conducerem, quem in bello ἄνδρα πολλῶν ἀντάξιον ἄλλων cum Homero æstimo: quales in Troianæ urbis oppugnatione fuerunt, Podalirius, Machaon, & Chiron Centaurus. Verùm quum hæc noua sint bellica, à Germanis, & mihi finitimis Bohemis reperta tormenta (nisi quis illis honorem inuidens, horum autorem olim Salmonea fuisse contendat, qui, teste Virgilio, flammas Iouis & sonitus imitatus Olympi, demens, Nimbos & non imutabile fulmen cœli, ære simulauit) & nouam quoque requirant curam, à ueteribus speciatim non prius edoctam: ea, me iudice, in censum uulneris ex cõtusione facti rectè referre, ac illorum methodo, prius tamen ærea extracta glande, curare quis posset, quam Hippocrates more Laconum breuiter ita complexus est: εἴ τις δ' ὑπὸ τοῦ βέλους ἐθλάσθη τε, καὶ διεκόπη σάρξ, ταύτην ἰατρεύειν, ὅπως διάπυος ὡς τάχιστα γένηται, ἧττόν τε φλεγμαίνει. καὶ ἀνάγκη τὰς σάρκας τὰς θλασθείσας καὶ κοπείσας, πῦον γενομένας ἐκτακῆναι, ἔπειτα βλαστάνειν νέας σάρκας. Nam quæcunque uulnera cæsim uel punctim telo acuto præcipuè in carnosa corporis parte facta, recens solis emplastris enhæmis & exsicatorijs, citra putrefactionem, curari possunt, ob id etiã minus ardent. At quæ contusa sunt, primùm putrescere, quod non sine ardore fit, oportet. quorum curationem ob id, ut quàm celerrimè, præuia aliquali putrefactione, ad suppurationem promoueantur, exigere Hippocrates hic asseruit. At uulgares nostri seculi chirurgici, differentias & naturas uulnerum ignorantes, illorum curã nulla rationis methodo temerè aggredi audent: quorũ uniuersum curationis scopũ in extinguẽdo uulneris pulueris φ pyrij ardore cõsistere arbitrãtur, quẽ ex puluere tormentorum incendiario (qui ex sulphure, carbonibus tiliæ, ac halinitro conficitur, cuius uix festuca aliqua cum glande missili uulneri ingeritur) oriri suspicantur: qui tam exigua, aut ferè nulla uirtute caustica participat, ut eo non scabiem modò, sed ulcera sordida

Cor. Cel. li. 1. & 7. in procemijs.

Methodũ curãdi uulnera cõtusionis, docet Galen. li. 5. Methodi. Hip. in libello de Vlceribus.

De Nitro hæc Dioſcorides li bro 5. cap. 85. & Plin. li. 31. ca. 10. Galen. de Simpl. medic. lib. 4.

& cacoethica abſtergere & conſolidare uiderim. Taceo quòd nitrum, & eius ſpumam aphronitrum, ueteres Medici contra uentris tormina cum cymino, & bupreſtis, fungorũ, ac taurini ſanguinis uirus, in aqua dulci aut poſca ebibendum dederint. Sed noſtrates uulnerariæ medicinæ ſeplaſiarij, nihil prius ducunt, quàm hũc puluerem halinitri quamprimũ ex uulneribus eluere. quare hic urinã pueri infantis, alter ſerum lactis caprini uulneri inſtillat. At ſi ex Galeno didiciſſent, oleum quod

Gal. de oleo dulci hæc. lib. 2. de Simpli. medicina.

ſit ſalis expers, & aqua ſtillaticij roſarum liquoris lotum, ardorem ex thapſiæ urticę, aut ſquillæ applicatione factum, ſedare: putredinem quoque in ulceribus, ſine qua contuſa curari non poſſunt, promouere, id in principio rectius infunderent. externè uerò ea quæ humorum alluuionem & phlegmonem fieri prohiberent, quamprimum applicarẽt: & deinde reliqua quæ ad uulneris ſuppurationem & abſterſionem, incarnationem & conſolidationem fieri uulneris ratio poſtulat, ritè exequerẽtur. Talem ſi nactus fuero Medicum (qui nobiſcum Cygno nigro eſt rarior) quamprimum ad te mittam. Et tuũ erit officium, ut illum ſuo merito ſtipẽdio & honore digneris. Nam fruſtra merere in caſtris, & gratis mederi, par cenſetur eſſe uitium. Vale.

QVARE VVLNERA IN TEMPORIbus periculoſa, & uenarum ſectio ſteriles facit. Epiſtola decima.

SCISCITARIS, quãobrem alias caluariæ uenas citra noxam incidi, eas uerò iuxta aures ſectas, ſteriles facere, ac uulneratos in temporibus, ſpaſmo, apoplexia, delirio & febre corripi, Hippocrates tradiderit. Cauſa omnibus quidem Anatomiæ peritis, facilè eſt obuia. Verùm chirurgicos tuos, illius ignaros teſtaris: eam tibi cauſam expli-

care

care non cunctabor. Et ut simul intelligas, problema tuũ plus in recessu habere, quàm fronte promittat, causę scrutinium ab humani seminis natura & scaturigine paulo altius repetitum auspicabor. Sperma quidem Gręci definiunt esse πνεῦμα ἔνθερμον ἐν ὑγρῷ, ἐξ ἑαυτοῦ κινούμενον, καὶ δυνάμενον τοιοῦτο γεννᾶν, οἷον ἀφ' οὗ καὶ ἀφέθη: id est, Sperma est spiritus calidus in humido, per se mobilis, potens tale generare, quale est à quo emittitur. Hic certè humani embryonis & fœtus in utero matris primarium principiũ & opifex rectè fertur: cuius substantiã, quãuis Philosophorum Medicorumq́ schola ab utili & reliquo totius corporeæ molis & membrorũ alimẽto, in uisceribus exactè concocto, unà cum spiritibus decidi affirmet: & Lucretius poëta id quoque fateatur, dum ait libro quarto,

Semen, adulta ætas quum primùm roborat artus,
Per membra atq; artus decedit corpore toto:

Potior tamen eius pars triplici spiritu turgens, ac cœlesti uirtutis informatiuæ energia imbuta, à cerebro, corde, epate, & spinali medulla, genuina testiculorum uirtute attractiua, per uasa seminaria, uenæ chylis & arteriæ magnæ, instar capreolorũ uitis intortas propagines: ex lumborum quoq́ uenulis, in testium anfractus, chremasteras & epidemiadas attracta, quũ in sinuosis illarũ anfractibus exactius coctum & dealbatũ semen fuerit, tandem in Veneris conflictu, per uariciformes parastatas, uelut per tubulos & elices, in canalem penis defertur, ac tandem in matricis loculos effunditur. in quibus uirtutis informatiuæ adminiculo, ex utriusque parentis semine, & materno per acetabula in uterum attracto sanguine, fœtus ad parẽtum similitudinem effingit: eos'que parentum, ac non rarò proauorum næuis, cicatricibus, & stigmatibus, aut cogitationis simulacris, desideratæq́ rei figuris insignit. Nec mirum. nam perinde ac magnes suam uirtutem per cohærentes' ordine acus in quartam & ultra effundit: sic natura uirtutem animæ informatiuam

Hip. in lib. de Sperm. de cap. uul. de aere & aqua. Auicẽ. 20. tertij, cap. 3. *Gal. in libro Definitionum.*

Lucretius Epicureus lib. 4.

De istis uasis spermaticis omnibus, exactè Gal. lib. 14. de Vtilit. particul.

Admirãda uirtutis informatiuæ energia.

Aßimilationis prolis uera caussa formalis.

Quare nepotes annis & non parētibus, aliquando assimilētur. Aristo. li. 1. de Gener. animal. ca. 18. Pli. li. 7. cap. 12. Lucretius libro 4.

formatiuam de ſemine in ſemen diffundit. Hinc accidit, ut crebrò auorum notę in nepotibus eluceſcant, poſt plures affinitatis gradus. Redditur enim (ait Ariſtoteles) poſt plura genera ſimilitudo: ut in Helide, quæ cum Aethiope cōcubuerat, nō filiā Aethiopi colore ſimilem enixa eſt, ſed natus ex filia Aethiops erat. Sic Niceus poëta Byzantius, à candido utriuſq; parentis colore in auū Aethiopem degenerauit. Quod Lucretius perbellè his uerſibus teſtatur, libro quarto:

Fit quoq;, ut interdum ſimiles exiſtere auorum
Poßint, & referant proauorum ſæpe figuras,
Propterea: quia multimodis primordia multi
Miſta, ſuo celant in corpore ſæpe parentes.

Et ne cauſam ſimilitudinis, tantum in attentam mentis cogitationem referas, en in Cydone inſula plurima Medica malus naſcitur, quæ poma Priapo ſimillima ferunt: harum ſemina in aliud ſolum ſata, cum in arborem adoleuerint, quædam poma mentulæ hominis ſimillima proferūt: alia uerò in naturalē citrij mali ſimilitudinē rurſum degenerant. Quam in producenda prole & fructibus uarietatem, dum cauſa materialis uirtutis informatiuæ actioni reſiſtit, accidere arbitror. has admirādas prolifici ſeminis uires, uirtutis informatiuæ participes,

Pererudita Zenonis Stoici de ſpermate definitio. Galen. lib. Diffinitionum. De uirtute informatiua Gale. in fine lib. de Forma. fœtus.

Citieus Zenon Stoicus erudita breuitate in ſua ſpermatis definitione ſingulas complexus eſt, his uerbis: σπέρμα ἐστὶν ἀνθρώπου πνεῦμα, ὃ μεθίησιν ἄνθρωπος μεθ' ὑγροῦ, ψυχῆς μέρους ἅρπαγμα, καὶ σύμμιγμα τοῦ τῶν προγόνων γένους, οἷόν τε αὐτὸ ἦν, καὶ αὐτὸ συμμιχθὲν ἀπεκρίθη. Id eſt: Sperma eſt hominis ſpiritus, quem cum humido emittit, partis animæ ſpolium, & generis proauorum permixtio: quale enim ipſum erat, tale permixtū excernitur. Accipis iam, Zenonem, ſemen, ob eius uirtutem informatiuam per ſe nobilem, eſſe partem animæ teſtari. quod ob id etiam eſſe animatum, bona philoſophorum pars affirmat. Et uelut anima per uniuerſos corporis artus diſperſa, ipſa tamen

cerebrum uelut Palladis arcem præcipuè incolit: sic & uirtus informatiua cœlestis animæ dos, in plantarum & animalium singula membra diffusa, in cerebro præcipuè residet. Vnde huius & prolifici seminis potiorē partem à cerebro, & spinali medulla, per uenas & arterias temporum ac lumborum ad seminaria defluere uasa indiciū est, quòd coeuntes in spermatis effusione oculis nictāt, & quod coitu cerebrū exiccatur. Vnde qui salaces sunt, citius caluescunt. Hinc illud in triumpho Iulij Cæsaris scōma proclamatū fuit: Romani seruate uxores, mœchū caluum adducimus. Et cuidam petulantissimo histrioni, dissecto post funus capite, exigua cerebri portiuncula reperta fertur. Quare spadones, quum coitu cerebrum eorū nō exiccetur, ac pueros nō caluescere, Hippocrates rectè diffiniuit: & boues ectomi, id est, castrati, maiora ferunt cornua. inde & passerum cerebrum, quum simile nutriat suum simile, ad salacitatem conferre, plerisque persuasum est. Rectè igitur Hippocrates ait, quibus prope aures uenæ incidūtur, eos in ueneris actu quidem sperma effundere, uerùm modicū, imbecille, & sterile. Nam, inquit, plurima seminis pars à capite per uenas iuxta aures in spinalem medullam defluit: quibus cicatrice obductis, geniturae meatus obstruitur. Et proceres Scytharum, incisis iuxta aures uenis sterilescere affirmat. Et illud Galenū, fidum Hippocratis interpretem, ignorasse, Auicenna mihi non persuadebit. Cæterùm illud magis admiratione dignum, quod idem Hippocrates prodit, secta quæ per tēpora fertur uena, & uulneratos in tēporibus, apoplexia, spasmo, ac soporifero caro, delirio, & febre corripi. Qui uerò temporum cranei, ex ossibus, musculis, neruis, uenis & arterijs carotidibus cōstitutionem nouerit: hic planè cognoscet, quare tam grauia symptomata uulnera temporum excipiāt: quorum ossa frontis ossibus, cuneoformi ac iugali inserta, ab utroque caluariæ latere, quia sua canicie & macilentia ęta-

Qua ratione genitura ex cerebro & spinali medulla ad uasa spermatica fertur, Hippoc. lib. de Naturis ossiū docet.

Quare eunuchi & pueri non caluescant, Hippo. & Gal. lib. 6. Aphor. 28. docent.

De uenis iuxta aures dissectis. Hæc Hipp. in libel. de Aere. & in lib. de Spermate.

Auicēnæ in Galenū calūnia, fen. 20. tertij. cap. 3.

Hæc Hip. li. de capit. uulnerib. & 2. de Articul. Gal. libro 2. de Vtili. parti. *Alexā. Aphro. li. 1. Proble. 1.*

Temporalis musculi propago. Gal. lib. 4. Anato. Hippocr. lib. 3. & 4. Prędi. & lib. 2. de Articulis. *Alij à quarto pari neruorum deriuari aſſerũt hos neruorum ſurculos.* tis annos produnt, tempora dicta ſunt. Vnde nec temerè Homerus, homines à temporum canicie, πολιοκροτάφους appellat. Vt autem cauſam ſymptomatum exactius intelligas, ſcire primùm debes, muſculum cæteris longè præſtantiorem in cauitate temporum reconditum, ab oſsibus uertici ac fronti ſupra aures finitimis, illorumq; additamẽtis & oſſe cuneiformi, Græcè σφηνοειδὴς dicto, & iugali, cũ breui, ſed robuſto tendine, in maxillæ inferioris proceſſum propagari: cui Maſsiter muſculus, ab iugali oſſe prognatus, in ore deliteſcens, tam arctè implicatur, ut ægrè utrunq; ſecernere poſsis. Et ut illi ſuo officio, dilatandi & coarctandi os & maxillam, probè fungerentur, Natura, induſtrius humani corporis opifex, muſculo temporali robuſtas tertij & quinti paris neruorum cerebri, quinq; propagines inſeruit: & ut plus roboris illi accederet, tertij paris neruorum cerebri propaginem & ſurculum circa os temporum, inſtar capreolorum uitis inuolucri intorſit: unde tantum roboris maxillæ & mento accreuit, ut nuper in Auguſtanis comitijs uiderim, quendam hiſtrionem Italum χοινοβάτην funambulum, trabem 20. pedum oblongam, mento impoſitam, nulla apprehendentem manu, ſed tantum in ęquilibrio pendulam, prorſum ac retrorſum, manibus in coxas ſuffultis, geſtaſſe. & alterum in Schleſia, uas aliquot metretarum cereuiſiæ capax, mordicus apprehẽſum, ultra caput poſt tergum proijcere uidi. Quid igitur mirum, tam inſigni temporũ muſculo, quo nullus cerebro propinquior & neruoſior, punctim uel cæſim læſo uel contuſo, patientem conuulſione, delirio, apoplexia, & febre affici, aut ex altero latere relaxari? An oblitus es, puellam in gyneæio noſtro, pugno fatui ad tempora afflictam: quæ multis inde epilepſiæ paroxiſmis conuulſa, tandem ægrè meo conſilio & opera conualuit? Quid tibi commemorem? Nam & tu, qui aderas, probè noſti, equitem in Noricorum Nouoforo, à ſtabulario

Hiſtrionis Schœnobatis robur in geſtãda trabe, Auguſtæ. Gal. lib. 11. de Vtilita. particu. & libro 4. de Prænot. ex pulſ. *Puella pugno ad tẽpora cæſa, facta epileptica.* *Eques lapide in tẽporibus leuiter uulneratus obijt.*

iactu

iactu lapidis in temporibus, leuiter cute ad pericranium usque uulnerata, sauciatum: ad cuius curam septimo die ego accersebar. quum uerò ratione, ac sinistri lateris brachium & crus labascere, & lingua ægrum titubare uiderem, & chirurgũ nulla opportune applicuisse remedia, breui moriturum prædixi: qui tandem 14. die conuulsus obijt. Stabularius uerò prognostico meo cautior factus, ne manus carnificis incideret, fuga sibi cõsuluit. Operę quoque precium est hic obseruare, quàm insignes arteriæ καρώτιδες, soporalis surculi & externæ uenæ iugularis σφαγίτιδες dictæ soboles, per ossa temporum uario plexu dispersæ, in cerebrum & eius panniculos propagentur, per quas, uelut elices, ad cerebri & spiritus animalis alimoniam, defecatior sanguis & spiritus uitalis copia in cerebrum defertur: quibus oblæsis, uel cõtusis, quid mirum, patientem cataphora, uertigine, aut soporifero caro corripi? Vnde hæ arteriæ Græcè Carotides, & tempora in uernacula lingua Schloff appellantur: quibus rectius Medicus peritus medicamina soporifera, quàm fronti illiniret. Hic solers spectanda est indoctæ naturæ industria, quę ne quid temporales musculi detrimenti paterentur, eos omnifarijs ossibus, & illorum agnatis processibus, uelut lapidoso aggere uallauit. Hæc sanè, quum alia caluariæ ossa, quæ densam cerebri mẽbranam cooperiunt, poris fungosa & squamiformi ac serratili suturarum compage, ad cerebri expurgationem cauernosa affinxerit: temporum uerò ossa, ut externis incommodis obsisterẽt, ferè lapidea dotauit duritie: temporalesq; musculos, tam præclari officij organa, osse cuneiformi & iugali (quod Pollux ζυγῶμα appellat) duro, medulla experte, ad patiendum obstinace sepiuit, quorum additamenta uulgus medicorũ ossa paris appellat: quum id scire, non modò chirurgicorum, sed & iudicum (ut quæ uulnera sint lethalia, statuere posśint) intersit, te celare nolui. Vale. Nec certè ante & post Troianum bellum,

Tẽporũ uenæ iugulares, & arteriæ soporales.

Hæc symptomata ob læsis tẽporibus accidere, Gale. libro 2. de Vtil. parti. & de Prænot. ex pul. lib. 4. & in Hippocra. Prædictio. lib. 2. & 3. & de Articulis lib. 2.

Solers indoctæ naturæ industria.

De osse Zygomate Pollux lib. 2. Gal. lib. 2. Hippocr. de Articul. & lib. 2. de Vtil. part.

ulla apud Græcos fuit bene inſtituta reſpublica, quæ nõ ſuos ex ærario publico conductos habuiſſet chirurgos. Ita ſacerdos Aeſculapij in Pergamo, Galenum noſtrum curandis gladiatoribus præfecit. At noſtros imperitos chirurgos, agnita illorũ imperitia uix Libithinæ, ad efferenda uulneratorum cadauera præfeciſſent. Haud uerò iſthæc in eos contentionis ſtudio dico, ſed ut mea lucubratio, ſementem frugi produceret, repaſtinandus erat ager, ne zizania luxuriaret. Reliquum erit Medicorum, quos Celſus phyſicos appellat, errorum ſementa, quæ plus æquo altius radices egerunt, euerruncare.

In Prologo libri 1.

DE MEDICIS QVI SOLA VRINA *indice, de morbi ſubſtantia temerè pronunciant.* *Epiſtola undecima.*

MIRARIS mi compater, quî fiat, ut Medicorũ Germaniæ nomen apud exteros minus celebre ſit, nec ab indigenis magnifiat: quũ tamen, Deo auſpice, Germania omnifariæ eruditionis fœcunda ingenijs, liberalium artium ſtudijs maximè floreat (adeò ut olim generoſus ille Picus, Mirandulæ, ſtemmate & eruditione uerè admirãdus Comes, Tiberim defluxiſſe in Rhenum teſtatus ſit) ſola uerò medicina deſpecta iaceat. Cauſas, mi cõpater, in meo de Republica ſympoſio recenſui quamplurimas, quarum illa eſt præcipua: quòd primaria medicinæ pars διαγνωστικὴ, uel Simeotica, quæ ex ſuis ſignis & hypotheſibus morbi naturam, cauſas & ſubſtantiam docet cognoſcere, uel ignoratur: aut ob deſidiam negligitur, dum uulgus Medicorum ex ſolo fraudulento putidi lotij indicio, morbi eſſentiã diſcernere ſtudet. Atqui apud omnes Medicos in cõfeſſo eſt, principium inueniendæ curationis morborum methodi eſſe, morbi & loci affecti cognitionem, quæ nõ ex urinæ tantum

De parte medicinæ diagnoſtica Gal. lib. 1. Hipp. de Vul. medici officio. *Gal. lib. 2. Therapeu.*

tantum indicio dubio, sed (ut Galen. ait) ἐκ τοῦ πεπονθότος τόπου ἐστὶ, καὶ τῆς ἐν αὐτῷ διαθέσεως: id est, Morbi cognitio ex loci affecti, & illius in ipso præter naturā diathesi uel dispositione habetur: quæ quum sit interna morbi causa, uel ipse morbus, actionem lædens, nil mirum, utriusque signa cognitionis esse ambobus communia. Sic morbus & locus affectus ex ipsius substantiæ partibus, & cōtentis, adhærentibus, actione læsa, & morbi symptomatis dignoscitur. Ex substantiæ loci passi partibus: ut bronchion arteriæ tracheę, tussi eiectum, pulmonis exulceratione & phthisim indicat. A cōtentis certè: ut si chylus aut stercus per uulnus excernitur, uentriculum aut intestina uulnerata esse conijcies. Adnascentia quoque morbum & locum passum indicant. Nā si fracto craneo fungi, quos μυκήτας uocāt, protuberant, membranā, cerebri inuolucrum, affectam esse testantur. Nec minus actionis læsio, eius organū affectum, & morbum ipsum prodit: ut urinæ retentio, ureterarū obstructionem, aut illius indigestę profluuium, quod ad matulam hydropem appellant, renes affectos prodit. Accedunt ad hæc locupletissimi morborum testes, illa inseparabilia morborū accidentia, ob id Pathognomonica dicta, quorum morbus causa est: ut pungitiuus laterum cū febre dolor, non pleuritida morbum modò, sed & mēbranam costas subcingentem esse phlegmone affectam arguit. His quoque perplexas ex arteriarum pulsibus dinotiones, potius quàm incerta urinæ indicia adiunges: quæ nō in uniuersum reijcimus: nec tantum illis, quantum Medici impostores, deferimus. Quanta uerò diligentia Medici ueteres in morborum cognitione desudauerint, uel ex hoc conijcere poteris: qui, ut humoris peccātis naturā deprehenderent, [a] sudores in balneis strigili exceptos, & auriū sordes, degustabāt: nō minus quàm ueterinarij Medici,

Hæc Gale. libro 4. de Prænot. ex pulsu.

Quid sit diathesis, Gal. de Cura per uenę sect. li. 1. Meth. & 2.

Ex quibus habeatur morbi & affecti loci cognitio.

De fungis in fract. cranei, Galen. li. 1. de Loc. affect. & li. 3. Epidem. Hip. Gal. li. 1. de Crisi.

de Diabete hęc nomina, & de Loc. affect. li. 6. cap. 3.

De symptomatis pathognomicis, Galen. lib. de Artis cōst. & libro 6. de Cau. symp. ac libro 1. Hip. de Medici uul. officio. & lib. 4. Reg. acutorum.

a De sudoris, auris sordium, & linguæ coloris indicio, hæc Hippocr. lib. 5. Epidem. & Gale. lib. 3. de Locis affect.

equorum ſtercora, quos ob id Comicorum lepidiſsimus Ariſtophanes σκατοφάγους appellat. Quid ſi, autore Hippocrate, corporis & linguæ colorem certius humorum in corpore & uiſceribus diſpoſitionem, quàm urinã indicare probarem? quæ, non uiſo ægro, uulgus Medicorum obſeruare nõ poteſt. Nam ut croceus in arquato morbo corporis color, fellis obſtructi humorem in corpus redundare: ſic plumbeus pallidi corporis & faciei liuor, epar aut ſplenem affectũ eſſe, urina certius teſtatur: quos ueteres Medici à colore plumbi Molibdochrotos appellabant.

Ariſtophanis in Pluto locus.

Nec minus id linguæ color, guſtus'que præſtare poteſt. Nam qualis in uentriculo aut uenis redundat humor, dũ turget, tali illius ſapore & colore lingua imbuitur. Quare doctè uenerandus ille ex Choo ſenex inquit, γλῶσσα οὖρον σημαίνει: Lingua, qualis ſit urina, & alij humores, ſignificat.

De linguæ colore, & guſtu, hæc Hippo. lib. 5. Epidem.

Quod ſi pertinacius mecũ contendere uelles, en Galenum, ut communem Medicorum præceptorem & iudicem appello, qui lib. 4. Salubrium, his uerbis litem dirimet: ὁ μὲν ἱδρὼς τῶν κατὰ ὅλον τὸ σῶμα πλεοναζόντων χυμῶν ἐστι γνώρισμα. τὸ δὲ οὖρον ἐκείνων μόνων, ὅσοι περ ἂν ἐν τοῖς ἀγγείοις περιέχονται.

Sudor plus quàm urina de humorib. indicat.

Quãuis hæc ſint primariæ partis Medicinæ diagnoſticę, ſine qua altera pars Therapeutica ſubſiſtere non poteſt, prima elemẽta, tanquam grauiſsimis conuicti teſtibus, tamen non cedunt, nec iſta obſeruant: ſed ſolius urinę indicio freti, domi uelut Alexandrinorum Medici deſides, in ſolio, uelut ſacerdos Apollinis ex tripode, aut anus fatidica ex cryſtallo, non uiſo ægro, ſed tantum inſpecto lotij uitro, bone Deus quàm ambiguè, quàm perplexè, de ægrotantis morbo, ſalute & morte pronunciare, & perfricta fronte (ob uile lucrum, quo ſcortum non mereret) nugari non erubeſcunt. Quanta hîc (obſecro te candide Lector) opus eſt amphibologia, ne in nugis deprehendantur? quod ſi ab anu afferente lotium deprehenſi fuerint, hîc iam dic tu Quintiliane colorem. Sed forſan parum eſſet

De Alexandriæ Medicorum deſidia Gale. li. 2. de Natura hominis. lib. 6. Epidem. & paſsim alibi.

ex lotio

ex lotio nugari, si non ex libro remedia, de quibus nunquam periculum fecerunt, ægrotis non uisis, dictarent: quibus uetus illud adagium ἐκ βιβλίου κυβερνήτης, id est, ex libro nauta, rectè obiiceris. At Hippocrates, & auiti de genere Asclepiadicorum Medici, non ad ostentationem docti, non ex lotio de morbi substantia statuerunt, nisi aliquando de substantia renum, aut uesicæ, aut in illis contenta, per urethra unà profluxissent: sed ex illius colore, substantia, & hypostasi & enneoremate, uirtutis naturalis in præcordijs robur, epatis affectionem, & humorum in toto uasorum uenoso genere concoctionem obseruarunt: ut in febrilibus morbis illorum tempora scrutari, futuramque crisim, an salubris aut exitialis sit futura, præsagire, & purgandi per pharmaca tempus designare possent. Id quod Galenus, fidus Hippocratis interpres, Medicos iuniores his uerbis monet: ἐνδείκνυται γὰρ τὸ οὖρον διάθεσιν μορίων ἥπατος καὶ νεφρῶν καὶ κύστεως, καὶ τῶν τὸ αἷμα περιεχόντων ἀγγείων ῥώμην τε καὶ ἀῤῥωστίαν τῆς τοὺς χυμοὺς γεννώσης δυνάμεως. τῶν δὲ περὶ τὸν ἐγκέφαλον, θώρακά τε, καὶ πνεύμονα παθῶν, ἄλλα συμπτώματα ἐστὶ καὶ σημεῖα. Accipis'ne iam, alia esse morborum, qui circa cerebrum, thoracem, pulmonem, articulos, adde & intestina subsistunt, quàm ex lotio, cognitionis accidẽtia & signa? quę omnia ab ægro prudens Medicus percontando explorare debet. Rectè præterea Damascenus in Aphorismis ait: De ægritudinibus non facilè proferas iudiciũ, nec urinam habeas, nisi postquam ægrum uideris in præsenti, & de singulis eum interrogaueris, & examinaueris. Cui Rasis medicus Arabs his uerbis perbellè in Aphorismis suis astipulatur: Decet magistrum, ægrum interrogare, ut causam ægritudinis interiorem cognoscat, ut postmodum rationale iudicium præstare possit: nec erubescat ægrum interrogare, ut sciat an ægritudo intra uel extra uenas subsistat. At nostrates ex schola Alexandrinorum Medici sedentarij, ne à uulgo inscitiæ arguantur, qui Medicos ex lotio

Galeni adagium, in sola lectione citra experientiã doctos: ex libro nauta.

Quid urina in morbis indicet, & quid in ea obseruãdum.

Hæc Galen. in principio 2. libri Prædictionum Hipp. & libro 2. Prognosti. & lib. 1. de Crisi.

Damascenus in suis Aphoris. & Rasis Arabs lib. 6. Aphoris.

ex lotio omnia nosse credit: de morborum causis & symptomatis ægrum percon̄ctari erubescunt. ac ut se temerario inertis uulgi iudicio accommodent, de morbis ex urinæ indicio nugari non uerentur. O' utinam illis ueritas esset populari aura potior: & à Persio moniti, si quid turbida Roma eleuaret, illius iudicio non accederent: & quàm fraudulentum, nugax & perniciosum sit de morbis omnibus ex urina iudicium, ab neotericis Medicis & impostoribus cum execrādo mortalium exitio introductum, plebem ingenuè docerent, & faterentur: tum morborum naturas ex illorum causis, actione læsa, & signis pathognomicis diligentius scrutarentur. tunc certè plures curarent, celebriusq; illorum nomen apud suos ciues & exteros in auras efferretur. Simulq; à Medicinæ professione agyrtæ, circulatores, monàchi apostatæ, perfidi & Christianis infesti Iudæi, indoctiq; parochiarum sacrificuli, chymistæ, & id genus nebulonum (anus quoque fatidicas ferè præterijssem) exploderentur. qui cum nec prima Philosophiæ naturalis aut Medicinę rudimenta didicerint, impunè per hominum mortes experimentà agunt: quo nihil reipublicæ utilius contingere posset, quàm ut tandem Christianorum populus ab illorum impostorum latrocinio & tyrānide uindicaretur, qui uulgo ignota urinæ obseruatione suam celant ignorantiam, & nomen Medici sibi uendicantes, in Medicinę professionem, ut fuci in aliena apum aluearia, irrepserunt. Ex his tibi patêre causas arbitror, ob quas Medicina, & illius professores, sub nostro cœlo non magnifiant. Vale.

Persius Satyra 1.

AN PHARMACA HVMORES IN MORbis concoquant. Epistola duodecima.

Ex proxima Epistola te abundè intellexisse arbitror, quàm necessaria sit ex lotio & alijs signis, præcipuè in febrilib. morbis, digestionis humorum cognitio: quã nisi Medicus dedita opera obseruauerit, nec morborũ purgationisq; tempora noscet, aut in acutis morbis diætam cõstituere, aut salubres præsagire crises poterit. Non certè frustra diuinus ille Hippocrates, Digesta medicari oportere, non cruda, nisi turgeant, edixit. Verùm quum Arabum schola humorum concoctionem Medicis potionibus, quibus eorum libri referti sunt, quos Syrupos appellant, Ethruscorum uerò schola naturæ uiribus acceptam referat: petis, ut meum de hac contentione iudiciũ tibi declarem. qua petitione nõ tantum mihi es iniurius, sed etiam præter æquũ, me senem, iam rude donandum, qui à cunabulis contentionum litigia abhorruerim, nimis oneras. Cæterùm quia & in hac de humorum digestionis cõtentione, tota prognosticationis & curationis morborum methodus & artificium consistit, & ut me doctioribus explorandæ ueritatis in re tam magni momenti calcar adhibeam, iterum tibi morem geram.

Hipp. lib. I. Aphoris. & li. 2. Epide.

Primùm omnium scito,[a] trinam esse humorũ in uisceribus, uasis ac membris humani corporis digestionem. quarũ prima est merè naturalis, animę uegetatricis soboles, alimentum uirtute caloris naturalis, & congenita membrorum temperie & proprietate in aliam substantiam alteratione transmutans: quæ non solius congeniti caloris & à corde influxi auxilio, sed ingenita quoq; solidorum & similarium membrorũ temperatura & proprietate perficitur. quæ quum in diuersis corporibus & animalibus sit diuersa, inde accidit, ut alimentum sit illis

a Triplicẽ quoque digestionem, nõ adeò diuersam ab hac distinctione, describit Galenus lib. 5. de Simpli. medicina. *De hac Aristo. lib. 4. Meteororum. & libro 1. ac 2. de Historia plantarũ.*

Hęc Auerrois, 5. Colliget. cap. 24. & Gētilis in quæsti. de actuatione medici. Gale. libro 2. de Alimentis. Lucret. lib. 4. & 5. Plin. lib. 10. cap. 23. & 72. Aristo. li. 1. de Hist. plant. Gale. lib. 3. de Simpli. medic.

quoq; diuersum. Vnde hic caseum, alius uinum, nō concoquit & abhorret: coturnices & caprę elleboro, & sturni cicuta, quam Auerrois napellum uocat, uescuntur. De qua re Lucretius poëta Epicureus, ita doctè cecinit:

Est utiq; serpens, hominis quæ tacta saliuis
Disperit, ac sese mandendo conficit ipsa.
Præterea nobis ueratrum est acre uenenum,
At capris adipes & coturnicibus auget.
Quippe uidere licet piguescere sæpe cicuta
Barbigeras pecudes, homini quæ est acre uenenum.

Alexan. in Prolog. li. 1. Problem. Auerrois 5. Colliget. ca. 24. Christoph. Marcel. li. 2. de Anima. ca. 49. Pli. lib. 8. cap. 57.

Qua ratione uenena & pharmaca alimentum fiant, Theophrā. libro 9. de Histo. plāt. ca. 18. Plin. libro 10. capit. 72.

Quod si sola caloris uirtute concoctio fieret, leo struthione longè calidior, aurum, ferrum, & æs quoque digereret: quæ quamuis ignis calore sint inexpugnabilia, struthiones tamen ex his cōflata numismata in horto ducis Ferrarię deglutire & concoquere uidi: & mures, quū metallorum scobem adeò appetant, metalla concoquere, & his nutriri meritò suspicabimur. quos Theophrastus in Syaro insula, expulsis incolis, ferrum quoque arrosisse tradit: quos, arrosis Lauinij argēteis clypeis, Marsicum portendisse bellum: & magnam ad Chalybas, in ferrarijs officinis fecisse iacturā, cōstat. Ob hoc in aurarijs metallis, ob auri scrutinium aluos eorum non rarò excidunt. [a] Sed quis hæc solo calore, quæ uix igne domari possunt, in corporibus animalium confici posse credet? nisi congenita totius membrorum substantiæ hæc coquendi proprietas suberit: cui & edē di cōsuetudo quoq; non paruum concoctioni momentū addit. Si enim lenta & moderata primùm uescendi uenena & pharmaca cōsuetudo accesserit, ea quoq; in corporibus humanis digeri, & in alimoniam conuerti, nemo mirabitur: quum nihil nutriat, quod nō prius naturę uiribus concoctū sit.

[a] *Quare uentriculus nomismata concoquit, qua feruentis aquæ calor uentriculo calidior liquefacere non potest: Theophrastus in lib. de Igne, causam in caloris siccitatem & subtilitatem refert.*

Sic

Sic Thrasias pharmacopola, & pleriq; in Græcia pastores, integros ellebori manipulos citra noxam deuorarunt, & concoxerunt: cuius frequentes potiones, ob pharmaci assuetudinem, Eudemum illum Chium, nec uomitu, nec alui deiectione purgare poterant. Nosti, puellam præsentissimo napelli ueneno nutritam, & puellari uenere decoram, ab rege Indorum Alexandro Magno, dolo, muneri datã. cuius scintillantes & serpentum more nictãtes oculos, quum Aristoteles, illius præceptor, uidisset: Caue tibi ab hac, inquit, ô Alexãder: hac nempe tibi exitium paratur. Nec iudicio Aristotelis defuit euentus. nam plerique proci uirginis commercio intoxicati interierunt. Nemo tamen expertus inficiabitur, ea quæ substantiam & copiam caloris congeniti, & non qualitatem, nisi defectam, adaugent, stomachi quoque concoctionem promouere: de quo genere sunt aromata deglutita, fomẽtationes, catapasmata, exercitia, & frictiones ac balnea, & id genus temperati caloris fomenta: ut catellus aut puer senili stomacho accumbens. Sic Dauid septuagenarius, quum senili frigore torperet, nec pellibus coopertus incalesceret, Medicorum consilio persuasus, spectati decoris puellę Sunamiti Abysagh castè in eius amplexibus condormiuit, ut eius calore stomachi robur foueretur: quibus constat, calorem naturalem & à corde infusum, non modò esse spirituum, naturalis & uitalis uehiculum, sed præcipuum concoctionis organum, & uirtutum animæ instrumentum, ut Aristoteles lib. 2. de Anima testatur, text. com. xxxiij. [a] Est & alia in morbis dicta cruditatis humorũ digestio, quę ut prima in cõseruatione sanitatis, sic ista in morborũ cura à medico est summopere obseruanda: in qua alimentum in potentia, ob genuini caloris imbecillitatem, aut com-

De Thrasia & Eudemo hæc Theoph. li. 9. de Hist. plan. ca. 18.

De uirgine hac napello nutrita, Arist. in li. de Regimine principum, & Auerrois in Proœ. tertij physicorum. Gale. libro 3. de Nat. simpl.

Quæ digestionẽ stomachi & cruditatis promouẽt, recẽset Galenus libro 2. Epidem. Hipp. & in lib. de Salubribus, et Methodo.

De pueris & catellis, hæc Gale. libro 5. de Simp. med. & in Therapeutica.

De Dauide hæc Iosephus lib. 7. Antiquitatum. ca. 15. & Regum 3. capi. 1. ac diuus Hieronymus parte tertia Tracta. 3. epistola septima.

a *Secundæ digestionis descriptio.*

plexionis uiſcerum intemperiem, aut eius inaptitudinem, in humores putredini obnoxios concoquitur, qui tandem morborum alimenta fiunt: quorum digeſtio (ut Galenus ait) eſt alteratio, ceſſare faciens putredinem, remanente ſubſtantia: quam calor naturalis, primarius omnis concoctionis opifex, in benignum corporis alimentum conuertit, & uirtutis diſcretiuæ adminiculo benignum à putrido aut corrupto ſecernit: quod tandem natura per criſim, aut ſi ea defecerit, Medicus per pharmaca expurgat. In hac ſanè humorũ concoctione Medicus naturæ auxiliares manus cum diæta & pharmacis ferre poteſt, ut putrefactionis cauſa (quæ, teſte Ariſtotele, eſt in humido caloris naturalis, ab extranea caliditate deſtructio) facilè extirpetur, & ceſſet putredo. nam ſi calor naturalis à præternaturali diſſoluitur, diæta & medicina frigorifera illi ſubueniet: ſi cruditate aut frigore languet, calidorum uſu fouebitur: ſi copia humorum aut crapula obruitur, abſtinentia & exercitio exonerabitur. Si uerò uiſcerũ imbecillitas & intemperies concoctioni obſtiterit, Medicus alterãtibus & corroborãtibus opem feret. Quod ſi ob prohibitã inſenſilem per poros trãſpirationem, & internam uiſcerum ac uaſorum obſtructionem (quæ non raræ ſunt putredinis cauſæ) calor putredinalis efferbuerit, frictionibus, ſudoriferis, & deopilatiuis Medicus naturæ ſubueniet. Et quamuis hęc non ſint contemnenda concoctionis humorum ſubſidia, & putredinis remedia: niſi tamen calor naturalis prȩualuerit, pharmaca ne tantillum quidẽ efficient. & ob id pharmacorum exedentium actiones in cadaueribus torpẽt, nec piper inſperſum ea calefaciet,[a] & ulcera morituri, qui buſuis cooperta emplaſtris, nulla ſanie madida, liueſcere uidemus: adeò nihil pharmaca citra naturæ uires pollẽt. [b] Quare hanc quoq; humorum concoctionem nõ pharmacopolarum ſyrupis, ut Medicorum uulgus credit, ſed

Hanc digeſtionẽ Gal. li. 5. de Simplici medi. tertiam humorũ alterationẽ appellat.

Gale. in 3. Microtechni, digeſtionis definitio.

De putredinis ſpeciebus lege Gale. lib. 1. de Diffe. febrium. ca. 7. & 8.

De uirtute diſcretiua cõuenietis ab incõuenieti, Auerrois ſecundo Colliget, ca. 7. & 9. & 3. Col. cap. 16.

Putrefactionis definitionem ponit Ariſtot. lib. 4. Meteororum.

Putredinis cauſæ et remedia.

a Signa morituri ex ulceribus.

b Digeſtio eſt opus naturæ, non artis, aut ſyruporum.

naturæ

naturæ acceptã referimus: quæ si euicerit, ut in abscessibus & tuberculis, pus album, leue & concretum producit: sic in humoribus uenarum & arteriarum hypostasim quæ in urina subsidet, leuem & candidam, puri cõcocto similem producit. quæ præter alia est præcipuum digestionis & recuperandę per crisim sanitatis signũ. Vnde Hippocrates, πέπασμοὶ, ait, ταχυτῆτα κρίσεως, καὶ ἀσφάλειαν ὑγιεινὴν σημαίνουσι. Et rectè quidem ueteres cõcoctionem humorum, quę in conceptaculis uenarum fit, apostematum digestioni contulerunt: in quibus nullam medicaminibus saniem cõcoctam producere poteris, nisi prius affecti membri inflammationem & intemperaturam sustuleris, & apostematis materia concoctioni apta fuerit: id est, à calore naturali euincibilis. Quare cancręna, elephantiasis, ulcera, & ipse cancer, nullis medicamentis ad maturationis suppurationem promoueri possunt: quæ ob id non curari, nisi sectione aut ustione, rectè Hippocrates admonuit. [a] Sic quoque si in uenoso uasorum genere aut uisceribus internis extraneus calor aut humorũ cruditas caloris naturalis uires superauerit, aut materia morbi cõcoctioni reluctatur, ut in elephantiasi, nullam exactam humorũ digestionem [b] uel in urina laudabilem hypostasim produci uidemus. [c] Tertia uerò digestio est, humorũ ad excretionem præparatio, quæ maximè ante purgationem, operã Medici requirit, ut suis ex thymo, pulegio, ysopo, origano, & alijs melicrato incoctis potionibus, humores crassos attenuet, lentos incîdat, ac uiscerum & uenarũ obstructiones aperiat. Nam ut Hippocrates ait [d] corpora cũ quis purgare uoluerit, oportet fluida facere. Hæc de digestione te latêre nolui. Vale. & hãc postremam digestionis speciem artis industrię debemus, quam Medici herbarum, radicum, & id genus

Similé hypostasis & puris generationẽ declarat Gal. libro 1. de Differ. febriũ. ca. 7. & li. 2. Hip. de Fract. ossis.

De signis digestiõis Gal. in fine libri 4. de Prænot. ex pul. & passim in lib. 1. & 2. de Crisi.

Hip. lib. 1. Epidem.

Quare cãcer & elephantiasis ulcera non suppurentur, nec curentur.

a Id in Aphori. Hip. monet.

b Huius digestionis præparatoriæ meminit Gal. li. 4. Salubr. & libro 6. Epidem. Hippocr. & lib. 1. Aphoris. penultimo. Auicenna lib. 1. Fen. 1. doctr. 6. cap. 3.

c Tertia digestionis species.

d Hippocrat. lib. 1. Aphorismo penultimo.

medicamentorum simplicium decoctis, quæ Zulapia Actuarius indigitat, moliuntur. Iterum uale.

DE CALORIS NATVRALIS SVBSTANtia & differentijs. Epistola 13.

CONQVERERIS, mi cõpater, pręcipua de causis naturalib. & naturæ operibus problemata, ideo esse obscuriora, quòd quum frequens in illis fiat caloris naturalis & uirtutis informatiuæ mentio, nulla tamen de illorũ substantia & nominibus constans in Philosophorum & Medicorum scholis sit assertio. Hoc certè ideo fieri arbitror, quum calor ille, unà cum prolifici seminis uirtute informatiua, sint præcipua in obeundis naturæ operibus animæ organa, quòd de animæ substantia, quam se ignorare Galenus fatetur, inter philosophos non cõueniat, necesse sit & illos in rerum definitione & nominibus, quæ (teste Platone) à genuina proprietate rebus imponuntur, dissidere. Vnde Hippocrates & Galen. hunc calorem modò spiritum cõgenitum, animam, naturam, modò corporis temperaturam, non rarò quoque uirtutem informatiuam appellant. Proinde ut hunc scrupulum tibi eximam, paucis caloris species & uirtutis informatiuæ naturam tibi declarabo. Et est sanè calor qualitas tactu perceptibilis, cœlesti & animarum uirtute moderata, actionum naturalium opifex & organum. Ac quidam est simplex, alius uerò compositus. Simplex uerò in elementalem & cœlestem diuiditur: Elementalis uerò, qui est edax ignis feruor, quum sit substantia λεπτομερέστατος, in cuncta eius obiecta penitius grassatur, eaque uel in substantiam suam commutat, uel depascitur. Quare solus de elementorum numero ignis nutriri & augeri creditur, qui nisi admixtione innati & cœlestis caloris mitigaretur, & ab animæ uirtutibus coerceretur, alimoniam cunctarum rerũ naturaliũ insumeret, quem ideo

Gale. fatet se animæ substãtiam ignorare, libro de For. fœtus. & libro 7. de Vtil. part.

Gale. in libel. de Rigore, & de Marasmo, li. 1. Aphor. 14. & 15.

Caloris simplicis diuisio, & elemẽtalis definitio.

Arist. lib. 2. de Gener. animal. ca. 3. Auer. 12. Metaphys. Com. 18.

ideo rectè Aristoteles cõcoctionis & nutritionis causam aut organũ esse negat, nullumq́ ex eo animal nutriri uel produci affirmat. Pleraq́ tamen animalia in igne uiuere posse, sed nõ ex eo nasci, de Animaliũ historia scriptoribus cõdonamus, ut pyraustã, [a] pennatũ quadrupes in ærarijs Cypri fornacibus per mediũ ignem uolare & oberrare: salamandrã quoq́ lacertã cute squamisq́ carentẽ, impunè in igne uersari & uiuere non negamus, quẽ uiruletõ suo frigore tẽperat uel extinguit. [b] Vnde Andręas Græcus inquit: κἂν τοῦ δ' αὐτῆς ἢ χεῖρα ἢ ἐσθῆτα χρίοις, ἀβλαβὴς ἔσαι ἐκ πυρός. id est: Si salamãdrę sanguine manus aut uestes inunxeris, igne non adurentur. Vnde uulgus ex salamandræ pennis, quas nullas habet, mappas incõbustiles fieri nugatur: quæ ex amiãtho [c] lapide netili, alumini scissili simillimo, cõficiuntur, quarum sordes ignis illęsa mapparũ substãtia abstergit & expurgat. Alius est simplex ille cœlestis calor, qui siderũ motu et lumine omnia corpora concauo lunæ orbi subiecta penetrat, uiuificat, & fœcunda facit. Huius affluxu uer [d] & æstas frugum & florũ amœnitate, uelut copiæ cornu exuberant: insecta quoque, muscæ, angues, ranæ, hirundines, quæ brumali frigore semimortua rimis tabularum, medullis sambuci, cauernis littorum, ac intra arborum caudices, sese illatebrarunt, en reuiuiscunt. At rursus illius & solis à tropico cancri ad Antichthones discessu, cuncta squalent & marcescũt. Hic ille est uiuificus calor, qui cœlestia [e] cum terrenis ineffabili sympathia et cognatione cõnectit, admirationeq́ dignos effectus producit. Oriẽte nẽpe canicula, mare æstuat, feruent & fluctuant in uasis uina. A' Pleiadum occasu, ipso brumali die, pulegium suspensum in tectis & coronis floret, muriũ iecora & fibræ augentur, folia in oleis ac populo, pleraq́ malorum semina in pomorum meditullio sese circũagunt, fides citharæ id

a De pyrausta & salamãdra hæc Arist. lib. 5. de Natur. animal. ca. 19. & Plin. lib. 10. cap. 67. & lib. 11. ca. 35. Theophr. in lib. de Igne.

b Hæc Nicandri interpres in Alexipha.

c De amiãtho hęc Dioscor. li. 5. ca. 100. Plin. lib. 36. cap. 19. & li. 19. cap. 1.

Caloris cœlestis & ætherei definitio.

d De hac cœlesti rerũ natural. cũ siderib. sympathia Aristot. sectione 20. Proble. 21. Cicero lib. 2. Diuinat. Pli. li. 2. ca. 40. & 42. Gellius lib. 9. cap. 7. & lib. 20. cap. 7.

e *De calore cœlesti accuratißimè scribit Franciscus Picus lib. Prænotionum. 5. cap. 5.*

temporis

temporis alieno ictu resonant. Quid referam, pro lunari luminis motu, decremẽto & augmento, ostreas, cãcros, conchilia, & id genus ostracodermorum, adde & ipsa animalium cerebra, ælurorum oculos, & ipsum cępe humescere, uel augeri, aut tabescere? Quũ nautæ nouerint, lunæ motu maris æstus & refluxus gubernari. Rectè Lucilius inquit: Luna alit ostrea, implet echynos, muribus fibras & iecur addit. Minus sanè ista mirabitur, qui herbam heliotropium, uenerandam solis pedissequam, ad illius motum conuerti, eiusq; flores sole oriente expãdi, & sole occiduo rursum plicari & cõstringi obseruauerit. Hæc cuncta cœlesti siderum calori, qui diuinum solis & stellarum uirtutis fertile est uehiculum, accepta referre oportet. Et si Cleanthi creditur, nec æthereus ille ignis suo fomẽto caret: cuius causa, Oceanus ideo sub torrida cœli zona & zodiaco situs est, ut quum sol ceteris stellis erraticis comitatus, illius circuli latitudinem oberret, ex subiecto oceani humore habeat alimoniam. Illius ergò poëtæ Oceanum & Thetim, deorũ & stellarum finxere parentes. Et Homerus, teste Macrobio, diuinarum omnium inuentionũ fons & origo, finxit, Aethiopes oceani accolas, ac cœlestiũ epularum reges, Iouem cum cæteris dijs ad epulas inuitasse.

De ętherei ignis aut caloris alimento, hęc Cicero lib. 2, de Natura deorum. Macrob. de Sõnio Scipion. lib. 2. Lucret. lib. 5. Pli. lib. 2. ca. 9. & 10. Aethiopes deorũ hospites. Homerus passim, & lib. 1. Odys.

Tertia caloris species.

Tertius uerò calor compositus, complexionalis, naturalis quoque dicitur, qui in generatione mixti, ex mutua elemẽtorum actione, & primogeniarum qualitatum, pro suscipienda forma substantiali, refractione resultat: seminibus, plãtis, & humido radicali, in omnibus animalium membris, præcipuè ex sanguine concretis, insitus. nec nisi mortua, ut in cancræna, deserit: qui, ut ignis in lãpade oleo, sic ille in mẽbris humido congenito, sanguine, spiritu, & cordis calore fouetur: qui quum sit actionum naturalium instrumentum, & ferè coadiutor per animæ uegetatricis uires, de potentia in opera concoctionis & nutritionis producitur, quas ex primis spermatibus cõcipit, & his (ut ferrum

rum magnetis uirtute) imbuitur. quẽ Hippocrates passim ἔμφυτον θερμὸν, id est, calorem innatum & congenitum appellat, qui (ut Galenus ad Glauconem, & nonnulli philosophi ac medici summi arbitrati sunt) fortassis substantia uirtutum existit, aut saltem primariũ & maximè necessarium ipsarum instrumẽtum. Et in Epidemijs ait, hũc τῆς ζωτικῆς δυνάμεως οὐσίαν, εἶναι τὸ ἔμφυτον θερμόν. Atqui Galenus de substãtia animæ dubius, hunc calorem congenitum modò animam, aut naturã, siue corporis temperaturam, ac non rarò spiritum appellat. Vt in 5. libro de Simplicium pharmacorum uirtute, ait: Oportet nos cognoscere congenitum calorem ab Hippocrate dici, id quod in unoquoq; animali spiritum nominamus. Nihil quoque obstat, sanguineam & aeream substantiam, unà cum spiritu congenitum calorem dici, quem Stoici substantiã animæ esse arbitrantur. Habes hic, mi compater, compendiariam triplicis caloris, ignei, cœlestis, & congeniti, quem naturalem & in corporibus uiuentium animalem quoque appellamus, explicationem: quorum differentias Cicero magis ab effectu, quàm à substantia, aut ratione formali, in libro secundo de Natura deorum explicat. cuius uerba, ut summi philosophi atq; oratoris, in scholis Medicorum non uereor adducere. Ergo, inquit Cleanthes, quum sol igneus sit, Oceaniq; alatur humoribus, quia nullus ignis sine pastu aliquo posit permanere: necesse est, ut ei similis sit igni, scilicet elementali, quem adhibemus ad usum, aut ad uictum: aut ei qui corporibus animantium continetur. Atqui hic noster ignis, quẽ usus uitę requirit, cõfector est & consumptor, idemq;, quocunque inuasit, cuncta disturbat ac dissipat. Contrà ille corporeus & uitalis & salutaris omnia conseruat, alit, auget, sustinet, sensuq; afficit: cui solis calor simillimus est, quum is quoque efficiat, ut omnia floreant, & in suo quæq; genere pubescant. Hæc ex Cleanthis philosophi sententia Cicero repetit, & probat. Verùm

De caloris naturalis substantia, uerba Galeni ex 2. libro ad Glauc. & ex 6. Epid.

Ex Cicerone, caloris ignei, animalis, & cœlestis differentiæ.

Quartus calor à corde influens dictus. præter naturalem & congenitum calorem, ut Galen. de Formatiõe fœtus refert, est alius in corporibus animaliũ calor, cuius uehiculum est spiritus uitalis ex defecatiori sanguine in sinistro cordis uentriculo genitus, cuius in animalibus cor esse fons & clibanus rectè asseritur. Nam perinde ac solis lumine & tepore, reliqua sidera cuncta illustrantur & calent: sic hoc cordis calore, qui per arterias omnibus membris & præcordijs influit, ea fouentur & incalescunt, quo congenitus membrorum calor uiget & cõseruatur. quod uel ex hoc cõijcere potes: quamprimùm cor narcoticorum frigore alget, reliqua cũcta corporis membra torpent & frigent. Quare & hic actualis à corde influens calor appellatur, qui innatum calorem membrorum de potentia ad actum excitat, & manifesta & occulta corporis per arterias & pulmonem inspiratione conseruatur, ac utraque corporis expiratione, à fuligine expurgatur. quare & aeris serenitas, ad illius & ingeniorum ac sanitatis uigorem magnopere confert.

Hæc cum noueris, facilè à cõtrario, quid sit calor præternaturalis, aduentitius, & putredinalis, statuere poteris. Reliquum esset, ut te quoq;, quid de uirtute informatiua philosophi ac Medici statuerint, & ego sentiam, certiorem redderem. Verùm quum nuncium, qui domum accelerat, diutius detinere non possim, id quod recepi me facturum, proximis literis expediam. Vale.

DE VIRTVTE INFORMATIVA.

Epistola decimaquarta.

DVM ex Bononia, omniũ bonarũ artiũ Musæo, uisurus Venetias Ferrariã proficiscere, ac mœnia illius urbis, quæ tum instaurabant, perlustrarem, en forte fortuna uenit mihi obuiam Leonicenus, uir de instaurata medicina benemeritus, quam à multis Arabum erroribus & barbarie

uindicauit:

uindicauit: quem quum plurima salute impertijssem, simulq; orarem, ut si qua Hippocratis aut Galeni opera latinitate donasset, illorum me redderet participem. tum Leonicenus (ut literis semper cōiuncta est humanitas) benignè respondit: Mi Langi, tuam salutationem beneuolo amplector animo, & uicissim quoque te saluere iubeo & opto: modò uerò nihil te dignū sub Chalcographorum incude habeo. Sed nolo te latêre, inter nostrates Medicos, Cæsarem Neapolitanum, & Franciscum Caballum, de uirtute informatiua esse eruditam altercationem, de qua olim cum Marsilio Ficino ex Platonis Academia multa disserui: & quādoquidem de eius substantia inter Aristotelem, Galenum, & Auicennam est ingens dissidium, de illa modò Commentarium parturio, propediem editurus. Hæc ille. Quod si de hac Marsilij & Leoniceni scripta prodijssent, ne uelut anser inter olores obstrepere uiderer, consultò tacerem.

De uirtute informatiua Auicenna li. 1. Fen. 1. doctri. 6. cap. 2.

Cæterùm, quum boni uiri officium, promissa præstare, requirat: meam de hac re tam ardua opinionem te non celabo. Virtus sanè informatiua est, spiritus in aerea seminis substantia contentus, uirtutibus animæ uegetatricis imbutus: suo calore uiuifico, solis & stellarum calori proportionalis.

Virtutis informatiuæ definitio.

Tria nempe in seminis substantia continentur: Spiritus, quo eius substantia turget & spumescit (ideo non temerè Venus Aphroditis dicta, ex spuma æquoris nata fertur) deinde calor congenitus, utriusque parētis semen ad embryonis plasma & fabricam præparans, & concoquens: hunc cum calore spiritum Aristoteles in libello de Mundo, his uerbis eruditè describit, ἡ δ' ἐν φυτοῖς καὶ ζώοις, καὶ διὰ πάντων διήκουσα ἔμψυχός τε καὶ γόνιμος οὐσία, πνεῦμα λέγεται.

Venus ex spuma nata, aphroditis dicta.

Postremò uirtus animæ uegetatricis, quam Stoici, Plato & Hippocrates naturam appellant, quæ materiam embryonis unà cum cœlestis caloris influxu effingit & delineat. Hæc sanè in substantia seminis contineri Aristoteles, ingens natu-

Aristotelis solertia.

 ræ lu-

ræ lumen dictus (qui tamen, ut sepia effuso atro sanguine, ne à piscatoribus capiatur, se abscondit: ita is arcana naturæ pleraq; , perplexa breuitate obscurat) cùm alibi, tum præcipuè in lib. 2. de Generatione animalium tradit, dum ait: Inest in semine [a] omnium, quod facit, ut fœcunda sint semina, uidelicet quod calor uocatur: id'que non ignis, non talis facultas aliqua est: sed spiritus, qui in semine spumosoq; corpore continetur: & natura, quæ in eo spiritu inest, proportione respondens elemento stellarum. Naturam [b] uerò in seminali spiritu nil aliud esse ferunt Academici, quàm animã uegetatiuam ab anima mundi, mediante calore solis & stellarum, rationibus seminalibus dotata, & illustrata, secundum quas ex spermate pro idea uniuscuiusq; speciei sobolem effingit, & format. Proinde Plotinus [c], fidus Platonis interpres, naturam hanc ab anima mundi profluere, illius'que esse actum essentialem, & uitam ab ea dependentem, libro tertiæ Enneadis octauo asserit. & Themistius [d] hãc uirtutem informatiuam esse animam in semine potẽtia animato inclusam, affirmat. Proinde ut anima [e] mundi, ab æterna mente, omnium rerũ opifice, ideis & rationibus seminalibus decorata, suo æthereo spiritu, totius uiscera mundi penetrans & fœcundans: non ex spermatibus modò, sed de excrementis quoque (quæ etiam uitali principio & spiritu participare, Aristoteles lib. 2. & 3 de Generatione animaliũ perhibet) secundum intellectuales diuinæ mentis ideas, [f] animalia effingit & procreat: sic in Microcosmo anima hominis diuinæ mentis ac cœlestis animę & stellarum uirtutis particeps, ex spermate, congenito animalis calore, & spiritu, ad suscipiendam formam præparato, sobolem pro illius speciei ratione & idea format & producit. Sic quoque motores orbium &

Augustinus Aristotelẽ naturæ lumen appellat.

a Verborũ Aristotelis de semine, ex lib. 2. de Gene. animal. cap. 3. declaratio.

b Natura in semine quid sit, Drusianus tertio Microtechni, Cõmẽ. 29. Plotinus libro 8. tertiæ Enneadis.

c *Plotinus de natura formatiua quid sẽtiat.*

d Themistius hęc in Comment. de Anima, & 12. Metaphysicę.

e *Animæ mũdi actiones.*

Macrobius libro 1. de Somnio Scipionis, Cicero de Vniuerso, Plato in Timeo.

f De ideis hæc doctè Eusebius, de Præpar. Euang. lib. 11. cap. 10. & Augustinus libro 83. Quæstionum.

siderum

ſiderum intelligentiæ, ſub concauo orbis lunæ cooperante æthereo ſiderum calore & ſpiritu, etiam citra ſemen, in terra & æquore animalia, & illorum (ut conchiliorum, ſerpentum & cancrorũ, & quorundam piſcium) effigies in petris effingit: ac ligna querna, & alia robora, præuia alteratione, & ſtipites terra obrutas in lapides, cotes, & trabes lapideas transformat. Ex folijs braſſicæ, rore madidis, erucas: ex his tandẽ papiliones: ex lignis, uermes, coſſos, & tabanos: ac ex fimo ſcarabeos producit: & ex limo Nili mures naſci, Diodorus tradit. Et quod omnem ſuperat admirationem, ex iumentorum corpore terra obruto, apes: ex corpore equorum exanimato, ueſpas ac crabrones: ex aſinorum uerò, ſcarabeos, admirãda quadã metamorphoſi procreat. Vnde Ouid.

Effigies animalium unde. *Ligna conuerſa in lapides.* *Erucæ.* *Papiliones.* *Coßi.* *Tabani.* *Scarabei.*

Cognita, inquit, *res uſu: de putri uiſcere tauri*
Florilegæ naſcuntur apes. —— Et,
Preſſus humo bellator equus, crabronis origo eſt.

Cui nam hæc niſi cœleſti animæ mundi & ſiderum uirtuti accepta referre oportet? Vnde Ariſtoteles tertio de Generatione animalium, cap. 10. Platonis præceptoris ſui dogma aſſerere coactus: Generantur, inquit, in terra humoreq́ animalia, & plantæ: quoniam humor in terra, ſpiritus in humore, calor animalis in uniuerſo ineſt, ita ut quodammodo plena ſint animæ omnia. Huius ſpiritum poetæ Iouis nomine dignantur. Ob id Aratus, μεσταὶ δὲ (ait) Διὸς πᾶσαι μὲν ἀγυιαί: *Iouis omnia plena,* Hæc cuncta Virgilius, diuino affatus furore, his carminibus complexus eſt:

Principiò cœlum ac terras, campoſq́ liquentes,
Lucentemq́ globum Lunæ Titaniaq́ aſtra,
Spiritus intus alit, totamq́ infuſa per artus
Mens agitat molem, & magno ſe corpore miſcet,

De hac ſpõtanea animaliũ generatiõe Ariſtot. li. 5. de Hiſt. anim. cap. 19. Pli. lib. 11. ca. 31. & ultrà lib. 9. ca. 58. Macrob. lib. 7. Satur. circa finem.

De apũ ꝓcreatione hæc Virgi. 4. Georgi. Pli. li. 11. ca. 20. & Ouidius lib. 15. Metamor. Hiero. parte 3. Epiſto. 32. & interpres Nicãdri in Alex. pharmacis.

Ariſtot. in lib. de Mundo, eadem aſſerit, & Virgil. Aeneid. 6, & 4. Georg. Macrob. lib. 1. de Somnio Scipionis.

Inde hominum pecudumq́; genus, uitæq́; uolucrum,
Et quæ marmoreo fert monſtra ſub æquore pontus.
Igneus eſt ollis uigor, & cœleſtis origo
Seminibus, quantum non noxia corpora tardant.

Accipis'ne modò, à diuina mente, primo omnium rerum principio & opifice, animam mundi ſuis ideis decoratam emanare, & ab ea ſtellarũ ſiderumq́ intelligentias procreari: quarum uirtutes per æthereum ſpiritum & calorẽ, uelut uirtus magnetis ferro, ſeminibus & animabus noſtris illabuntur: quarum adminiculo natura ſiue anima cũcta effingit, format, & producit: niſi materiæ indiſpoſitio obſtiterit, tum monſtra producuntur. Et certè, quod eſt animę rationali mens, id eſſe uirtutem informatiuã animæ uegetatrici, ab orbium motoribus & aſtris cœlitùs datam & communicatam, aſſerimus. & ut mens in architecti intellectu ædificij exemplar fingit, ita uirtus illa informatrix in anima & ſeminibus pro natura cuiuſq́ ſpeciei animalium & plantarum idæas producit. Deinde Galenus iurè libro 3. 6. & 7. de Vtilitate particularum, ſapientiſsimæ naturæ, quamuis indoctæ, ac diuinæ mentis in humani fœtus fabrica, opera admiratur & celebrat. Et his, promiſſa me præſtitiſſe arbitror. Si plura requiris, poteris Platonem, & eius interpretem Plotinum cõſulere: qui in Timæo, cuilibet animarũ generi peculiare aſtrum attributum eſſe affirmat. Vale.

Plato in Timæo copioſius hæc.

Sic polus ſeptentrionalis eſt peculiare aſtrum magnetis.

DE CAVSA MORBORVM CONIVNCTA, *& duplici illorum conſtitutione, uel diſpoſitione.*

Epiſtola decimaquinta.

SCISCITARIS à me, an morbus à cauſa ſui coniuncta differat, & an Galenus quoq́ illã inter cauſas morborũ enumerauerit. Hæc certè te, ut tantũ mihi faceſſas negociũ, quærere ſuſpicor: quum hæc ſolum ſit de uerbis, uelut de lana caprina, altercatio, te indigna. Tamen ne deſiderio tuo in tan-

in tantilla re defuiſſe uidear, rem ſic paucis accipe. Morbus quidem eſt διάθεσις, id eſt, diſpoſitio quædam in animalis corpore, illius primò lædens operationem. At cauſa coniuncta, quam Græci uocant συνεκτικὸν αἴτιον, ἐστὶν, οὗ παρόντος, πάρεστι καὶ τὸ νόσημα, καὶ ἐξαιρουμένου, λύεται. id eſt, Continens cauſa eſt, qua præſente morbus adeſt, & ea ablata, diſſoluitur. Quæ quum de morborum diatheſi quoq; uerè prędicari poſsint, et quorũ definitio eſt eadē, illorũ quoq; ſubſtantiam non differre, in cōfeſſo ſit: morbum quoq; & cauſam coniunctam idem eſſe fatebimur. & quum actiones læſæ, ac alia morborum ſymptomata, ſint illius ſoboles: hanc quoq; cauſæ rationem habere affirmabimus. Vnde ueteres nōnulli Medici, qui actionē læſam nō ſymptoma, ſed morbũ eſſe ſtatuerũt, diatheſim operationes corporis primò lædentem, coniunctam eſſe morborũ cauſam decreuerũt. Sic Gal. lib. de Cauſis ſymptomatum quarto, neruorũ à uiſcoſis humorib. obſtructionem, aut illorũ à torpedinis ſpiritu aut alio infrigidationē, aut coarctationē, ob quā ſpiritus à cerebro in neruos defluere nō poſsit, eſſe cōiunctā ſtuporis cauſam clarè teſtatur. & in ueſtibulo primi de Pulſuũ cauſis libri inquit, τρίτον γὰρ δὴ τὸ γένος τῶν αἰτιῶν, οὐκ ἐν σφυγμοῖς μόνον, ἀλλὰ καὶ ἐν ἄλλοις ἅπασιν, ἓν μὲν τὸ πρῶτον τε καὶ κυριώτατον, ὃ δὴ καὶ συνεκτικὸν καλοῦσιν, ἀπὸ τοῦ συνέχειν αὐτῶν τὴν οὐσίαν, ὠνομασμένον. id eſt, Tertiũ genus cauſarũ, nō in pulſib. ſolũ, ſed in omnibus alijs, unũ eſt primũ & principaliſsimũ, quod continens appellāt, à cōtinendo ipſorũ eſſentiā nominatũ. Et in tertio Paruæ artis lib. Diſpoſitio ea, inquit, quæ primũ operatiōes naturales lędit, quā quidē ipſam dicimus eſſe morbi eſſentiam, uel (ut uetus translatio habet) cauſam. Quid multis? Lege Gal. in 30. Aphor. 7. lib. Cōm. & clarè intelliges Gal. ſpumoſi excremēti in diarrhœa, à cerebri in uētriculũ defluxu facta, ſpiritũ flatulentũ, cauſam illius cōiunctā ſtatuere. Ex his cōfectũ eſſe arbitror, diatheſin morbiferā ac cauſam cōtinentē, eandē eſſe morbi eſſentiam

Morbi definitio à Galeno lib. 2. de Nat. ho. & de Diff. morborum poſita.

Gal. in lib. de Medic. & definitionib. Medicis, ac Auic. can. 1.

Galen. quibus in locis ponat cauſam cōiunctam.

Cauſam quoq; tremoris coniunctā, ponit Gale. in principio lib. 3. Epid. Hippocr. Galen. lib. 1. Methodi copioſè hæc tractat. Idem de Conſt. Med. Morbũ cauſam ſymptomatum nominat.

tiam, non ab Auicenna modò, ſed à Galeno paſsim ſic appellatam: quia reſpectu ſymptomatum, quę ſunt illius progenies, cauſæ rationẽ habeat. Cæterùm quum hæc de nominibus altercatio curam morborum non uariet, plus cõduxiſſet ſcrutari, an morborum cura in ablatione cauſæ pręcedentis, quã Græci προηγουμένην appellant, aut in extirpatione cauſæ continentis, quam συνεκτικὴν nominant, ſubſiſteret. Hæc ſanè ut dinoſcere poſsis, ſcire operæprecium eſt, geminas eſſe morborum conſtitutiones. Vnam, quorũ eſſentia in facto eſſe ſubſiſtit, non amplius à cauſa pręcedente dependẽs, quæ διάθεσιν immediatè lædentem actiones, in corpore producit. Hãc Galenus libro de Locis affectis primo, propriam diſpoſitionẽ uocat, quæ ſeparata cauſa, quæ ipſam fecit, permanere poteſt. De hac perinde à cauſa procathartica, nulla ſumitur remediorum indicatio, quoniã euanuit. Altera eſt, morborum conſtitutio, quorum eſſe adhuc à generatione cauſæ præcedentis & efficientis dependet. Vt uirus ex canis rabioſi morſu conceptum, ac per corporis molẽ diffuſum, per aliquot menſes, aut annos quoq;, uelut quędã pharmaca δηλητήρια, diu deliteſcit, donec uiſcerum & cordis naturã ſenſim infecerit, tũ ſubitò rabies illa canina in hydrophobis emergit. Pariter quoq; mẽſtrui ſanguinis impuritas, quo uiſcera embryonis concreta ſunt, ut puriori eius parte fœtus alatur, aliquot annos intra uiſcera latet, donec eius contagione, ebullitione in ſanguine facta, exanthemata, quæ Arabes uariolas & morbillos uocant, producat. In tali morborum genere & conſtitutione, præcipuè remediorum indicationes à cauſa antecedente ſumunt: qua ablata, morbus quoq; cum ſuis ſymptomatibus unà aufertur. Vt ſi quem dolor capitis ob bilioſum humorem in uentriculo contentum infeſtauerit: aut ſi quis collecto in ore uẽtriculi tenui excremento, ad cerebrum euaporante, ſcotomia laborauerit: uentriculo ab his per uomitum expurgato, hæc ceſſant.

De hac morborum cõſtitutiõe Gal. 3. Paruæ artis li. tex. Cõ. 32. & libro 2. Aphori. 22.

De rabie canis Dioſcor. lib. 6. ca. 36. Gal. de chir. ad Piſo. & lib. 2. Prædictionũ Hippocr. & in tertiũ Hippocr. Epid. librum.

De uariolis & morbillis, hæc Auicẽna libro 4. Fen. 1. Tracta. 4. cap. 6.

De dolore capitis & ſcotomia hæc Gale. li. 1. de Locis affect.

cessant. Hæc ideo tibi significaui, ut potius causarum cognitioni, quàm de nominibus altercationi, animum adiicias. Vale.

AN IN CVRA EXANTHEMATVM PVErorum, & scabiei, ac morbi Gallici, & bubonibus, & erysipelate, phlebotomia aut purgatio competat. Epistola XVI.

Eandē quæstionē tractat Conciliator differentia 180.

PROXIMIS tuis literis significasti, nudiustertius, an in curãdis puerorũ, morbi Gallici, scabiei, exanthematibus, & in ipsa erysipelate, phlebotomia & pharmacum alui deiectoriũ competeret, ingentem inter uestræ urbis Medicos obortam fuisse altercationem: quam ex superiori Epistola, de causa morborum coniuncta, & duplici illorum cõstitutione, ad te scripta, facilè dirimere potuisses: in qua sanè intellexisti, hos morbos, quorum essentia nõ amplius à causa præcedente depẽdet, nec amplius eorum materia in alto corporis, sanguini permixta, præcordijs aut uenis insidet, sed ad externam corporis molem naturæ uiribus integrè protrusa est, nec phlebotomia nec pharmaco purgatorio egere: nisi aliqua illius portio, aut contra naturã διάθεσις, in corpore adhuc reliqua fuerit. Vnde uenerandus ille Medicorum coryphæus Hippocrates rectè monuit: Quæ iudicantur, & integrè iudicata sunt, neque mouere, neque renouare aliquid, siue medicamentis, siue aliter irritando, sed sinere oportere. Has uerò integras humoris noxij excretiones in his morbis plurimum accidere uidemus, quæ cum sanguinis ebullitione oriuntur: ut est febris bubonum, ephemera, sudor Anglicus, erysipelas, puerorum exanthemata: & hanc sanguinis ebullitionem, ut in succis & musto ob aquosa & cruda excremẽta, uel putrescentia, fieri constat. Nam quum in omnium rerum naturalium succis, tria excre-

Hippo. li. 1. Aphor. 20.

Gal. lib. 4. de Simpli. medi. causas ebullitionis succorũ & sanguinis ponit.

mentorum genera contineantur: unum terreſtre, quod in uino fex eſt: aliud aereum, quod dicto quoque in uinis flori reſpondet: tertium aquoſum & crudum, quod tempore aut calore feruefcẽs, in humoribus & ſuccis ebullitionem facit. Sic quum puerorum uiſcera materno ſanguine cõcreta & enutrita, qui ob deſidem mulierum uitã, & caloris imbecillitatem, plus æquo aquoſior, minusq́; concoctus exiſtit: quis nõ illius contagione & ſordibus tenerum pueri corpus conſpurcari, & ſuperfluitatibus redundare credat? Quę cum in maſſa ſanguinis, aut præcordijs, calore febrili incaluerint, tum eas natura, uelut muſtum ebulliens feces, ad externa corporis eructat, unde exanthemata fiunt. Sic quoque ſanguis in epate, aut uenis, utriuſq; cholerę putredine efferueſcens, illius ſordes ad ambitum corporis expellit. Vnde in inguinibus bubones, in alijs membris eryſipelata, ſerpigines, anthraces, & phlegmones oboriũtur. Et cum corpus per criſim à noxijs humoribus integrè expurgatum fuerit, quòd urina, ſanguinis ſerum, ſanorum lotio ſimilis facta indicat: tum fruſtra phlebotomia aut pharmaco ſanguinem purgaremus: & tum potius præfata morborum exanthemata ac reliquiæ & ſymptomata, facilè externis remedijs aut fomentationibus curarentur. Quemadmodum in illa diuturna peſte, quæ Romę Galeni temporibus ſæuijt: His, inquit, qui mortem euaſuri erant, puſtulę, quas exanthemata uocãt, nigræ toto corpore confertim erumpebant: eratq́; intuenti perſpicuũ, reliquias eas eſſe ſanguinis, qui in febre putruerat: quas uelut cinerem quempiam, natura ad cutim truſiſſet, ſicut alia ex ſuperuacuis nonnulla protrudit. Verùm, inquit, medicamentis ad eiuſmodi exanthemata opus non fuit, cum ſua ſponte ſiderent. Sic quoque ego ſcabiem & crurium œdemata, cùm poſt aliarum febrium, tum præcipuè quartanæ febris criſim oborta, ſponte exoleſcere, citra omne medicamentorum ſubſidium, plus centies uidi.

De ſanguine materno Gal. in lib. de Venę ſectiõe cont. Eraſ. med.

Exanthemata & ulcera unde fiant.

Vrina exactæ criſis ſignũ, Gal. lib. 4. Salubrium, & paßim.

De exanthematib. peſtilentialibus, hæc Gale. lib. 5. Metho. & in libel. de Atra bile.

Scabies poſt quartanam, & alias febres ſalubris.

uidi. Quod si tum phlebotomia facta fuisset, aut pharmacum exhibitum, ingens fuisset periculum, ne per eas uenas, per quas materia morbi expulsa fuerat, rursum ad interna uiscera retraheretur. Nam & stomachus famelicus alimoniam uisceribus & membris transmissam, per easdem uias repetere, aliosq́ humores è uisceribus in sinum suũ allicere potest. At quum illa fœda cutis asperitas, uulgò scabies dicta, ex impuro sanguine cholerico, uel adusto, aut feculẽto salsi phlegmatis liquore, permixto oriatur (qualem epar ob suã discrasiam, uel non rarò ex esculentis & potulentis mali succi producit) quẽ natura non confertim, sed sensim cum corporis alimento citra sanguinis ebullitionem ad corporis mẽbra dispergit, & illa sua cõtagione inficit & alterat: unde fit, ut eius successiua regeneratio non modò ab epatis discrasia, uelut ab interna causa antecedente, sed non rarò quoq́ ab obstructione splenis, cuius officiũ est sanguinem expurgare: & à membrorum contagione quoque dependeat: proinde hic opus est, ut nõ modò incisa uena, & crebra alui deiectione sanguis expurgetur, sed & ut epatis quoque intemperatura, splenisq́ obstructio detergatur, corrigaturq́. Et tandem corpore prius sic bene expurgato, operæprecium erit, ut externam quoque corporis molem potionibus ex theriaca sudoriferis, aut balneis, thermis ue sulphureis, aut unguentis ex hydrargyrio confectis, exicces: & ab hac concepta contagionis lue, mẽbra externa quoq́ uindices. Quandoquidem uerò recentis morbi Gallici pustulæ, cũ scabiei præcipuè ferè exanthematibus, magnam habeant affinitatem, quam communia utrisq́ remedia arguunt: ac præter externas cõtagionis causas, ambo ab interna corrupti sanguinis & humorum præcordiorum infectione & sordibus dependeant: quis obsecro, etiam post expulsas ad corporis superficiem pustulas, sanguinis per phlebotomiã & pharmaca euacuationem, in utriusq́ cura, plurimum momẽti

Hãc humorũ per pharmaca retractionẽ Galenus lib. 3. de Viribus natural. fatetur.

De orificijs uenarũ ꝑ quæ corpus purgatur, Alexã. Aphr. lib. 2. Proble. 54.

Generationis scabieĩ causæ.

Hãc pustularũ & scabiei, exanthematũq́ curã Gale. in secundũ Epidemia. Hippo. lib. Cõmen. 6. abũdè docet.

Pleraq́ scabiei et morbo Gallico remedia esse communia.

habere inficiabitur? Certè nemo. Cæterùm uix ullã scio esse ægritudinem, in qua mulieres decoris faciei, ne ea cauis exanthematum uestigijs deturpetur, maiorem rationem habeant. Proinde peculiare est illarum in hoc morbo problema, de quo nondum inter Medicos conuenit, an exanthemata acu aurea argentea'ue sint aperienda. Atqui quum hoc problema ad ueterem Medicinæ artem κοσμητικὴν dictam spectet, quæ naturalem corporis pulchritudinem conseruare docet, ęquum censeo, ut Medicus quid facto opus sit doceat. Proinde si sanies in exãthematib. liuida, aquosa, & indigesta apparuerit, & ea ex aeris contagione pestifera, quam crebrò anteuertunt, pullulauerit, tunc ob acredinem & uirulentiam humorum, ut illorum uirus exhalet, & ne excedant, aperienda censeo: ita tamen, ne illorum crustula, quam Græci ἐφελκίδα uocant, unà auferatur. At si sanies spissa alba & bene concocta fuerit, satius esse arbitror, ea intacta relinquere. Nam in huiusmodi saniei generatione carnem quoque succrescere, qua pustularum uestigia explentur, nouimus. Ea uerò remedia Cosmeticæ artis, quæ Auicenna in hoc morbo refert, plus ad pustularum exiccationem quàm ad illorum delenda uestigia conferunt. Quòd si faciei decorem conseruare uolueris, postquam crustæ sponte deciderint, faciem cum decoctione lupinorum, aut aqua distillationis florum fabarum manè & uesperi abluito, uel liquore tartari usti stillaticio irrigato, & spe non frustaberis. Vale, & animæ pulchritudinem corporis uenustati coniungere stude.

De cosmetica medicina, Gale. lib. de Cõpositione medic. secundum loca.

Auicēna libro 4. Fen. 7. Tract. 2. cap. 5.

AN

AN PHLEBOTOMIA SIT PHARmacis purgatiuis præmittenda. Epistola XVII.

SEDATA nuper cōtentione, nempe an materia morbi ad ambitum corporis expulsa, uenæ sectio & pharmaca excretoria competerent: interim audio, aliam esse altercationem inter uestros Hæmophobos, Erasistrati & Arabum sectatores, Medicos, obortam, qui ob ebullitionem choleræ, omnem uerētur uenę sectionem: nempe in morborum cura, qui tam per phlebotomiam quàm pharmaca, euacuationem requirant, utra præcedere debeat. Verùm quādoquidem discordia Medicorum est pernicies ægrorum, concordia uerò illorum salus, hanc quoque contentionem dirimere studebo. Constat sanè, quòd in omni repletione uenosi uasorum generis, pręcipuè plethorica, si primùm incisa uena corpus euacuauerimus, tum pharmacum postea datum inueniet uenas & corporis meatus non ita refertos, nec obstructos, ut pharmaci uires, natura duce, impeditè totam corporis molem penetrare possint, & mira facilitate noxios educere humores. Si uerò uasa fuerint sanguine, alijs'ue humoribus repleta, tum obstructis circa epar & mesenterium uenis, pharmacum non ferēda alui tormina, cruciatus, & animi deliquia excitabit, ac uenulas diuellet, nihil quoque effatu dignum educet. Proinde Hippocrates in omnibus ferè morbis acutis, in quibus humores non turgent, in phlegmone alijs'ue internis uiscerum tumoribus & apostematibus, & in quibus morbis omnes humores æquè seruata eorū proportione augentur, uirtute & ætate ægroti consentientibus, curam à uenæ sectione auspicatur. At si tantum unus ex illis humoribus præter sanguinem redundauerit, aut computruit, aut exigua fuerit sanguinis boni substantia,

Eadem docet Gal. li. 4. Salub. & auctor libelli de Affectuum in renibus dinotione.

Hippo. hæc lib. 4. Reg. acutor. & Gale. lib. 2. Aphor. 8. docent. Hæc quoque eadem tradit Auicēna quarta primi, cap. 5.

aliorum humorum copia ſuperata, tum primùm ab alui deiectione euacuationem molitur. Vnde Galenus, fidus illius interpres, in libro de Medicina facilè parabili, in cura Iſchiadicæ paſsionis inquit: εἰ μὲν πολὺς εἴη ὁ ἐνοχλῶν χυμὸς, καθάρσει πρῶτον χρηστέον τοῦ λυποῦντος χυμοῦ. εἰ δὲ πληθωρικὸν εἴη τὸ σῶμα, πρώτης ἁπάντων παραλαμβανομένης φλεβοτομίας. Id eſt, In cura doloris coxendicum, ſi multus fuerit infeſtans humor, purgatione primùm utendum erit humoris affligentis: ſi uerò plethoricum fuerit corpus, primùm omnium ſuſcipienda eſt phlebotomia. Illud uerò tacitè non eſt prætereundum, quum melancholia, uelut fex in uino, in fundo uaſorum ſubſideat, & ob eius groſsitiem in expurgatione humorum pharmacis ſit cõtumax: Galenum prudẽter curã cancri ac elephantiaſis & ulcerum malignorum à phlebotomia exordiri. Proinde in libro de Medicamentorum compoſitione κατὰ γένη, gloriatur ſe curam ulceris cacoethici in crure, uaricibus atra bile refertis circũſepti, à uenæ ſectione inchoaſſe, poſtea pharmaco quoque melancholiam purgaſſe, tandem uarices per trãſuerſum incidiſſe: ac ſic ulcus, aliјs immedicabile, feliciter conſolidaſſe. Harum uerò euulſionem, quamuis ſtans animo interrito, ac non contractis ſuperciliјs, C. Marius in uno crure tuliſſe fertur: illarũ tamen curam, morbo uidelicet grauiorẽ, in altero crure pati detrectauit. In huius altercationis diſcuſsione, unà cum Auicenna, pharmaca ea nominamus, quæ uulgus Medicorum electiuè purgare aſſerit. De quorum numero ſunt, uterq; elleborus, & ſeſamoides, thurbeth, eſula, meſereon, aut coccognidium & ſcamonea, quorũ uirus ultra epar per uniuerſum corpus diſpergitur. At aliorum quæ benedicta & lenitiua uocant, qualis eſt manna, terebinthina, caſsia, thamar Indorum, reubarb, epithymus, ſene, & id ſalubrium pharmacorum genus, ac denique cliſteria ex his lenitiuis & medicinarum obſtructiones aperientium & humores uiſcoſos incidentium decocto confecta, horum

Phlebotomiam morbis ex melãcholia cõpetere, teſtatur Gal. libro 2. ad Glauco. & de Atra bile.

De hac ulceris curatione plura Gal. lib. 4. de Cõpoſi. medic, & in lib. de Atra bile.

Varices ſectione & euulſiõe curatæ.

De C. Mario, qui ſepties cõſul fuit, Pli. lib. 11. cap. 45. & Plutarchus in Apoph.

Auicenna Fen. quarta primi, ca. 5.

rum inquam usum ad eluẽdas uentriculi & intestinorum sordes & excrementa, ne his uirtus pharmaci obruatur, & ratione uacui, in uenas phlebotomia exhaustas, succedant: ut his quoque obstructi uenarum mesenterij meatus aperiantur, ante phlebotomiam & pharmaca fortia non repudiamus. Nec alio nomine apud ueteres Medicos, ante fortia solutiua, & ex ellebore aut narcissi cepe, uomitiua pharmaca, usus syrnesmorum inoleuit, qui erant mediocres ex melicrato & alijs lenientibus & abstergentibus euacuationes, quas nostri seculi Medici minoratiuas appellant: horum tamen omnium recta administratio ex [a] prudẽtis medici iudicio coniecturali dependet: id quod frequenti usu & rationis exercitio in explorandis morborum causis & curis tibi comparare poteris. Vale.

Minoratiuæ euacuationes erãt apud ueteres quoque humorũ ad excretionẽ præparatoria, sicut apud Alexãdrum & Actuariũ nõnulla apoxemata.

De syrnesmis hæc Galenus in 2. Hippoc. de Articulis librum.

a Prudẽs medici iudiciũ usu & ratione constat.

AN CVRANDAE PESTIS METHODVS *tam per phlebotomiam quàm pharmaca euacuationem exigat, & quæ sit alteri præmittenda.*
Epistola XVIII.

VERVM id esse, ingenuè fateri cogor, omnes encyclopediæ artes, uelut circulo quodã adeò cohærere, ut altera sine alterius ope subsistere non possit. Ita quoque fateor, Medicæ artis problemata, uelut anulos in aurea Platonis cathena, adeò esse conexa, ut alterum sine altero ægrè moueri possit, quin alia quoque attingantur. Nam quum nuper in uestra Academia disceptatum fuisset, phlebotomia'ne in cura morborũ, qui utraque euacuatione egeant, sit pharmacis præmittenda: en mox altera illi affinis subrepsit quæstio, nempe An ratio curandæ pestiferæ febris putredinalis, ante uel post alexipharmaci usum utranque exigat euacuationem, & quæ alteri sit præferẽda. Quum hæc duo problemata, quorum declaratio ex eisdem ferè indicatio-

De aurea Platonis cathena Macrobius lib. 1. de Sõnio Scip. Plato in Ione, Lucretius li. 2.

indicationibus prodit, ita cohæreant, ut alterum ab altero ægrè diuelli poſsit, æquum cenſeo, ut iſte quoque in circulo problematum nodus rectè explicetur. Conſtat igitur, nō modò plethoram & cacochymiam, ſed potius ipſam morbi magnitudinem, tam phlebotomiam quàm purgationē & indicare, & expoſcere. Morbus uerò quiuis trifariā magnus uel leuis dicit̄: uel ob afflicti uiſceris

De magnitudine morborum hæc Gal. li. 4. & 7. Methodi, & in lib. de Artis medi. conſt.

præſtantiam, ut cordis, cerebri, diaphragmatis, præcordiorumq́; phlegmones, & abſceſſus ac uulnera: deinde ob affectus magnitudinem, quam ſymptomatum ſequitia, uelut ſyncopis, delirium, & alia eiuſdem farinæ accidentia indicāt: poſtremò, ob eius malignitatem uel uirulentiam, cuius materia (ut in cancro, atra bilis) in uirulentis abſceſsibus & gangræna, & alijs, eſt concoctioni contumax, ac κακοηθέστατος. Atqui quū hæc febris peſtifera, primùm cor infeſtet, ueneni contagione particeps, horrendis ſymptomatibus, delirio, bubone, & anthrace æſtuet, ac triplici ratione non magnus modò, ſed maiorum maximus iure dictus, utranque certè, phlebotomiæ & per pharmaca euacuationem expoſcere uidetur. Atqui hoc diui Hippocratis & Galeni præceptum in omnium magnarum ægritudinum cura non eſt perpetuum. Nam ſi

Hanc curādi toxica methodum ſcribit Galenus lib. 13. Meth. & li. 2. de Antidotis.

quis uenenoſorum animaliū, quæ Græci ἰόβολα dicunt, phalangij ſcilicet, ſcorpionis ictu, aut aſpidis, canis'ue rabioſi morſu, uel telo uirulento externè intoxicatus fuerit, tum horum curationis tantū duplicem indicationem Galenus & Damocrates ſtatuunt, uel uirus euacuando, uel alterando. Euacuationem uerò non pharmaco uel phlebotomia, ſed eorū medicaminum ope fieri ſtatuunt, quæ ſua ui calorifica uirus àttrahāt & eliciant: uelut ſunt cucurbitulę, aut cornua, quibus ueteres illarum uice utebantur. alij labijs uulneri admotis uirus exſugebant: alij

Lege Actuariū de cōpoſitione diacarcini.

locum affectum cauterijs adurebant, & exiccabant, aut carnem uulneris excidebant. Vnde Damocrates poeta Medicus rectè cecinit:

Διὸ

διὸ καὶ θεραπείας ἐστὶν ὁμογενὴς τρόπος.
καὶ γὰρ ἐπὶ τούτοις σάρκα τὴν τετρωμένην
ταχέως περικόπτειν σμιλίῳ δεῖ, καὶ πυρὶ
συκίας ἐπιβάλλειν, εἰ δυνατὸν, τοῖς τραύμασιν,
τοῖς δριμέσιν τε φαρμάκοις, καὶ καυστικοῖς
τηρεῖν τὸ τραῦμα πλείονας χρόνους πλατύ.

Democrati uersus de uirulēti uulneris cura.

Altera uerò curandi uenena methodi indicatio, in alteratione consistit. Alterabis uerò his medicamētis, quæ uel qualitate uel tota substantia sunt ueneno contraria: quorum ingentem syluam Dioscorides lib. 6. Nicander, Galen. de Theriaca ad Pisonem, ac Corn. Celsus lib. 5. recenset. Has duas curandi uirulentos morbos & toxica rationes, dum pestiferis medemur febribus, quamprimũ obseruandas consulo: quippe quum omne uenenum ex sua genuina proprietate quamprimùm cor, fontem & domiciliũ uitę, petat, ac tum derepentè per uniuersa corporis uiscera & molem dispergitur: quid obsecro magis necessarium, aut commodius comminisci poteris, quàm ut primùm omnium cordi cum his alexipharmacis, quæ qualitate aut tota substantia huic exitiali pestis ueneno repugnant, subsidiũ & opem feras? in quorum catalogo præter theriacam Nicandri, & Mithridati compositionem, & pleraque à neotericis excogitata antidota, inter simplicia smaragdum, radicem angelicam, zedoariam, scordium, & eringium, ac petasites, primas habere experior. Bolus ex Armenia quum sit nobis ignotus, ei quo utimur notho nihil confido. Sanè præter hæc non minus tribuo ex succo pomorum citri, limonum, aranciorum, mali punici, oxilapathi, iuiule cum aceto & zuccaro decoctis, quæ sua qualitate & congenita proprietate uenenis & pestifero huic morbo resistunt, cordis quoque robur fouent, quod epithematibus odoriferis externè applicatis cõseruare ne cũcteris. At si circa emunctoria cerebri, cordis aut epatis, id est, iuxta aures parotis, sub axillis abscessus, in iguinum adenibus bubo, uirtute expulsiua

De hac ueneni proprietate Galenus lib. 1. de Spermate plura.

Gentilis de nostro bolo Armenoidē suspicatur.

Eadem fra- cooperante eruperit, aut interim carbunculus in bra-
.ornel. chijs aut cruribus efferbuerit, tum festinanter uelut in
Cels. lib. 5. uulneribus uirulentis medicamēta quæ uirus extrahāt,
cap. 28. ad locum affectum applicato: nempe cucurbitulas, aut emplastrum ex fermento, theriaca, farina sinapi & cepe sub cineribus cocto confectū: additis, opoponacis ac galbani gummis aceto acerrimo dissolutis, imponito, & abscessum ante maturationem scarifica, aut aperi, uel cauterio adurito. Si uerò patiēs ignem ueretur, tum cauterium potentiale ex cantharidibus & fermento confectum, aut contusam ex oleo flammulæ radicem applicato: quæ sua uirtute calorifera & ardente, non tantum noxios humores attrahunt, sed etiam non rarò factas ex his collectiones aperiunt. An uerò præter hæc, huius morbi noxij humores phlebotomia aut pharmacis sint euacuandi, hic adhuc sub iudice lis est. Verùm cum morbi causa intra uenas sanguini commixta contineatur, quid uetat, decima uel duodecima ab assumpto alexipharmaco, & finito sudore, hora, refectis antè uiribus, uenam in eodem latere sub abscessu uel anthrace, in competenti membri loco, ętate & uiribus suffragantibus, incidere? quum phlebotomia non tantum infectos humores educat, sed & obstructiones aperiat, feruoremq; febris remittat. Nec est quòd uerearis humorū ad interna reuulsionē, quum abscessus ualidis medicamentis attractorijs sint cooperti, quæ reuulsioni resistunt. Vnde Galenus noster, & illius ipsissima simia Paulus ex Aegina, curam anthracis à sectione uenæ usque ad animi deliquium, exclusiuè tamen, inchoare suadēt: quod nec ego improbo. An uerò in cura huius febris fortia purgationis pharmaca æquè competant, nō certè facilè dixerim: quippe quum ea humores noxios magis conturbent, & per corpus dispergant, & rursum per uiscera ad intestina reuellāt, roburq; corporis dissoluant, & uenenosa quoque qualitate participent, ac nō rarò dysenteriam, [a] uētrisq; fluorem pro-
ritare

a Fluxus uētris, pestis symptoma. Galen. li. 3. Epid. & lib. 5. ac 10. Methodi.

ritare soleāt, qui alioqui huius febris peculiare & utplurimum lethale est symptoma: quo omnes ferè in illa diuturna Romanæ urbis peste correptos, quos bolus Armenus nō iuuit, interijsse, Galenus lib.3. de Morbis uulgaribus testatur. Proinde Cornel. Celsus: Desiderat, inquit, etiam propriam animaduersionem in febribus pestilentiæ casus: in hac minime utile est, fame aut medicamentis uti, aut aluum ducere. Si uerò uires sinunt, sanguinem mittere optimùm est, pręcipuè si cum dolore febris est. Cæterùm si aluus obstructa, sua excrementa non deiecerit, quis obsecro clisteris lenitiui usum dissuadebit? Nemo. Et si morbus statum excesserit, ut reliquiæ morbi extirpentur, medicamen purgatorium ex reubarbaro, agarico, siliqua Aegyptia, aut rore Syriaco, uel thamare Indorum, obesse non poterit: perinde ac illa fortia, diagridium, colocynthis, thurbet, elleborus albus, lapis lasuli, ac Mercurius ille pręcipitatus, quum uenenum redoleant, prodesse non possunt. Iam tu probè nosti, me multos, de quibus etiam cōclamatum erat, in hac pestifera lue hac methodo curasse: primùm, si aluus aliquot dies ante morbi initium parum uel nihil excreuerat, tum glande imposita, aut leui enemate eā exoneraui: postea alexipharmacum sudoriferum exhibui, quod pro ratione ętatis & uirium, sudorem duas uel tres aut plures etiā horas promoueret. Cordi epithema applicui: et si abscessus uel anthrax eruperat, confestim emplastra quæ uirus attraherent & emungerent, accommodaui. Tandem à sudore hora sexta uel septima, refectis tamen prius aliquo iusculo uiribus, uenam opportunā secui: at mox ab alexipharmaco, alijs singulis diebus manè & uesperi potagia alterantia, quæ sua qualitate & tota substantia ueneno morbi resisterent, exhibui, & cor quoque confortarent: qualia sunt quæ ex succo citriorū, limonum, arantiorum, acetosæ & iuiulæ, cum momento aceti & zuccarò decocta conficiuntur. At in morbi declinatione, si

Lib.3.ca.7.

Epilogus dictorum.

appetitus edẽdi languebat, ut corpus tutò nutriri poſſet, ſanguinem à reliquijs cõtagionis pharmacis paulo antè commemoratis expurgaui. Poſtremò chirurgis, ne ulceris aut carbunculi conſolidationem præcipitarent: cocis uerò, ut præſcripto tempore commoda eſculenta & potulenta ægro ſuppeditarent, edixi. Qua curationis ratione ingens ægrorum numerus, Deo optimo auſpice, conualuit: qui te ab hac ſæua contagionis lue ſaluum uelit. Vale.

DE CAVSIS SVDORIS BRITANNICI, *& quid ſit apud Galenum febris Typhodes.* *Epiſtola* XIX.

PROXIMIS ad affinem meum literis problemata Medicæ artis, ob cauſarum naturalium condependentiam, arctiſſimo quodam nexu, uelut annulos in aurea Platonis cathena, cohęrere teſtabar: quo ænigmate diuinus ille Academiæ antiſtes, cauſas rerum naturales indiſſolubili lege cõſortij condependere ſignificauit. At modò, quũ rem penſiculatius obſeruo, ea Medicorum problemata Lerneæ paludis ſerpenti mihi ſimillima uidentur, cui quum Hercules unum deſecuiſſet caput, confeſtim aliud ſubnaſcebatur: ſic modò, uno diſſoluto problemate, en mox aliud, de ſudorifera illa Britannorum febre, ſuboritur: nempe, an ſit peſtilentiali homogenia, & ſub illa ſudorulenta febrè, quam Gale. typhodea & helodea appellat, cõtineatur. Iſte ſanè morbus, qui Britannicus, ob regionis humiditatem, diu fuit ἔνδημος, id eſt uernaculus, & certę nationi peculiaris: quum uerò in Europa peregrinari & populariter à ſeptẽtrione uerſus nos graſſari tentaſſet, pleriſque Europæ populis factus eſt epidemialis, & noſtrorum delictorum uindex. Tria ſunt certè flagella, fames, gladius, & peſtis: quibus iuſto Dei Iſrael iudicio

[Margin: Quid ſit morbus endemus, Galenus lib. 1. Epid. & lib. 1. Reg. acut.]

[Margin: Primaria peſtis cauſa.]

cio

cio pœnas peccatorum luimus. Peste uerò nullum seuerius, quo mandati sui præuaricatores acerbius afflixit olim. Quum Dauid contra Mosaicę legis edictum, Ioab ducem, populum Israel censere iussisset, 70 uirorum millia triduò peste perierunt. Nec cessauit pestis, donec Dauid rex delicti sibi conscius, constructo in area Iebusæi altari, cilicio indutus, pronus cadens in terram, supplex culpam deprecaretur. Ita olim quoque, ut nunc, si quid delirabant reges, plectebantur Achiui. Id quod ethnici quoque uerum esse cognouerunt. Nam & Apollo, ob raptam Chrysis sacerdotis sui filiã Astynomen, suis pestiferis spiculis totum Græcorum exercitum cõfecisset: nisi Calchas uates Agamennoni, ut Chryseida patri redderet, & ea iratum Apollinis numen litare suasisset. Ita pariter omnes primariam pestis causam in peccata nostra referunt, quam Deus, nostris offensus criminibus, noxio siderum influxu, & temporum alteratione, sub concauo orbis lunæ excitat. Proinde secundarias pestis causas, uitiatas ab influxu siderum, & putrida ex barathris, lacubus, cadaueribus exhalatione, aeris & aquæ qualitates, aut substantias, rectè Medici statuũt: quibus quum carere non posimus, illorum usu primaria corporis nostri elementa, humores, & spiritus quoque infici fateamur oportet. Ita has esse duas pestiferarum contagionum causas communes, & ea ratione in genere causarum esse homogeneas, confitemur. At quandoquidem sunt uariæ temporum anni & elementorum alterationis species, epidemiales morbos specie distinctos nemo negabit. Quæ uerò specialis sit externa & interna sudoris Britãnici causa, id sudor planè indicat: qui si præter syncopim aut uires corporis defectas, pręcipuè manè acciderit, repletionis uasorum testis est locuples. Cuius, præter crapulam, inter externas causas, australis temporum constitutio, causa est præcipua. Auster sanè uẽtus, miro tepore humidus, à meridie per deserta Libyæ, ue-

De Dauide & peste, hæc 2. Reg. ca. 24. 1. Paralip. ca. 21. Ioseph. li. 7. Anti. ca. 13.

De hac Græcorum peste Homer. Iliad. primo.

Secundaria pestis causa.

Has pestis causas Lucret. lib. 6. describit.

De sudoris indicio hęc Hippo. lib. 4. Apho. 41.

nenoſis animalibus referta, quorum cõtagione infectus ſpirat. Vnde Statius Papinius:

Stat. lib. 5. Syl. Ouid. 1. Metamor.

An (inquit) *imbrifero Lybiæ ſudauerit auſtro.* & Ouidius poeta eo antiquior:

De auſtro idem Pli. li. 2. cap. 49.

Meridies, ait, *nubibus aſsiduis, pluuioq́; madeſcit ab auſtro*, qui ſuo tepido humore corpora animaliũ adeò replet, & aggrauat, ut eo ſpirante minus eſuriant animantes. Et coturnices (ait Ariſtoteles) cũ ceciderint, ſi ſerenum aut aquilonium tempus ſit, ſociantur, & proſperè degunt: ſed ſi auſtrinum, moleſtè, propterea quòd parum uolant. Humidus enim grauiſq; auſter eſt, Græcè ab humiditate Notus appellatus: *Arboribus* (ut Virgilius cecinit) *ſatiſq́; Notus, pecoriq́; ſiniſter.* Sunt enim Auſtri, ait in Problematibus Ariſtoteles, ſuapte natura humidi, calidiq́;: qua temporis conſtitutione febris committitur, quæ non niſi per exceſſum ambarum qualitatum illarum oriri ſoleat. Rectè igitur Hippocrates, febres ſudoriferas tum maximè oriri deifinit, quũ æſtas auſtrinis flatibus maduerit, ὁκόταν, ait, θέρος γένηται ἦρι ὅμοιον, ἱδρῶτας ἐν τοῖσι πυρετοῖσι προσδέχεσθαι χρή. id eſt, Quando æſtas fit ſimilis ueri, tum ſudores multos in febribus expectari oportet. Et Gal. in Prognoſtica Hippocratis ait, ἐν καύμασιν αὐχμηροῖς πυρετοὶ ἀνυδρῶτες τὰ πλεῖστα, τοῖς δὲ ἐπὶ ψεκάσιν ἱδρωτικώτεροι γίνονται. id eſt, Per æſtus ſqualidos & ſiccos, febres ferè ſine ſudore eueniunt: per imbres uerò, longè magis ſudorulentæ fiunt. Proinde Galenus in Apologia contra Lycum, febrem bifariam diuidit: quaſdã exactè ſiccas, quales ſunt exquiſiti cauſones, & alij febriles ardores, in quibus uehemens ſitis, lingua ſicca, cutis ut corium dura, & ingens in toto patientis corpore ſqualor & ſitus apparet. alias uerò ait eſſe exquiſitè humidas, in quibus ægri à primo die confertim ſudãt, & in ſudoribus aut mediocriter aut nihil alleuiantur. quas Galenus τυφώδεις, & ob ſudoris madorem ἀπὸ τοῦ ἕλεος, ἢ ἑλώδους, id eſt, à palude, ἑλώδεις nominat.[a] Typhodes uerò, à Typhoco gigãte, qui Iouis fulmine

De coturnicib. hæc Ariſtot. lib. 8. de Nat. ani. cap 12.

Virgi. lib. 1. Georg.

Hæc Ariſt. ſect. 1. Problema. 23.

Hipp. lib. 3. Aph. 6. Galenus lib. 3. de Differé. anhel. & li. 2. Progno.

Febrium bimembris diuiſio.

a Febris typhodeos meminit Gale. lib. 1. Aphor. 12. & libro 7. Aph. 43.

Quid ſit febris typhodes.

De typhoeo gigante Ouidius 4. Faſt. Lucã. li. 5. Manil. li. 2. cap. 16. Strabo li. 5.

fulmine ictus, sub ardēti Aethna sepultus, cum uētorum turbine sulphureas eructat flammas, & saxa. Aut potius à typhone uento typhodes dicta, qui densa nube inclusus, præceps in terram elisus, puluerem soli turbine uerrit, arbores euellit, ac obuia queque pessundat: cuius exhalatio nubem erumpens, fulgure micat, ac nubes in largum imbrem resoluitur. Nam post has ecnephię, typhonis, ac præsteris uentorum procellas, repentinę ingrauescere solent pluuiæ. Sic in illa Britannici sudoris febre humores & ἴχωρ sanguinis, uelut in nube uapor, uenis inclusus, quamprimum natura, morbi iudex, noxios humores ab incorruptis sequestrauit, tū uelut post typhonis procellas imber, sic hi febrili calore efferuescentes, cū sudore confertim per cutem erumpūt. Nemo igitur cordatus, hanc Britannici sudoris luem, febris typhoideos esse speciem negabit: ueteribus, ut creditur, non adeò ignotam, uel inexpertam. Accipis'ne iam, prǣter astra, austrinos quoque flatus (quos diuus Hieronymus pluuiarum pincernas appellat) quibus anno à Christo ex illibata uirgine nato 1528, quo primùm in Germania hæc sudoris contagio incrudescebat, tota illius anni æstas maduit, esse huius febris causas? quæ præter crapulam, etiam uenas & arteriasq; humore replebant: quarum repletio obstructionem parit, obstructio putredinem gignit, quæ febrem incēdit. Quare si quis hanc febrem appellet ephemeram putridam, nihil moror. Quum enim huic, & pestilentiæ uulgari, externæ causæ sint communes, easdem quoque illis prophylacticas esse cautelas arbitror. Quòd uerò ad curam illius attinet, natura citra Medici auxilium huic morbo per crisim medetur: nec est quod Medicus agat, nisi ut sudorem pro ratione ætatis & uirium patientis moderetur: quarum robur conseruare Medicus studebit. Vale. Hoc tamen pro coronide huius Epistolæ adijcere libuit, Hippocratē morbū ex phrenitide & letargo mixtū, τυφωμανίαν quoq; appellare.

De typhone uēto Arist. libro 3. Meteor. & Proble. sectiōe 2. Pli. li. 2. cap. 50. Lucr. lib. 6. Manil. li. 2. cap. 16.

Epilogus Epistolæ.

DE COACTA ET IRRITA SITIS *in febre tolerantia.* Epiſtola XX.

GAVDEO, mi Collega, te Epiſtolam meam de ſudore Britannico approbare. Multo uerò magis lætor, quòd libellum primum de Cura huius, neſcio à quo pſeudomedico, aut ardelione potius, primò editum, Vulcano conſecraueris. cuius auctor, dignior Vulcano fuiſſet uictima: qui utinam cum ſuo libello, quo plures quàm morbus ipſe interemit, ad extrema Arabiæ infelicis deſerta & Syrtes proſcriptus, ad illius'que feras dilacerandus condemnatus fuiſſet. Similis ſanè illi Medico, qui (teſte Galeno) adoleſcentem ſudore ſyncopali aut diaphoretico languentem, in balneum hypocauſti ablegauit: & cũ ſudoris copia largè proflueret, gauiſus Medicus, ac ſi commodum ſudoris tempus deſignaſſet, paulo pòſt mortuo adoleſcente, ab eius neceſſarijs ut homicida accuſatus fuit. Qua accuſatione digni forent noſtrates Medici, qui ęgros febricitãtes inopportuna ſiti macerant. Nam ut illi, reſolutis ſudoris profluuio uiribus, multos ſuffocarũt: ſic hi non paucos inani ſitis tolerantia perdunt, adeò ut non iniuria Eraſiſtratus grauiter ob id Apollonium & Dexippum Hippocratis diſcipulos inceſſuerit, quòd de hectimoritis cotylę cyathis, quorũ ſingulæ uix duas uncias continebant, unum aut alterum tantum febricitantibus conceſsiſſent. In quo certè ab Hippocratis præceptoris dogmate, teſte Galeno, longè deſciuerunt: qui ait, Hippocratem hæc redarguere, ne quis tanta ſiti affligat ægros, ut illis febricitantibus, aquæ tantum uigeſimam cotylæ partem præbeat. Nam & Hippocrates lib. 4. de Victus in morbis acutis ratione: Cauſone laborãti, ait, aquę uel melicrati aquoſi, & exactè cocti, bibere dato quantum uolet. Proinde

Hiſtoriam hanc ſcribit Gal. in ueſtibulo li. 1. Prognoſti.

Gal. lib. 1. & 3. de Reg. acutorum.

Galenus

Galenus gloriatur, se frigida potione ubertim & tempestiuè data, omnes causone affectos, morti eripuisse. Intempestiuè autem datur plethoricis, ante corporis euacuationem: & si uiscera humorum uiscedine obstructa, uel phlegmone obsessa fuerint, aut humoris crudi copia obstiterit. Aliàs abundans frigidæ potio, præcipuè in acutis febribus opportunè data, inter alia illarum remedia primas meretur: quæ si causonis ardore laborantibus subducta fuerit, eas febre hectica tabescere cogit. Vnde coactam in febribus cõtinuis sitim ob cordis & præcordiorum æstum, sanguinis adustionem, spirituumq; resolutionem, plurimum obesse, nemo mentis compos inficiabitur. An uerò potus, in paroxismis febris interpolatæ cõpetat, non parua est altercatio. Sunt qui Aphorismo Hippocratis edocti (quo ait, In accessionibus abstinere oportet: nam cibum dare nociuum est. & quibus per circuitum fiunt accessiones, in ipsa accessione abstinere oportet) in quouis paroxismi tẽpore, non inediam modò edicũt, sed potum quoq; uetant, etiã picrocholis: quum tamen Hippocrates potius de cibo quàm potu id statuerit. quo fit, ut ægros siti intolerabili, qua nec maiori Tantalus apud inferos excruciatur, miseros conficiãt.

De opportuna frigidæ exhibitione Gal. libro 1. ad Glauc. & 8. Methodi.

Causonis in hecticam permutatio. Gal. li. 1. de Diff. febr.

Hipp. lib. 1. Aphor. 11.

His Medicis nẽpe δοξοσόφοις, Iulius uiator Romanus eques, opportunus fuisset patiens: qui cum in pupillari ætate, aquæ subter cutem effusæ morbo laboraret, & humorum usu à Medicis illi interdictum foret, assuetudine naturam superauit, ac reliquum uitæ tempus abstemius uixit, ac in senecta nihil bibit: quũ tamẽ uetus parœmia, senes, ut aquilas seniles cadauerum suctu, tantum potu uiuere testetur. At certè Hippocrates in paroxismorũ declinatione adeò potum ægris nõ uetuisse, sed ob illius commoda in libro de Acutorum diæta primo, ferè præcepisse uidetur, dum ait: Pedibus frigore affectis, nõ solum à sorbitione, sed etiam à potione, maximè abstinendum est: sed tum sorbitionem & potum dabimus, quum

De Iulio uiatore hæc Plin. lib. 7. ca. 18.

Senectus aquilæ suctu seruatur.

Et idẽ Hip. lib. 1. Reg. acut. ca. de Ptisa. uberius.

calor ad pedes usque peruenerit. Nam hoc tempus maxime opportunũ est cùm in omnibus morbis, tum præcipue acutis, ubi febris & ingens periculum subest. Hoc obseruans Galen. in lib. de Crisi, & tertianæ febris puræ cura, recte his uerbis Medicos monet: Quum in uigore febris consistit, calorq; equaliter quaqua uersus extenditur, nihiloq; thorax plus extremitatibus calet, tum iam bibendi tempus ægrotanti adest, & statim à potu plurimus uapor calens per cutem exhalabit, sudoris nũcius: bilis quoque superueniet uomitus, uenter soluetur, biliosum quoque emingent. His, Collega mi, persuasus, nil temerarium uulgi iudicium ueritus, si patiens corpulentus, eiusq; epatis ac splenis substãtia inoffensa fuerit, cùm tota corporis moles æqualiter incaluerit, tum uel in ipsa febre Britannorum sudorifera, uires ęgroti potu refocillato, eo sudorẽ elicies: quo causa illius paroxismi cõiuncta facilius sudore difflari, & digeri per cutem poterit. Vale, meiq; memor esto. Et ne de siti amplius mihi cõquueraris, en poculum amicitiæ (uelut apud Brachmanes Indorũ philosophi facere solebant) ex Tantali phiala tibi propino. Iterum uale.

Hæc Gale. libro 2. de Crisi.

De Brachmánib. Philostrat. hæc in uita Apollonij.

DE MORBO VIRGINEO.

Epistola XXI.

CONQVERERIS mihi, ut tuo fido Achati, filiam tuam Annam primogenitam, & iam nubilem, à multis procis, uirtutum integritate ac stemmatis claritate, opumq; facultatibus, auito tuorum maiorum generi nõ imparibus, in coniugem desiderari: quos tu, ob filiæ imbecillitatem, abdicare cogaris. Nec id adeò tibi esse molestum, quàm quod hactenus nullus Medicorũ internam morbi causam & essentiam explicare, simulq; curã præscribere potuerit. Nam unus esse cardialgiam ait, alius cordis pal-

mum,

mum,hic uerò dispnœam,ille matricis suffocationē: nec defuisse,qui ex uitio epatis esse uētriculi fastidiū suspicarentur. quorū discors de filię tuę morbo iudiciū,effecisse ais,ut totus animi pēdeas,nec quid facto opus sit discernere possis. Ob id à me de morbo filiæ iudicium, ac de nuptijs consilium fidele,pro ueteri amicitia efflagitas:simulq; quibus morbi symptomatis affligitur, rectè primùm declaras: cuius nempe faciei indoles, quum anno præterito roseo genarum labiorumq; rubore floruisset, ea modò uelut exanguia, pallescere triste, cor ad quēuis corporis motū contremiscere, arteriasq; temporū sensibiliter pulsare, & in choreis ascēsu'ue scalarū dispnœa corripi, stomachum cibum,ac præcipuè carnem fastidire: & crura, præcipuè iuxta thalos,ad noctem œdemate intumescere. Ex his sanè accidentibus,& signis morbi pathognomicis,quæ morbi causam & substantiam produnt,eiusq; curam designant, miror uestrates Medicos morbi causas & naturam nō agnouisse. Quod uerò nomen illius non dixerint, id quum ad morbi curam nihil conferat,nihil quoque refert. Multæ sunt in morborum catalogo ægritudines,nomine & nō cura carentes. Nec hic morbus propriam habet nomēclaturam, quàm cum sit uirginibus peculiaris, uirgineus quoq; indigitari poterit: quem Brabantinorum matronæ,febrem albam, ob faciei pallorem,& amatoriam appellare solēt: quum palleat omnis amans,& color hic sit aptus amanti. quamuis febris admodum rarò coincidat. Sed hic morbus uirgines frequenter infestat,quum uiro iam maturæ, ex ephebis excesserint. Nam id temporis, natura duce, sanguis menstruus ad matricis loculos,& uenas ab epate defluit: qui quum ob illarum angusta oscula, quæ nondum patuerunt, uiscosis quoq; & crudis humoribus obstructa, & denique ob sanguinis grossitiem,erumpere non possit: tum rursum per uenæ cauæ maiorisq; arteriæ propagines,ad cor, epar, diaphragma, & præcordiorum uenas

Casus et accidētia morbi uirginei.

De nomine morbi uirginei.

Amantes pallēt, teste Ouidio.

De causa morbi uirginei.

Id quoque Gal. lib. 4. de Causis sympto. & lib. 4. Reg. acut. affirmat.

regurgitat: capiti quoque bona pars impartitur, & circa uiſcera accidētia grauia parit, diſpnœam, tremulum cordis palmū, epatis inflationem, ſtomachi faſtidium, cardialgiam: nec raro cum amentia epilepſiam, & delirium. Quod Hippocrates in libello de Virginum morbis, his teſtatur uerbis: Virgines, inquit, quibus nuptiarū tempus aduenit, maturæq; iam uiro ſunt, ſpectrorum imaginarijs terroribus affliguntur, præſertim quum menſes deſcendunt. nam ante hoc, nō admodum male afficiuntur. poſtea uero ſanguis in matricis locellos, tanquam effluxurus deſtillat & deſcēdit. quum autem oſcula exitus obſtructa fuerint, ſanguiſq; ob cibaria & corporis incrementum auctus, illic collectus ſubſiſtit plurimus, nec unde effluat exitus uenarum pateant, præ copia cor, ſeptum tranſuerſum, præcordiaq; petit. quibus repletis, cor ſibi non conſtat, & torpet, ex torpore uero deſipit & delirat. Nil certe mirum, quum epar a feculento menſium ſanguine non expurgetur, & eo præcordiorū uenæ infarctæ fuerint, hypocondriorū uiſcera intumeſcere, & his diaphragma (ut in hydrope) coarctari, quod difficilem parit anhelitum, teſte Gal. in fine tertij de Diſpnœa libri, ubi uniuerſaliter inquit: Si internus tumor aut dolor circa hypocondria conſtiterit, tum parua & creba fit ſpiratio. Deinde quum cor, ſtomachus & epar, utriuſq; uenæ chylis & arteriæ ramis, uelut communi uinculo cōnectantur, his ſane ſanguine groſſo, flatuoſoq; ſpiritu & uapore refertis & obſtructis, ut hos cor extrudat, & deoppilet, ne ſuffocetur frequēti arteriarum & ſyſtoles motu eluctatur, & palmo contremiſcit: quo defatigato, quid obſtat ἀσφιξίας, καὶ πνευμάτων ἀπολήψεις, καὶ ἀπνοίας, id eſt, pulſus, & ſpirituum ac anhelitus interceptiones coincidere? quibus æger obmuteſcat, & ut deploratus iaceat. Vnde mehercle Galen. in Acutorum diæta ſcite ait, δύναται δὲ καὶ πλῆθος τε καὶ πάχος αἵματος, οὐ μόνον τὰς ἀρτηρίας πνευματῶσαι ποτὲ, καὶ διέξοδον οὐκ ἔχειν, ἀλλὰ καὶ αὐτὰς ἰδίως

Quo tēpore mēſes ad matricem deſcendūt.

Cauſæ difficilis anhelitus in hydrope, & mēſium retentione.

Hęc eadem Gal. lib. 4. de Cauſis ſympto. & lib. 4. Reg. acut.

ἰδίως ὀνομαζομένας φλέβας. id est, Potest autem & multitudo & densitas sanguinis non modò arterias inflare, & exitium obstruere, sed & ipsas propriè nominatas uenas. Postremò, an filia tua hac affecta ægritudine, nubere debeat, & quæ sit huius curatio, en fidum ex Hippocratis diuite medicinarum penu cõsilium communicabo, qui in libello de Morbis uirginũ ait: Huius morbi liberatio est, uenæ sectio, si nihil obstiterit. Ego uerò, inquit, præcipio, uirgines hoc morbo afflictas, ut quãprimum uiris cohabitent, & copulentur. si cõceperint, conualescent: si uerò in pubertate hoc morbo nõ corripientur, tum paulo pòst eas inuadet, nisi uiro nupserint. At uerò ex maritatis, steriles magis id patiuntur. Hoc saluberrimo diuini Hippocratis cõsilio, si medicamẽta menses prouocantia, & obstructionum aperitiua, sanguinis grossi subtiliatiua adiũxeris, nihil his præsentius reperire & excogitare poteris: quibus ego in huius uirginei morbi cura nũquam falsus, aut spe fui frustratus. Quare bono sis animo, filiam tuam elocato: nuptijs quoq; ego libens interero. Vale.

Venus uirgineo morbo medetur.

De uenæ sectiõe eadem quoq; suadet Hippocrat. li. 4. Reg. acut.

DE PASSIONE CARDIACA.
Epistola XXII.

QVANDOQVIDEM Hippocrates cor, ob solidam eius substantiam, nullo ab humoribus morbo corripi, ipsumq; esse impatibile testetur, audio plerosq; mirari, esse aliquem morbũ, qui à cordis dolore Cardialgia appelletur. Proinde scias, cardialgiam nõ cordis, sed mordacem ab acutis aut uenenosis humoribus esse oris uentriculi affectũ, quod ueteres Græci, Hippocrates, Nicander, ac Thucydides etiam, tempore belli Peloponnesiaci, quo Hippocrates opere & scriptis medicinam est professus, cardiam, id est, cor, ob sympathiam & affinem loci situm, ac colli-

Hip. in lib. de Morbis.

Os uentriculi ueteres cardiã, cor appellarũt, & uel hodie Germani quoq; ita nominant.

Gal. lib. 2. de Dogma. Hippoc. & Plat. & li. 4. de Caus. sympt.

coligantiam appellarunt. Affligitur autem uentriculi orificium humorũ acrimonia, quum ob diuturnam inediam, uel tristitiam, aut exercitij lassitudinẽ, flaua & putrida bilis in uẽtriculum defluit, & sua acredine bilis uomitum, & alui profluuium, cum animi deliquio & sudore diaphoretico proritat: aut ob assumptum esculentorũ aut pharmaciæ uirus, qualia sunt quędam fungorum genera, rana buprestis, cerusa, gipsus, lac coagulatum: & ob matricis strangulationes, & suppressa in uiduis, uirginibus & mulieribus menstrua. unde nõnulli morbum uirgineum esse quoque cardialgiam contendebant, quum uerius aliquanto illius accidens dici possit. Sic uerò, ob sensus acuitatem orificio uentriculi affecto, cerebrum ob neruorum, cor ob arteriarum colligantiam compatitur. Nam arteriarũ maxima à corde exorta, postquã spinam dorsi perreptat, primùm stomacho, deinde eius osculo inserta, ac tandem deorsum progressa, uentriculi fundo subtenditur: tum sanè in hoc cardialgię affectu longè sæuiora accidentia ægrum infestabunt: nẽpe morbus Herculeus, ægrè expergibilis sopor, & ueternus, catalepsis, delirium, ac melancholia, & cũ copioso sudoris profluuio syñcopis. Vnde Corn. Celsus: Cardiaca, inquit, nihil aliud est, quàm nimia imbecillitas corporis, quod stomacho languente, immodico sudore digeritur, ubi uenarum exigui & imbecilli pulsus, sudor autem supra cõsuetudinem & modo & tempore ex thorace, ceruicibus, ac capite prorumpit, pedibus tantummodo & cruribus siccioribus atq; frigentibus, quę citra febris ęstum & animi deliquium rarò fieri solent. cuius, præcipuè si à ueneno acciderit, theriacam pręsens esse remediũ, Galenus Pisonem docuit. Accipis'ne modò, cardialgiã à morbo uirgineo plurimũ differre? Hic nẽpe ut plurimũ sine febre, ex mensiũ cõstipatione, & uenarũ circa præcordia oppilatione: ille uerò cũ febre, sudore thoracis, pulsu exili, ac syncopa, & stomachi rosione ingrauescit: quæ si citra hęc præfata

Oris uentriculi cum cerebro & corde colligantia, & ob id sympathia.

Gal. lib. 4. de Caus. sympt.

Cor. Cels. lib. 3. ca. 19. Gal. in Dif. Alex. lib. 7. cap. 11. Aet. lib. 9. cap. 1.

Theriaca sudoris cardiaci remedium.

præfata accidētia inciderit, qualis quoq; esse solet stomachi ardor, tū non cardialgia ab antiquis, sed cardiogmus appellabatur. Inuidia quoq;, cū cor ipsum macerat, cardialgia dici potest: quam illis precor & opto, qui honorē & incrementum liberalibus studijs inuidēt. Vale.

Cordiogmus.

DE MATRICIS PRAEFOCATIONE. *Epistola* XXIII.

ACCEPTA ex proximis literis occasione, non frustra miraris, cardialgiā, morbū uirgineum, ac matricis suffocationē: morbos nō minus graues quàm periculosos, cū eisdem ferè symptomatib. dispnœa, epilepsia, ueterno, syncope, delirio, suppressa uoce, & pulsu latēte ingrauescere. Atqui amicorū optime, si tu matricis & stomachi cū cerebro et diaphragmate, cuius prefata accidētia sunt peculiares morbi, per cōmunes neruos & uenas ac arterias colligantiā obseruaueris, eisdē quoq; lege cōsortij infestari accidētib. mirari desines. Est sanè matricis præfocatio nil aliud, quàm uteri ob siccitatem, uel ex retento mēstruo, aut humorū affluxu aut flatu, siue exacernata putridi spermatis uirulēta exhalatione, ob repletionem uersus diaphragma, aut ad alterum latus conuulsio. Cui nō rarò ex retento mēstruo uenarū obstructio coincidit. Quippe si nerui, uenæ, musculi, adde & cornua matricis, mensiū affluxu, aut uiri coitu nō humectentur, tū exiccata facilè uersus diaphragma, & ad neruorū principiū reuelluntꝛ. Pariter si mensiū repletione distenduntꝛ, facilè ad septū transuersum contrahuntꝛ. Si deniq; sperma in uteri cōcauitate & uasis coaceruatū cōputruit, ineffabile est, quāto neruorū musculorūq; nixu matrix cōuellitꝛ, ut eius uirulentiā expellere possit. Quæ si ad cerebrū exhalauerit, exhorresco dicere, q̄ seua accidētia ac deliria proritet. quib. uiduas, uirgines uestales, ac obœsos quoq; monachos corripi, cùm in Germania tū Bononię quoq; uidi. Cū igitꝛ diaphragma, pręcipuū spiratiōis organū, & præcordia,

Matricis præfocatiō quid.

Gal. li. 3. de Artic. & li. 6. de Locis affect.

prçcordia, uteri ad superiora conuulsione coarctata fuerint, nihil mirum, mulieres sic affectas, quas Grçci hystericas dicunt, suppresso arteriarum pulsu & anhelitu, uelut exanimes in terram cōcidere. Quæ Hippocrates, aut (ut Athenæus suspicatur) Polybus eius discipulus, in quarto de Ratione uictus in morbis acutis, his uerbis cuncta scitè cōplexus est: Si quis, ait, repentè obmutuerit, is uenarum obstructione molestatur. Id si sano absq; euidenti occasione acciderit, uenam brachij dextri internam secare oportet, & sanguinem pro corporis habitu ac ætate detrahere. His sic affectis, accidit faciei rubor, defixus oculorum intuitus, digitorum in manibus tremor, dentium stridor, maxillarum uellicatio, extremitatum refrigeratio, spirituum in uenis & arterijs cōclusio. Si uerò ab atrç bilis affluxu, internç corporis partes corroduntur, aut uenç aridiores factæ distenduntur, tum inflammatæ, ad se humoris affluxum alliciunt: unde corrupto sanguine, & ita ob eius consistentiam concreto, ut spiritus per naturales meatus transire non possint, corpus et uiscera infrigidari necesse est. Hinc morbos comitiales, uertiginem, capitis grauedinem, loquelæ priuationem, spasmos, & siderationem euenire oportet: præcipuè si talis sanguis & oppilatio, iam uel ad cor, epar, & cauam eius uenam peruenerit. Quum uerò Galenus horum Hippocratis uerborum sensum genuinum rectè intellexerit, qui dictorum symptomatum & morborum internas causas ferè omnes complectitur: cur nō ad uteri præfocationem & morbum uirgineum accommodauerit, certè admiratione non caret. Ex his dictis quilibet facilè cōijcere potest, per uirgineum morbum, ac matricis suffocationē, ob spiritus à sanguine grosso in uenis præcordiorum coarctationem, calorem naturalem suffocari, corporis habitū infrigidari, & ob id inter morbos frigidos iure optimo reputari ab Auicenna & Cōstantino Medicis, & Galeno ipso lib. 4. Reg. acut. dum ait: ὅταν αὐταὶ

Libro 2. Dipsoph.

Suffocatio matricis, & morbus uirgineus, ægritudines frigidæ.

Auicenna Fen. 21. tertij canonis.

αὐταὶ φλέβες ὑπερπληρωθῶσι, βαρυνθῆναι τὴν δύναμιν ἀνάγκη, καὶ εἰς κίνδυνον ἀφικέσθαι τὴν ἔμφυτον θερμασίαν, τοῦ ἀποσβεσθῆναι, πνιγμῷ τι παραπλήσιον παθοῦσαν. id eſt, Quando uenæ ſuperimplentur, uirtutem corporis gubernatricem aggrauari neceſſe eſt, & periculum eſt, calorem congenitum extingui, & propè ſuffocari, uelut ignis nimia lignorum congerie ſuffocatur. Sed quæ tandem (obſecro) eſt anilis illa amentia, quum experimur, uterum odorifera, muſcum, algaliam, gariophilos, ac galliæ muſcatæ & cyphi ſuffitum adſectari: grauiter uerò olentia, ut caſtoreum & fœtentem ex Syria aſſam, aduſti corij & pennæ nidorem auerſari & fugere, ut ob id uterum eſſe animal ſenſus & motus particeps ſuſpicemur? & quamuis ualidis ſuis cornibus & ligamentis ſit coxis & ſacro oſsi aſtrictus, in corpore tamen liberè oberrare, Medicorum & obſtetricum uulgus credat? etſi Plato in Timæo id aſſerere uidetur, non tamen ea ratione, quòd matrix anima rationali aut ſenſitiua prædita eſſet, ſed quia rebus à natura productis omnibus ineſſe animam appetitiuam docuit: unde & plantas ob id animalia eſſe, ac appetitu congenito ad ſibi conferentia moueri cenſet. Eadē quoque ratione epar dulcia affectare, heliotropium ad ſolis acceſſum, magnetem ſeptentrionē uerſus ſe inclinare uidemus: qua uterum odorifera conſectari, grauiter olentia abhorrere experimur. Et cū in hac matricis affectione cor quoque langueat, nolim ea naribus admonenda, ita grauiter fœtere, ut uires cordis ac cerebri offenderent. Quare grauiter olentis aſſę uirus, ac aduſti corij & pēnæ nidorem non probo: perinde ac caſtorij, rutæ, ac ſcillæ odorem non repudio. Vnde Hippocrates lib. 1. de Mulierum natura: Si uteri, inquit, ad epar acceſſerint, muta derepētè fit mulier, & dentes conſerit: tum manibus ſubtus depelle, ac infra epar & hypochondria, faſcia mulierem cōſtringito, ac ore aperto uinum odoriferum infunde, naribus graueolentia offer, ſubtus uerò aromatibus

Vterus, an ut animal, motu locali moueatur.

Hipp. lib. 1. de Na. mu. & Gale. de Cóp. medi. ſecundū loca, lib. 9.

An fœtor hyſtericis competat.

bene redolentibus suffito. Nō desunt Medici, qui hoc Hippocratis testimonio freti, Auicennam erroris accusent, quòd uino mulieribus hystericis interdixerit, his uerbis: Caue ne des eis in potu uinum, quoniā aqua est ei cōuenientior: nec carnes grossas, & ea quæ addunt in carne & spermate. At si quis utriusq; auctoris scripta æqua expendat trutina, nullum reperiet dissidium. Nam quia in huius morbi paroxismo, ob uirtutis languorem, spiritusq; coarctationem, syncopis crebrò coincidere solet: Hippocrates accepta à uirtute defecta indicatione, quæ cæteris præpollet indicationibus, pro reficiēdo uirtutis robore, aperto ægrotantis ore uinū odoriferum instillare iubet: Auicenna uerò, quum ex sanguinis redundantia, & coaceruati in utero spermatis copia, matricis præfocatio oborta fuerit, tum ea quæ sanguinem & sperma in uiduis & uirginibus adaugent, rectè uetat: qualia sunt præcipuè, caro & uinum.. Cæterùm quum uteri præfocatio ex obstructione uenarū eius à sanguine grosso facta, prouenerit: tum ego aquæ potum penitùs dissuaderem, uinum'que album tenue (quod Græci ὀλιγοφόρον appellant) magis usui esse arbitrarer: præcipuè si in eo, quæ menses promouent, ut libanotis, schinantū, pulegium, aut grana iuniperi, Græcis ἀρκευθίδες dicta, prius macerata fuissent. Vt uerò tandem ad ea quæ petis, tibi de morborum differentia respondeam, scito cardialgiam esse primariam oris uentriculi affectionem: matricis suffocationem, citra uteri ad septum trāsuersum conuulsionem: morbum uerò uirgineum, citra uenarum in præcordijs, ob sanguinis grossi obstructionē & consistentiam, accidere non posse. Hæc, ut sorori ac coniugi tuæ mederi possis, te celare nolui. Vale, ex Musæo nostro.

Vinum an hystericis cōpetat.

Differētia cardialgiæ, suffocationis matricis, & morbi uirginei.

DE

DE EROTICO AMORIS AFFECTV. Epiſtola XXIIII.

MAGNAS mihi, nomine totius muliebris ſexus, egiſti gratias, ꝙ proximis duabus Epiſtolis morbi uirginei & ſuffocationis uteri cauſas & conſtitutionem explicuerim: ut iam tam uirginum quàm puerperarum ualetudini facilius proſpici poſsit. Ais quoq; eo beneficio me illarum fauorem mihi deuinxiſſe penitus. Ad hæc ſuades ſubinde, ut ſimili ratione fauorē adoleſcentulorum, qui amoris philtro ineſcati, perditè amant, quoque demerear: & quid ſit eros, ſiue eroticus amoris affectus, ab Arabibus illiſi dictus, doceā: ac quibus tandem remedijs demens illius affectio aboleri poſſit, aperiā. Quum igitur Cadmus Mileſius (autore Suida) de hoc 14 libros conſcribere non erubuerit, ut tuum quoque & adoleſcentulorum fauorem mihi conciliem, me non pigebit, de hoc amoris œſtro, paruā conſcribere epiſtolam. Et eſt ſanè hic amens amoris affectus, animæ concupiſcibilis paſsio, in epate ac corde reſidens, à deſiderio & rei amatæ ſimulacro, per oculos intra mentem concepta: cuius ægrè ſaturabilis concupiſcentia, per imaginationem, per communes quoq; ſpiritus, in epate & corde exardeſcit. Vnde Plotinus amorem ἀπὸ τ͂ ὁράσεως, id eſt, à uiſione heroa dici. at Plato à Græcis ἔρωτα nominari aſſerit, quia per oculos εἰσρεῖ, id eſt, animo & epati influat. id quod idem Plato in Timæo clarius his uerbis teſtatur: Videbat, inquit, Deus partem animæ concupiſcibilem talem fore, quę rationē non exaudiret, & ſi quo ſenſu pulſaretur, nec rationi obtemperaturam, ſed ſimulacris & uiſis nocte dieq; maximè rapi. iccirco naturam iecoris procreauit, longè à cerebro rationis domicilio diſsitam, & eius habitationem in eo diſpoſuit. Et ideo

De hoc Auicenna Fen.1.tertij canonis.

Cadmus Mileſius erotici affectus ſcriptor.

Definitio erotici affectus.

Græca ἔρωτος etymologia.

Epar animę concupiſcibilis ſedes, Gal. li. 3.4.& 5. de Doct. Hip. & Plat.

Lactan. de Op. Dei, cap. 4. De iecore Titij hæc Homer. Odyſſ. λ. Gal. de Doct. Hip. & Pla. li. 3. Virgil. 6. Aeneid.

Lactantius rerum uenerearũ libidines in epate cõtineri arbitratur. Et Homerus omnifariæ eruditionis parens & origo, ſcitè finxit, Titij amatoris iecur, qui Latonã deam deperierat, à duobus nõ ſaturandis uulturibus apud inferos nocte dieq; diſcerpi, ac illius tamen fibras renaſci. Similem certè carnificinam inexplebilis amor ille eroticus in uiſceribus adoleſcentulorum exercet, qui nunquam, etiã re deſiderata potitus, ita ſaturari poteſt, quin non illius imaginatione rurſum fameſcat, & confeſtim in præcordia noſtra, citra rationis iudicium, effrenis irruat, & intimam oſsium medullã exedat. Vnde corpus adeò tabeſcit, ut Ouidius rectè de eo conqueratur:

Erotici affectus accidentia pathognomica.

Fecit amor maciem, & longa internodia crurum.

Exhauſtis nẽpe amore uiribus, corpus exãgue pallet, oculi intra ſupercilia conduntur, cibum ſtomachus faſtidit, longo ſuſpirio ex imo pectore pulmo ingemiſcit, mens uacillat, cor languet, ex rei deſideratæ aſpectu, motu pulſus tremulo fluctuat: quin ſolo nomine amicæ pellicis audito, harmonia pulſus uariatur. Ex hac ſignorum ſyndrome Eraſiſtratus medicus deprehendit Antiochum Seleuci regis filiũ, amore Stratonices nouercę adeò tabeſcere, ut niſi indulgentia patris, compos uoti factus fuiſſet, uitam cũ amore expiraſſet. Galenus quoq; eiſdem indicijs agnouit Iuſtam Boetij, uiri Romæ conſularis, uxorẽ, Pyladis in theatro ſaltantis amore flagrare, & languere. Ah amor ſeuere, tygride quauis ferocior, non tandem diſpendio corporis noſtri ſatiaberis? ſed uis etiam eſſe paterni noſtri fundi calamitas? Nam quid miſer amator, ut iratam pellicem ſibi conciliet, non erogat? donec tandem inops factus, ab amica nõ agnoſcitur. id quod feſtiuo carmine poeta Græcanicus indicat, quo Soſicratem ex amore mendicum, cuius nomen amica eius non agnoſcere uoluit, ita alloquitur:

De Antiochi amore hæc Gal. li. 1. Progno. & Val. li. 5. De uxore Boetij hæc Gal. in lib. de Prænot.

Amor paterni fundi calamitas.

ἠράσθης πλουτῶν σωσίκρατες, ἀλλὰ πένης ὢν
οὐκ ἔτ' ἐρᾷς, λιμὸς φάρμακον οἷον ἔχεις.

ἡ δὲ πάρος σε καλοῦσα μύρον, καὶ τέρπνον Ἄδωνιν
  μηνοφίλα, νῦν τοι τ᾽ οὔνομα πυνθάνεται.
τίς; πόθεν εἶς ἀνδρῶν, πόθι τοὶ πόλις; ἦ μόλις ἔγνως.
  τοῦτ᾽ ἔρος, ὡς οὐδεὶς οὐδὲν ἔχοντι φίλος.

Hos uersiculos miro lepôre Baptista Pius Bononiensis sic latinè reddidit:

Diues amas? Veneris solita non lampade ferues
  Pauper: habet tenuis pharmaca quanta fames?
Te uocat ante rosam, charum te dicit Adonim,
  Panthea nunc nomen uix tenet illa tuum.
Vnde? quis es hominum? quæ' nam tibi patria? nostin
  Verba miser? tenues nullus amicus amat.

Huius clandestini & atrocis morbi pharmaca diuersi diuersa docent. Pleriq; nec eum ita seuerè coercendum putant, quin amore languens, desiderio aliquando fruatur. Nam (ut Suidas refert) quum Diogenis filius amore desiperet, nisi pater oraculo Apollinis Delphici persuasus, amorem filio indulsisset, patris seueritas filiũ perdidisset. Alij otium, ut Veneris fomitem, dissuadent: ac mentem negotijs onerare, & nouis amoribus, ac honestis aliò traducere curis, & aspectũ amicæ declinare præcipiunt. id quod Lucretius quoque monet, dum ait: Amoris remedia scribit Auicen. Fen. 1. can. 3. Aeg. li. 3. cap. 17. In fine libri 4.

Sed fugitare decet simulacra & pabula amoris,
Absterrere sibi, atq; aliò conuertere mentem.

Qui licet plura amoris remedia scripsit, alios'que docuit, ipse tamen ex amatorio poculo furore correptus, mortem sibi consciuit. Alij tempus & famem hũc compescere morbum tradunt. Hinc inter Græca Epigrammata legitur, *Lucretius poeta amore perijt.*

ἔρωτα παύει λιμὸς, εἰ δὲ μὴ, χρόνος.

Rasis uerò in libro Diuisionum, remedia amoris, ut naturæ infesta, non probat, dum ait: Cura amoris est, assiduatio coitus, ieiuniũ, & deambulatio, & ebrietas plurima asiduè. Nec ex humano sanguine Magicę uanitatis contra amorem remediũ laudo: quamuis Iulius Capitolinus In uita Antonini.

pitolinus referat, Fauſtinam illuſtrem Antonini Pij imperatoris filiam, ac tandem Marci Antonini philoſophi uxorem, tali cruento remedio ab amoris affectione uindicatam. Nam quum ea gladiatoris amore flagrans ferè contabuiſſet, Marcus imperator ad Chaldæos & mathematicos, qui ſuis nugis medicinam conſpurcarunt, id retulit: qui ſuaſerunt, ut occiſo gladiatore, Fauſtina partem tepidi cruoris abſorberet, uiroq; ſuo mox concumberet: ex quo concubitu Antonius Commodus, homo crudelis (qui pugnis gladiatorijs ac cruẽtis cædibus, rẽpublicam Romanam ferè attriuit) fertur natus. Ex eiſdem magorũ deliramentis Plinius & Cor. Celſ. epoto iugulati gladiatoris calido ſanguine, comitiales curari morbos tradunt. Quidam (ait Celſus) iugulati gladiatoris calido ſanguine epoto, morbo comitiali ſe liberauit: apud quos miſerum auxiliũ, tolerabile miſerius malum fecit. Hæc certè, ut Tertullianus in Apologetico piè docet, ſunt dæmonum præſtigia, quos Magi, eorum antiſtites, cæde humana & ſanguinis effuſione delectari nouerunt: qui ob id ex hominum ſanguine pharmaca & ſacrificia inſtituerunt & finxerunt. At nos has dæmonum præſtigias, quum per Chriſtum nobis illuxerit ueritas, cõtemnimus & irridemus: in quem, ut illius amore rapiaris, confide. Vale.

Sanguis gladiatorũ medetur amori & epilepſiæ. Pli. lib.28. ca.1. Cor. Celſ. lib.3. ca.23.

Cap. 14.

DE APOPLEXIA, EPILEPSIA, CARO, *comate, catocho, catalepſia, letargo, & phrenitide, morborum cerebri differentia.* Epiſt. XXV.

Sacri ſignificatiões ex Varrone, Feſto, & Marcello. Liu.li.1. Cicero lib.3. de Nat.deorum. Plutarchus in Problem.

CVM nemo mortalium capitis morbos non execretur, miraris epilepſiam tamen ſacrum dici morbum. Mirari certè deſines, ſi quàm πολυσήμαντος, id eſt, plura ſignificans dictio ſit Sacrum, obſeruaueris. Nam ſacra olim erant urbis mœnia, quæ tranſilire piaculum erat. Sacra erant, quæ dijs, ut olores Veneri, caper Baccho, dicata aut deuota erant,

erant. Sacer quoque is fuit, quem ob facinus commissum occidere impunè licebat. Vnde Horatius inquit, *Intestabilis & sacer esto.* Ac quicquid detestatione dignum, ut *Auri sacra fames*, sacrum quoque dicebatur: & ita erisipela sacer quoque ignis uocabatur. Adde quòd ea quæ magnitudinem antecellerent, ueteres (auctore Plutarcho) sacra: ut Homerus pisces marinos, & Medici postremũ uertebrarum spinæ os, in uolatilibus oropygium, in homine os sacrũ appellant. Præterea quicquid diuinitùs accidere olim suspicabantur, id sacrũ quoque nominabãt. Vnde ueteris religionis [a] sacerdotes, dęmonũ antistites, ut prætextu religionis ditescerẽt, deos homines morbis excruciare fingebant: de quorum numero epilepsia, ob id sacer morbus dicta, censebatur. Qua fraude Machometes [b] morbum suum cõmitialem celauit, & fidem suæ superstitionis cõsecrauit. nã hic impius Turcarũ religionis auctor, quum morbo comitiali correptus, pronus in terrã caderet, id religionis ergò fieri causatus est: nẽpe quod choruscã angeli faciem, qui de instaurãda religione cum eo cõmunicaret, ferre nõ posset, quin auerso uultu caderet. His credula nugis uxor, faciẽ eius uelo cooperuit: & moritura eũ ex asse heredẽ cõstituit. Sacrũ quoque, ut adytus tẽpli, id dicitur, in quo sacra sunt recondita. Sic [c] caput, sacrã Palladis arcẽ, quã mens diuinitatis particeps, unà cũ sensibus incolit, ueteres ut rem sacrã obseruabãt. nam per caput iurabãt: illius nutu pacta cõfirmabãt, et [d] sternutantibus salutẽ precabãtur: & ab esu nõ modò suilli cerebri, sed aliorũ quoque animaliũ, tanquam à fabis, abstinuerũt. Vnde meritò epilepsia magnus & sacer rei sacræ, id est, cerebri morbus dicitur, qui est neruorũ totius corporis cõuulsio, ob uẽtriculorũ cerebri, à uiscosis humorib. aut grossis atrę bilis uaporib. factã obstructionẽ: cuius cõuulsionis, præcipuè circa neruorũ principia, tantus est impetus, ut

Sacer, der preisz, oder in der acht ist.

Os sacrum Gal. li. 4. de Vtilit. part. Pollux li. 2.

[b] *Machometis epileptici dolus.*

[c] *Caput quare sacrum,* Athen. li. 2. Dipnos.

[d] Cõsuetudo salutãdi sternutãtes ante tẽpora Gregorij inoleuit, Pli. li. 28. ca. 2. Arist. li. 1. de Na. animal. cap. 11. Athẽ. quoque lib. 2. Ab esu capitis & cerebri ueteres, ut hodie Leodienses quoque, abstinebant. Athen. lib. 2.

Epilepsiæ *definitio.*

[a] De hac sacerdotum fraude Hippocrat. in libro de Sacro morbo, & de Virg. morbis. Galenus libro I. regnost.

non

non oculi modò distorqueantur, & nullus sensuum suo fungatur officio, sed spuma ex ore, & non rarò urina, citra uoluntatis arbitrium, egeratur. Qui hunc morbum Herculeum profligare nouit, huic meritò (ut olim Hippocrati, ob depulsum ex Illyria pestem) diuini honores decernerentur. Quos Menecrates, celebris huius morbi Medicus, sibi ademptos noluit, dum nunquam sanè in publicum, nisi suis, quos curauerat, habitu deorum uestitis stipatus, & ipse uerò purpura uestitus, aurea corona decoratus, crepidatus, sceptrũ deniq; in manibus uelut alter Iupiter gestans, prodire solitus est. Hic si etiam apoplexiam fortem curare sciuisset, periculum fuisset, ne Iouem cœlo deturbasset, & se in illius subsellium constituisset.

Menecratis Medici fastus. Athen. lib. 7. Dipnosop.

Apoplexiæ definitio.

Est nãq; Apoplexia Latinis sideratio dicta, morbus epilepsiæ affinis, totius corporis stupor attonitus, ob neruorum cerebri obstructionem à uiscosis humoribus, medullari cerebri substantiæ impactis, factus: per quos cum spiritus animalis ad inferna organa defluere non posit, ea sensu, motu, & spiratione manifesta priuantur, donec neruorum cerebri oppilatio, uirtute illius aut pharmaci, uel cauterij reserata fuerit: tum in quamcunq; corporis partem humores à cerebro defluxerint, illius neruos obstruunt ac relaxant: quorum resolutio Græcis ἀπὸ τοῦ λύω, id est resoluo, paralysis, paresis & paraplegia quoque dicitur.

Paralysis, paresis, & paraplegia, idem.

Cataphora, coma, catalepsis, & cathochus, quid.

Cari definitio.

Est quoque alius cerebri morbus, dictis ualde germanus, Græcis Cataphora, id est, procliuis in grauem somnum impetus: cuius, carus, letargus, coma, catalepsis ac catochus, germanæ sunt sorores. quarũ primogenita carus, Latinè ueternus & sopor dicta, est frigida & humida anterioris cerebri soporifera affectio, spiratione tamen illæsa, ex pituita uel uini uapore illic coaceruata. Vnde Suidas: κάρος, inquit, ἐστὶν ἡ ἐξ οἰνοποσίας ἐγγινομένη μέθη, καὶ καταφορά. id est, Carus est ex uino ebrietas, siue crepala, & grauis cũ mentis impotentia sopor, ægrè expergiscibilis, qui in cõmitialis morbi &

bi &

bi & febriū exacerbationibus, & craneo, trepano uel ictu depresso, aut iugularibus temporum uenis aut musculis coarctatis, conincidere quoq; solet. Letargus uerò, illius consobrina, est inexpugnabilis & obliuiosa ex frigido cerebri humore uel œdemate somnolentia, cuius febris lenta, & obliuio, sunt inseparabiles pedisse-quæ: quæ ex diametro phrenitidi repugnat. Has esse genuinos saporis liberos, inexpergiscibilis dormiendi affectio testatur.

Letargi definitio.

Reliquum est, ut spuriam illius stirpis sobolem quoq; censeamus, in cuius catalogo utrumque Coma, Catalepsis ac Catochus, non tam ratione quàm nomine diuersa numerantur: quæ cū uigilia somni imaginem referunt. Etsi generaliter quæuis præceps in grauem saporē propensio, Coma uel Cataphora dicitur: specialiter tamen duæ Comatis species apud Hippocratem reperiuntur: quarum prima κῶμα ἄγρυπνον, id est uigilans sopor dicitur, quem Archigenes & Philippus medici propriè Catochum & Catalepsiam appellauerunt, qui medius est inter phrenesim & letargū morbus, utriusq; particeps: qui ex pituita bili permixta, est soporifera cerebri affectio, in qua æger instar leporis apertis oculis dormit: nec oculis cōniuet: sed ἀσκαρδαμύκτως, id est indefesse & toruè quemq; intueri uidetur. Altera uerò Comatis species ὑπνῶδες καὶ βαθὺ, id est, profunda & ferè narcotica, cū stupore corporis, mentis somnolentia & stupor, adeò ægrè expergiscibilis, ut capillorum in barba euulsione aut acuum punctura uix excitētur, quali sopore Dionysius ille Heracleotarum tyrannus præpinguis laborasse fertur, à quo nisi acubus punctus excitari non poterat, quas consilio Medicorum pro corporis obœsitate, longitudine diuersas parauerat sibi. Nec mirum. Constat enim sanè, omnia animalia obœsa, ut ursos, glires, uitulos marinos, ob cerebri humiditatem esse somnolenta.

Comatis species & definitio. Gal. lib. 1. Præ not. & li. 2. prædict. Hip. & li. 3. quoque

Cataphora.

Sopor uigilās, catochus & catalepsia, idē.

Leporis sōnus Pli. li. 11. ca. 37.

De Dionysij obœsitate & somno Athen. li. 2. Dipnosoph.

Gliris, ursi, uituli marini sopor.

Dormitis (inquit Martialis) *nimium glires, uituliq; marini:*

Nil mirum, si uos crassa Minerua premit.

Hanc Comatis speciem Hippocrates & Galenus sub Cari nomine crebrò comprehendũt, quæ singula, ipsissima illorum simia Paulus Aegineta, paucis uerbis ita conscripsit: Si autẽ, inquit, pituita bilioso humori in cerebro commixta fuerit, quemadmodum hic sopor causam mixtam, ita quoq; appellationem compositam sortitur. ἄγρυπνον γὰρ κῶμα, uigilans sopor appellatur. Si autem in uniuersum cholera præpollet, omni insania uigil phrenitis fit. Si uerò pituita exuperat, tũ patiens sopore ægrè expergiscibili corripitur, quem Medici Galeno antiquiores Catochon & Catalepsiam quoq; nominarunt. Et ut res tibi clarius innotescat, horum differentias Galen. de Locis affectis, mira breuitate docet. Atqui, ait, solutæ apoplexiæ creberrimè succedere solet paralysis. Sopore uerò finito, bona ualetudo magna ex parte subsequi consueuit. Fit autem sopor, auctore Hippocrate, musculis temporum affectis: præterea in acutis quoq; morbis. Inter soporem uerò & apoplexiam morbus comitialis est medius, conuulsionem afferens uniuerso corpori, sed in paralysim non finitur. horum trium morborum frigidus ac crassus, aut omnino uiscidus humor causa est: uerùm & in sopore & morbo comitiali, uentres cerebri magis, corpus uerò cerebri minus: in apoplexia uerò utraq; affici solent. in Catalepsi uerò, & uigilanti sopore, posteriora cerebri magis molestantur. Quum uerò osse terebra perforato medius uentriculus fuerit attritus, sopor hominem occupat: sed neq; conuulsione, neque difficili facta spiratione, hæc apoplexiæ, illa morbo comitiali est peculiaris. in Catalepsi quoque & uigilanti sopore seruatur secundũ naturã spiratio: uerùm in sopore palpebræ clauduntur, in Catalepsi manẽt apertæ. hæc ille. Si uerò ex eodem Galeno differentiam phrenitidos ac lethargiæ addidero, tum nihil te in explicatione horum capitis morborum amplius desideraturum

Paul. Aeg. li. 3. cap. 9. & 10.

Differẽtię morborum capitis, Gal. li. 4. de Locis affect. ca 2.

Phrenitidos & letargi differẽtia, Gal. li. 4. de causis puls.

raturum arbitror. Ait namq; in libro de Causis pulsuum: Vt phrenitis fit ex humore cholerico, sic ex phlegmatico letargus, qui intra substantiã cerebri nascitur: phrenitis uerò subtilem cerebri panniculum, & eius diaphragma occupat. Cæterùm confido iam, hæc perplexa finitimorum cerebri morborum nomina, quæ non parũ Galenũ quoq; in enarratione Hippocratis sollicitarunt, tibi satis fore cognita. Vale.

DE SENVM VIGILIA.

Epist. XXVI.

QVAM uellem, uos, ut honoris Medicorũ rationem haberetis, aliquando altercationis finem facere: non certè illius, quæ scrutandæ ueritatis ergò, aut exercendi ingenij causa, in literarum palæstris fit: sed illius obstinatæ contentionis, quæ de re omnibus perspecta, aut nullius ponderis, ad ostentationem fit. An nescis, altercãdo ueritatem crebrò amitti? Medicorum (inquit Galenus) διαφωνία, id est dissensio, iure ignorantiæ suspicionem arguit: συμφωνία uerò, id est, concordia, iustam & magnam eruditionis spem pollicetur. Talem de uigilia senum controuersiam inter uestros ortam, ex his rationibus accipio scilicet. Quum somnus accidat ex uenarum cerebri, à frigidis & humidis cibi, potus, aut pharmaci uaporibus: repletione, circa mirabilem arteriarum plexum, panniculos cerebri, aut temporũ uenas, facta: ac præcipuè ex spirituum circa cor & sensuũ organa infrigidatione oriatur: tum omnes sensus torpent: sola uerò mens nullo obstricta organo, ex somnijs quæ fingit futurorũ præsaga, satagit. Vnde Medici rebus frigidis & humidis, lactuca, papauere, tepido dulcis aquæ lauacro, pedum capitisq; fomentatione somnum conciliant. Hinc, quum totum senile corpus humidis superfluitatibus abundet: horumq; caput, somni domicili-

Medicorũ concordiæ præconium.

Lib. 1. de Acut. diæta.

Causæ, quæ senes somnolentiæ arguunt.

Somni definitio, ex lib. 2. de Temp. & lib. 2. Gal. de Locis affectis.

Mẽs in somno non quiescit.

Pedum lotio allicit somnũ, teste Alex. Aphrod. li. 2. proble. 42.

Senes pituitoſi.

micilium, & pulmonem præcipuè pituita abundare, lippoſi ſenum oculi, ſtillans ex naribus coryſa, tuſsis, effluens ex ore ſaliua teſtētur: ſenes ideo iuuenib. natura calidiorib. eſſe ſomnolentiores contendunt.

Ex meri uini potu uigilia.

Nam calorem, & quæ calorifica ſunt, uigilias párere affirmant: quale eſt uetus uinum ἄκρατον, id eſt merum, quo cum Grammatici œconomus ſeſe ingurgitaſſet, reliquum uitę tempus inſomnis tranſegit.

Ob quas cauſas ſenes ſint uigiles.

Atqui hi toto errāt cœlo. Primùm, quòd ſenilis corporis conſtitutio, in qua uterq; calor humidum radicale depauit, non eſt naturaliter humida, ſed ſicca: id quod atrophia corporis, rugæ, macies, tabes ſiue maraſmus, neruorum quoq; durities indicat. Deinde, quòd ſenum ſanguis & cerebrum non dulci phlegmate, ſed ſalſis humoribus ſcateat, quod ſcabies ſicca, alopecia, uitiligo ac cutis prurigo, peculiares ſenū morbi atteſtantur.

Salſedinis cauſa.

Salſi nempe & ſeroſi humores in ſenibus, nō tantum ob cutis denſitatem coaceruātur, ſed etiam ob diuturnam concoctionem humorum: quę, teſte Galeno, nō ſanguinis ἰχὼρ, id eſt ſerum modò, ſed iura quoq; carniū & leguminum, quanto diutius coquuntur, tanto ſalſiora reddit.

De coctiōe leguminū & carnis hæc clarè docet Gal. li. 3. de Naturis alimentorum.

Accedit ad hoc, quòd uirtus nutritiua benigniores humores in corporis alimoniam inſumit: feculētiores uerò & terreſtres ab his ſequeſtrat, qui tandē ex caloris aduſtiōe ſalem reſipiunt.

De ſudoris & urinę ſalſed. hęc Ariſt. Proble. ſectione 2.

Hinc ſudor, & urina, & ipſum mare ſalſa fiunt: quòd ob terreſtres exhalationes, & thermarum, ac ſalſi liquoris ex eius littoribus & fundo ſcaturigines, illi permixtas, cæteris aquis & denſius ac pōderoſius ob id exiſtit: præcipuè cum ſol, ſub cuius circulo fluctuat) dulciores illius liquores exſuxerit: q̄ ita denſius fit, ut oua & nauigia onuſta in eo natēt, quæ in fluminib. peſſum irent.

De ſalſedine maris Ariſt. ſecti. 23. & lib. 2. Mete. ca. 2. Macrob. lib. 7. Satur. Lucretius lib. 2.

Hinc & pōtus Euxinus, quoniam ob influxum Phaſidis & aliorum fluminum dulceſcit, cōgelatur, & potabilis fit. Si quis tamē in profundū eius, ut Arrianus ait (εἰ δέ τις εἰς βάθος καθῆκεν τὴν κάλπην, ἅλμυρον ἀρύεται) urnam demiſerit, ſalſum humorem hauriet.

Arrian. lib. 1. de Euxini pōti nauigatiōe. Strabo & Pli. eadē.

hauriet. Ex his liquet, ſalſos humores ex terreno humore, à ſolis æſtu & noſtri caloris diuturna coctione genitos, eſſe ſiccos & calorificos, ac ſomni naturalis impedimenta. Quum uerò his ſenum corpus, ac præcipuè caput refertum ſit, ſenes eſſe adoleſcentibus ſomnolentiores, nullus rei medicæ conſultus affirmabit. Sed illud fateri cogetur, phlegma ſalſum in ſenibus, uelut acetũ ſua acredine, ſomnum turbare. Ac ne id tibi accidat, uino aquæ momẽto diluto, ac lactucæ ex acetarijs eſu, & dulcis aquæ temperato lauacro tibi mederi poteris. Veteres quoq; ſomni cauſa in cœna lactuca poſtremò ueſcebantur, quæ nunc appetitus excitandi gratia, ex acetarijs in principio eſtur. Vnde Martialis, De lactuca hęc Athen. li. 2. Dipnoſophiſt.

Claudere quæ cœnas lactuca ſolebat auorum,
Dic mihi, cur noſtras inchoat illa dapes?

Itaq; ſi talem mihi ſeneſcenti cœnam condixeris, libentur adero. Vale.

DE VINI CVM SALE ET AQUA *maris mixtura.* Epiſt. XXVII.

NVPER quum ab Illuſtriſsimis principib. Palatinis (qui ſemper non modò Martis celebre, ſed & paciferæ Palladis decus fuerũt) in eorũ Sympoſium, unà cum fidis illorum à conſilijs miniſtris accerſitus fuiſſem, & nobis iam uino ciboq; ſaturatis ſecũdæ menſę bellaria offerrẽtur: tum ego de more antiquorum cõuiuij, gryphum Theognidis poetæ diſſoluendũ ꝓpoſui: ἤδη γάρ με κέκληκε θαλάσσιος νεκρὸς οἴκαδε, ζωῷ φθεγγόμενος σώματι. Quòd de conchis, inſtar umblici orbicularibus, marinæ cochleæ aut limacis teſta, qua ueteres pro ſalpinge utebantur, Theognis ænigmate protulit. Et cum Iohannes Carocalla gryphum explicare nõ poſſet, tum ego in illius cyathum uini, ſalem inieci. id

quum cæteri conuiuæ uidissent, me ut hominem temulentum, qui parum salis haberet, ac inter tãtos principes ista auderet, torue aspiciebant. Tum ego: Boni consulite quæso, inquam. Nil certe à me temere factum est. Primùm, quòd apud ueterum conuiuas non illaudata olim inoleuerit consuetudo, ut qui griphum propositum dissoluere non posset, is poculum salsuginis humore mixtũ uno exhaurire spiritu cogeret, ut ex Antiphane comico Atheneus his uerbis testatur: καὶ τινα κόλασιν ὑπέμενον οἱ μὴ λύσαντες τὸν προτεθέντα γρῖφον. ἔπινον οὖτοι ἅλμην παραμισγομένην τῷ αὐτῶν ποτῷ, καὶ ἔδει προσενέγκασθαι τὸ ποτήριον ἀπνευστί. Quod & ego illi quoq; in pœnam statui.

De pœna griphũ nõ soluentis, Athen. lib. 10. Hesychius in dictiõe Griphi.

Deinde salem ideo poculo eius inspersi, quòd uinum in eius cyatho mihi uidebatur esse fæculentum, ut sal id depuraret: qui non modò sua grauitate uini fæculentiam in fundum trahit, & à corruptione ac nimia æstus ebulitione præseruat, sed longè quoq; salubrius quàm sulphur efficit. Vnde Cõstãtinus in Geoponico inquit, ἅλες φρικτοὶ ἐμβαλλόμενοι, τὸν οἶνον τρέπεσθαι ἐπέχουσι, κωλύουσι δὲ καὶ πέρα τοῦ δέοντος ζέσαι, καὶ ἀφρὸν πλείονα ἐπιγίνεσθαι. Imò torcularia quoq;, marina aqua eluere & irrigare suadet. Proinde Græci ac Romani olim, ut uinum defecatius, ac etiam delicatius redderent, mustum aqua maris aut muria ad tertias decocta, certa mensura miscebant, quàm Columella lib. 3. his uerbis docet: Adijciuntur, inquit, in aque dulcis sextarios quinquaginta, salis sextarius, & mellis optimi sextarius unus. hęc pariter decoqui, & omnem spurcitiam expurgari oportet. deinde cum refrixerit, tum quantumcunq; humoris est, tantam in amphora portionem humoris adijci. Quod si uerò ager maritimus est, silentibus uentis, de alto quàm quietissimo sumẽda est aqua, & in tertiam partem decoquenda: tandem musto in cadis aromatibus suffitis admiscenda. Ob hanc uini cum aquæ maris temperaturam, uetus erat adagium, Dionysium æquore mergendum: & Poetæ,

Muriæ decoctio.

Eadem M. Cato de re Rust. ca. 104. & 105.

Dionysium æquore mergendum. prouerb.

tæ, Delphinos maris beluas Libero patri sacros esse fingebant. Verùm Galenus uina generosa in Lesbo & Chio insulis nata, hanc æquoris cum musto mixturam non ferre, libro Methodi duodecimo testatur. Et uina quæ hac mixtura carebant, ἀπαράχυτα Græci nominabant. At si 50 sextarijs musti, unus aquæ maris sextarius admiscebatur, uinũ illud ἀνθοσμίαν appellabant. Hæc uina, maris tẽperatura rectè curata, caput crepala nõ offendunt, uentrem laxant: stomachum tamen uellicant, inflationes cõmouent, cibi uerò concoctionem promouent. At uinum dulce, quod sponte uel prima & leni præli põdere ex uuis in torculari prælo substratis, in lacum defluit, Mitylenæi & Græci Prodromon, & * Protropon, id est, ut Hesychius exponit, πρὸ τῦ γλεύκυς τὸ πρόῤῥυμα, primum ante mustum uini uuarum profluuium, appellant: quale delicatissimum in Noua Palatinatus ciuitate conficitur. quod Columella mustum lixiuium nominant, apta scilicet similitudinis ratione. Nam ut lixiuiũ per madidum in colo cinerem destillat: sic pariter liquorem uuarum in torculari de botris prælo subiectis sponte aut leni pressura primò effluẽtem, quòd reliquum mustum anteuertat, πρόδρομον, id est præcursorẽ, & πρότροπον dixerunt: & non id generis dulce uinum, quod tertia tantũ parte, uel dimidia uini per decoctionem derelicta constat, à Latinis [a] sapa, siue defrutum dicta: nõ protropion, ut Montegnana medicus in consilio de Dysuria ineptè sentit, dixerunt. Hæc tu uina, si corporis maciem curare uoles, liberius quàm salsilagine macerata potare poteris: & abstinere [b] à deuterijs uinis, quæ de secũdaria ex acinis uuarum aqua maceratis colatura conficiebantur, à Romanis lora, à Græciæ uulgo thamna dicebant, quæ auctore Dioscoride fiebant ex uinaceis, unde triginta uini cadi expresſi fuerant, aquæ cadis tribus mixtis, simul calcatis: quodq; expressum erat, ad tertias decoquebat, & singulis decocti eius uini cógijs salis sextarij duo admi-

Delphini Baccho dicati.

Vina aparachyta. Gal. lib. 4. de cõpos. medic. generaliũ. & 12. Methodi.

De anthosmia uino, Athen. lib. 1. Dipnosoph.

* De uino protropo & dulci Columella lib. 13. cap. 28. lixiuium appellat Athen. quoq; li. 1. Dipnos.

Vinũ prodromon, beerwein zũ der Newstath.

a De sapa & de fruto Columella li. 13. & Dioscor. lib. 5.

Barth. Montegnanæ error.

Vina dulcia corpus impinguant.

b De uino deuterio, id est lora, thãna, hæc Diosc. li. 5. ca. 6. Gal. de alim. li. 2. Const. lib. 6. copiose.

admiſcebant̃,& poſt hyemẽ in dolia diffundebantur,ac potimũ fiebat,& dicebatur:id quod Galenus lib.de Alimentis ſecundo,Conſtantinus in Geoponico, ſine ſalis additione conficere docent. Hoc uino æſtate choleræ ebulitionem, & ſitim, ſedare poteris: quod te latêre nolui. Vale.

DE MARIS SALSEDINE, ET SAlis pinguedine. Epiſt. XXVIII.

LITERIS tuis affirmaſti,me pleraque obſcura, de maris & ſalis cum uino mixtura,medicorum loca,proxima epiſtola illuſtraſſe. Verùm quam ob cauſam ſale muſtũ fiat defęcatius,nempe quòd ſalis liquor uini fæculentiam ei implicitam ſua terreſtri grauitate in fundum cadi uelut hypoſtaſim trahat, id non omnibus probari:quum ſal ob ſuam pinguedinẽ potius enatare,quàm ſubſidere debeat. Eius pinguedinem aqua marina clarè docet, quæ flammæ inſperſa,nõ tam eam extinguit,quàm pariter incenditur: pinguedine eius alimoniam igni ſuppeditante, ob quam nec ſordes ueſtium aut corporum abluit. Vnde Nauſicaa, Alcinoi regis Phæacum filia quamuis mare paterna urbis mœnia allueret,ueſtes tamẽ ſuas, & Vlyſſem naufragũ ſpuma æquoris madentem,non æquoris aqua,ſed flumine abluere iuſsit ancillas. Proinde Homerus, uates arcanorum naturæ conſcius,ita cecinit Odyſſeæ ζ.

Rationis,ob quam ſal uinũ depurat, cõfutatio.

Pinguedo ſalis probatur Ariſtot.in probl. ſecti.23.

† Idem teſtantur Ariſtot. li. 2. Meteor. Macrob.lib.7.Sat. Plin.lib.2.

αὐτὰρ ὁ ἐκ ποταμοῦ χρόα νίζετο δῖος ὀδυσσεὺς
ἅλμην, ἥ οἱ νῶτα καὶ εὐρέας ἄμπεχεν ὤμους,
ἐκ κεφαλῆς δ' ἔσμηχεν ἁλὸς χνόον ἀτρυγέτοιο.

Vlyſſes,inquit,naufragus,& nudus,in littora Phæacum eiectus, ex flumine maris ſalſilaginem de corpore abluit,quæ dorſum & latos eius exaſperauit humeros, & à capite maris abſterſit ſpumam. Cæterùm hi quàm parum naturas rerum exploratas habeant,uel ex hoc cõ-

Aduerſæ opinionis cõfutatio.

ijcere

ijcere potes, quod ignorant, corpora non ratione ponderis, aut leuitatis, natare uel subsidere: sed pro elementorum, ex quibus constant, proportione, & dominio, locum inter elementa petere. Vnde paruus scrupulus ob terream & compactam lapidis substantiam in flumine subsidet: in quo ingens trabs lignea, ob aeream eius & porosam substantiam supernatat. Sic paruulus salis grumus, quia plus terræ quàm aeris participat, in uino uel aqua subsidet: quum uter oleo plenus emergat. Nec sal tãtum, ut Aristoteles refert, frigore & humore dissoluit, & calido ac sicco cogitur: imò calido & humido quoq; eliquescit. Nam si salẽ raphano insperseris: aut raphani, qui natura calidus & humidus est, frusta, salis aceruo indideris, sal totus liquescet. Quare ne sal tuum (ut illorum qui illud ob pinguedinem supernatare credunt) infatuetur, salis naturam diligenter explorato: quo melius omnibus aromatibus tua cibaria cõdies, & uentriculo cibum fastidienti subuenies, quod & columbæ natura duce nouerunt, quæ ut languentem pipionum stomachum excitent, salem, aut terram quæ salẽ sapiat, illis in os ingerunt. Vale.

Corpora non ob grauitatẽ, sed terrestreitatẽ submergi.

Ligna cur in aqua superemineant.

Error Aristotelis in secũdo Meteor.

Sal raphano liquescit.

Sal fastidium stomachi tollit, quod columbæ quoq; nouerunt.

DE SALVBRIORE POCVLORVM materia. Epistola XXIX.

NVPER dum Saturnalia de more ueterum accersitis amicis celebrares, ut conuiuæ Baccho libarent, uarijs poculis mensam adornabas: in quib. spectandis, non tam fabrorum industria quàm materiæ uarietas, ex qua cõfecta erant, omnibus admirationi fuit. Tum quærebatur, quæ poculorum materia esset salubrior? Tunc ego, ne asymbolus conuiuio interfuisse uiderer: id me ex ueterum scriptis, paucis declaraturum pollicebar: antiquissimaq; ueterum pocula ῥυτὰ dicta, fuisse †boum cornua. hinc ἀπὸ τοῦ κέρατος, id est cornu, cra

† De corneis ueterum ac regum poculis, Athen. lib. 11. Dipnosoph.

 ter, &

ter,& uinum aqua miſcere κεράσαι ueteres dicebãt. Vnde Theopompus, apud Pæonas boues tam magna geſtare cornua ait, quæ trib. aut quatuor uini ſextarijs uix adimplerentur, quorum reges & proceres ex his pocula conficerent, eorumq́; labra argento & auro obducerẽt.

Regum Indiæ ex cornu monocerotis pocula. Philoſtr. li.3. de uita Apollonij.

De uirib. eyngeborns.

Regum namq́; pocula olim fuiſſe cornua, etiam Philoſtratus in libro de uita Apollonij Tyanæi teſtatur. Eſſe autem in uicinis Phaſidos fluuij aſinos, qui unum in fronte cornu haberẽt, quo cum elephantis ferociter pugnant. ex illorum cornibus Indi pocula conficiunt: aſſeruntq́;, quicunque ex tali poculo biberit, eo die nullo morbo, nec uulneris dolore, aut ignis flamma offendi, nec ueneno intoxicari poſſe.

Cornu monocerotis ueneno mederi.

Hoc uerò animal non rhinocerota, cui unũ ex naribus prominet cornu, ſed monocerota Plinius appellat, unicornes Indiæ boues: quales duos uiuos Sultano ex Aethiopia muneri miſſos, ac circa templum Mechæ ſeptis incluſos, Ludouicus Ro. patricius uel noſtra adhuc ætate ſe uidiſſe gloriatur.

Ceruini cornu uires. Pli. li.8. cap.22. Virgil. in Georg.

Vari⁹ cornuũ in medic. uſus. Gal. lib. 1. & 2. de Compoſit. medica. & lib. 13. Methodi.

At non ſolum monocerotis cornua, ſed ceruorum quoque, contra uirus eſſe efficacia, experimẽto conſtat, quorum nidore fugantur ſerpentes: & ſcobe eorum, uermes infantium enecantur. Non temerè igitur ueterum Medicorum inſtrumenta cornea erant: cornibus liquores menſurabant: cornib. in ſcarificatione pro cucurbitulis, modò ex aurichalco uel uitro conflatis utebantur: cornibus clyſteria, teſte Galeno, adminaſtrabant. Et ſi ex læuigatis ceruorum cornibus, quum monocerotis deſunt, pocula conficerentur, ea non improbarem.

Athen. lib. 6. Dipnoſ. Pli. 35. cap. 12.

At uaſis & ſimulachris quoq; fictilibus, quæ plaſtes ex terra Samia finxerat, uſq; ad Macedonũ tẽpora tam in ſacris quàm in conuiuijs Græci & Romani utebantur: nec alijs uaſis Numa Pompilius dijs litabat, quàm (ut Cicero refert) fictilibus urnulis capedunculis ac ſypullis, quæ erant uaſa fictilia, quib. in ſacrificijs ſacerdotes dijs prælibabãt.

Cicero in Paradox. & lib. 2. de Nat. deor. Iuuenal. Sat. 6. Liu. lib. 1.

Ex fictilibus quoq; tam Romani conſules, quàm aliarũ genti-

gentium reges & cœnabant & bibebant. Fama est (inquit Ausonius) fictilib. cœnasse Agathoclea regē: qui ex plaste Syracusanorum rex designatus, noluit pocula quæ ipse olim ex luto finxerat, aspernari. Plin. quoq; refert, Catum Elicium, cum Aetolorum legati ei ex fictilibus prandenti uasa argentea obtulissent, ea non acceptasse. Et tantus consul & uictor, usq; ad supremum uitæ diem nec plura quàm duo habuit argēti pocula, quæ L. Paulus socer ei ob uirtutem, deuicto Perseo rege, donauerat. Nec usum fictilium, ut insalubrem repudio: modò non sint ex terra palustri quæ putrilaginē oleat, aut mineris participet, sed ex terra pingui & spissa, quæ ignis in fornace coctura lapidescit, confecta: qualia sunt in Hispanijs Valentiana, in Germanijs Coloniensia, ualde opportuna pharmacopolis (ad seruādos liquores, electuaria & eclegmata) uasa. Verùm in his eligendis id tibi maximè proderit, quòd, ut diuus Hieronymus ait, calix & urceolus fictilis probantur prius, quàm emūtur: sola uxor non ostenditur, ne antea displiceat, quàm ducatur. quare empturus fictilia, si uinum infusum, saporem aut colorem mutauerit, uel terram resipit, illa quoq; facilius quàm uxorem semel ductam repudiare poteris. Quod si ita exactè concocta & præparata fuerint, tum minus admirabor Victruuium, uasa fictilia melius saporis integritatem quàm argentea retinere & conseruare affirmantem. At dum sobrietas & frugalitas ab antiquorū conuictu non exulabant, tum catinus & scyphus ac cissybium, ex ligno confecta pocula, in censu uasorū nobilium quoq; erant. Cuius frugalitatis præclarū specimen de se M. Curius Samnitibus præbuit, qui in agresti sedens scamno, dum ex ligneo catino suis tostis uesceretur rapis, Samnitium legatis ingens auri pondus offerentibus: Narrate (inquit) uestris, M. Curium malle locupletib. imperare, quàm ditescere: atq; istud ut preciosum, ita malo hominum excogitatum munus refertote:

Pli.li.33.ca.11.

Victru lib. Archit.8.cap.7.

Plutarch. in eius uita. Valer. lib.4.ca.389.

& mementote, me nec acie uinci, nec pecunia corrumpi posse. Erat sanè catinus uulgare uas escariū, quo etiam Romani tempore Numæ Pompilij utebantur. Vnde Iuuenalis ait: — *Aut quis*

Catinus quid.

Satyr 6.

Sympullum ridere Numæ, nigrumq; catinum,
Et Vaticano fragiles de monte patellas
Ausus erat? — Certè nemo. In Vaticano autem Romanæ urbis colle optima conficiebantur fictilia. Erat quoq; Cissybium Græcorum ex ligno hederæ poculū, cuius meminit Homerus Odyssex 1.

Athen.li.11. copiose.

κισσύβιον μετὰ χερσὶν ἔχων μέλανος οἴνοιο.

Tale ex hedera poculum, gemina ratione conuiuia decere arbitror. Primùm, quòd hedera uini temulentiā suo frigore arcere creditur: & ob id Corybantes corniger Bacchi sacerdotes, hedera coronabantur. Deinde, quòd cauponum fraudes, qui uinum aqua miscent, eo poculo deprehenduntur. Nam, teste Catone, si uinum lymphatum in uas hederaceum effunditur, tum uinum per poros resudat & effluit, aqua uerò ob grosiorem ui no substātiam remanet. Certè præclaras medendi uires plerisq; lignis inesse, ut thamarisco & fraxino, nouerunt Medici omnes: quorum hoc uenenis & calculo, illud uerò spleni obstructo præclarè medetur. Quare ligneos ex his compactos calices non improbo. Ex ligno quoq; Guaiaco pocula torno excauata libens admitto. Sed quum Asia & Alexandria deuicta Romanorum opes creuissent, mollisq; Græcorum luxus Romanorum grauitatem eneruasset, tum quoq; repudiatis fictilibus & ex ligno poculis, uestium & poculorū, ex ære Corinthio crystallis & murra, luxuria Romæ inualuit. sunt enim myrrhina pocula, ex murra gemma sculpta, quę pręcipuè in Carmania, ex humore sub terra solis æstu concreto, uelut lyncurium, coalescit: quæ non splendet, sed purpureis & choruscis in candore maculis uersicolor uelut murena piscis nitet, quā ob id Cassius iurisconsultus inter

M.Cato de Re rust. cap. 110.

Ex fraxino & thamarisco pocula.

Pli.li.33. cap. 1.

Murra est lapis Chalcedonius, inde Myrrhina fiebāt pocula.

inter gẽmas non computat. At ex ea celata pocula, uini ſaporem fouere, Martialis tradit:

Si calidum potas, ardenti murrha phalerno
Conuenit, & melior fit ſapor inde mero.

Laudatur Auguſtus Cæſar, quòd capta Alexandria, ex regia ſupellectile nil, præter unum myrrhinum calicem, retinuerit. Cryſtallina quoque uaſa, ex cryſtalli glacie, hyberno frigore ſub niuibus intra rupes concreta, ſculpta, in delicijs habebantur: quibus noſtra ex uitro conflata pocula, in cenſu proxima ſunt. quæ eo nomine ſunt metallicis ſalubriora, quòd nulla ſulphuris aut argenti, plumbi, ac ceruſæ uirulentia participent: & ſuo congenito frigore, ſaporẽ uini quauis niue & glacie melius conſeruant. At quando cum diuitijs amor quoque argenti & auri creuit, & auri ſacra fames pectora hominum obſederat, tum primùm, quãuis ſerò, ſalubriora ex figulari terra lignis & uitro pocula, metallicis ceſſerunt. Nam uaſa Corinthiaca, χαλκώματα dicta, tũ primùm ex ære fieri cœperunt, cum Corintho à L. Mẽmio deuaſtata incendio, ſimulachra ex omnifarijs æris, argenti & auri metallis conflata, in unam maſſam confluxiſſent. Gigas uerò primus Lydorum rex, templũ Apollinis Delphici ex argento & auro donarijs decorauit: Gorgias Leontinus orator, primus hominum auream ſtatuam, & ſolidam, ſibi Delphis in templo collocauit. Ac tam rarus erat tum auri & argenteæ ſupellectilis quoque uſus, ut Fabricius Romanus, imperatores plus quàm unam ex argento pateram & ſalinum habere uetuerit. Vnde Duris ille Samius refert, Philippũ magni regis Alexandri patrem, unicam tantam ex auro phialam habuiſſe, quam noctu ſub puluinari celare ſolitus eſſet. At poſt tempora Crœſi & Maſſaniſſæ, tãtus in tota Europa argenti & auri inoleuit uſus, ut nihil in conuiuijs magnificentius haberetur, quàm pleno ſeſe auro proluere: & Poppea Neronis cõiux ſoleas iumẽtis

Pli. li. 34. ca. 2.

Hæc Athenæus 6. Dipnoſo.

Pli. li. 33. cap. 4.

Pli. li. 33. ca. 11.

tis ſuis aureas indueret: tẽpla, triclinia, ac mulierũ colla, & hoſtiarũ cornua, auro fulgerẽt. Ante hæc tẽpora, & auri uſum, ex ęreis poculis dijs libabãt, & bibebãt: eorũ quoque repoſitoria χαλκωθήκας appellabant. Herodotus, Aegyptiorum ſacerdotes ex æreis tantum poculis bibiſſe, auctor eſt. At quum æs ęruginem, ſtomacho infeſtum uirus, facilè (præcipuè ſi uino uel aceto irrigatum fuerit) contrahat, aurea pocula mihi magis cordi forent, quum id corroborare & exhilarare tradatur. At poculum ex electro naturali, quod auro & quinta eius argenti parte conſtat, conflatum, quia ſtridore, & maculoſo in ſuperficie interna arcu, quo nitor eius obſoleſcit, uirus infuſum prodit, cæteris etiam ex auro obrizo metallicis poculis p̃ferrẽ, & fictilia quoq; Aeginetis relinquerẽ, quos Herodotus tantũ ἐκ χυτρίων τῶν χωρίων πίνειν, id eſt, ex urceolis aut ollis in Aegina factis bibere tradit. Eſt & aliud aurei poculi genus, ictericis ualde ſalubre, erythrodani radicis, quã rubeam uocãt, decoctum: quod potũ, aureũ regij morbi colorẽ emẽdat. aureum ab antiqs medicis poculũ dicebaẽ. Quod cũ nõ magni cõſtet, Petro Cyglerio meo nomine donare poteris. Vale.

Poculorum ex ære uſus. — Lib. 2. — Pollux lib. 6. cap. 16. — Pli. li. 24. ca. 2.

DE CRAEPALA, SIVE EX MERO Cephalalgia. Epiſtola XXX.

PRæclaras mihi egiſti gratias, mi Cygleri, quòd aureo erythrodani poculo te donauerim: quod quantum ſanitas diuitias antecellit, tantum tibi omni tua ſupellectile charius eſſe affirmas. Quòd ſi mihi quoq; aliud eſſet poculum, quod æquè ex mero crępalæ, ac illud ictericiæ, mederi poſſet: id multis ſeſtertijs in aula principum pluris uenire poſſe, rectè mones. At certè non eſt mihi huiuſmodi poculum, quo & ipſe aliquando egeo, uenale: ſed quale ſit, te pro ueteri noſtra amicitia rectè docebo. Erat Cothon fictile Laconi-

De crępala uide Galen. li. 5. Aphor. 5. Suidam & Heſychium.

conibus poculum: unde κωθωνίσαι, id est, inebriari, Lacones dicebant. Qua ratione uerò id citra animi & corporis offensam commodè fieret, Mnesitheus Atheniensis medicus, in epistola sua de Cothonismo, docet. Et ne illius consiliū Græcę linguę imperitis pariat fastidium, id Latinè explicabo. Accidit autē (inquit) ut illorū qui se plurimo mero ingurgitant, corpus & anima grauiter offendatur. Verùm quodam dierum interuallo inebriari, uidetur mihi corpus expurgare, & animum recreare. Coaceruāt enim in nobis ex quotidiana potatiōe quędam humorum acredines, quarum opportunissimus est per urinam exitus, & purgatio per compotationem maximè competit. abluitur enim uino corpus, quod est calidum & humidum. & urina, quæ de nobis colatur, acuta est: nam & fullones cum ea uestimenta abluunt. Tria uerò tibi cōpotanti erunt cauenda: Ne malū uinum pēdulùm ue bibas, neq; merum non mixtum: neque te in compotatione bellarijs secundæ mensæ repleas: ac cum satis te uino impleueris, ne dormias priusquam euomueris: post uomitum uerò parum lotus, quiesce. Quòd si te non sufficienter euacuare poteris, tum plurimo calidæ aquæ utaris lauacro. Accipis ne iam ex antiquissimo medico Mnesitheo, quo moderamine Lacones Cothone poculo utebantur: & quòd cothonismo corpus per urinam & uomitum expurgatur: animus quoque φιλοτησίας poculo exhilaretur. Deinde si quis dulcedine uini inescatus, plus ęquo biberit, qua ratione temulētia & cræpala curetur: nempe cum uigilia uapores uini dissipat, somnus uerò his caput replet, ne temulētus dormiat, priusquam euomuerit. Nec stomachus humorum corporis saburram commodius, quàm repletus, exonerare potest. Vnde præter Galenum & Auicennam ueteres medici inter salubria conseruādæ sanitatis præcepta, quouis mense alij semel tantum, alij bis uomere constituerunt. Nec stomachus bellarijs, quæ sua dulcedine

Athen. lib. 11. Dipnosoph.

Cothonismū copiose describit Iul. Pollux lib. 6. cap. 18.

Cōpotationis cōmoda. Athenęus lib. 2.

Fullones urina uestes purgāt.

De curādæ ebrietatis ratione Gale. decō pos. med. in gener. lib. 2. & de facilè parabilibus. & lib. 2. de Med. sec. loca. & Rasis ad Almās. lib. 5. cap. 74. & Macrob. lib. 7. Saturna.

Quouis mense semel uomendū, Gal. lib. 4. de Vtil. par. & Aui. 4. fen. primi capitis.

dine

dine & uiſcoſitate epar infarciunt, eſt onerandus: niſi a-
mygdala amara, aut poma cottonea uel ceſtiana, aut o-
ua toſta coriandro aſperſa fuerint. Galenus quoque ad
concoquendam calidæ aquæ fotu cruditatem, temulen
tos altero die lauare, & à balneo capeſſere ſomnum iu-
bet. ad quod Lacones ſpeciale lauacrum ſudatorium te
pidario, ut Vitruuius refert, coniunctum, ac Laconicũ
Lib 5.cap.2. & 10. dictum, conſtructum habebãt, cuius Columella in pro-
logo his uerbis meminit: Moxdeinde ut apti ueniamus
ad ganeas, quotidianam cruditatem Laconicis exco-
quimus, & exuſto ſudore ſitim quærimus. Non tamẽ
in quauis Cephalæa lauacris uti Galenus ſuadet: ſed
quando caput citra febrim incaleſcit, tum lauare, & à
balneo ueſci lactucis, ac ſorbere ptiſanam pręcipit. quã-
do uerò à putridis in uentriculo humoribus, flatulenti
uapores ad caput exhalant, ac uertiginem commouẽt,
tum balnei uſum penitus diſſuadet. Frons quoque he
deræ ſucco irrigata, & folia braſsicæ aqua roſarum ma-
dida, capiti applicata, ex uino cephalalgiæ medẽtur. Tã
tum enim eſt braſsicæ cum uino diſsidium, ut uites iu-
xtà conſitæ non coaleſcant: unde eius comeſtio ebrieta
Suidas in dict. κράμβη, & Athenęus li.1. Dip. Gale. lib.2. de Cóp.med.sec. loca. tem arcere creditur. & ideo Aegyptij, inquit Suidas, an
te alia fercula braſsicam coctam edebant, & primùm in
Sympoſijs ex eius olere ferculum fiebat. Meritò autem
eandem uim quoque raphano tribuunt, qui braſsicam
Græcè κράμβην & raphanum dici: noſtram uerò radicu
Gal.li.2 de Alimentis, capite de braſsica. lam, qua ueſcimur, ab Athenięſibus ῥαφανίδα nominari
ignorant. Tu igitur ne abſtemius uiuas, hac ratione
uini incommodis obuiam ire poteris. Vale.

DE FRIGIDAE POTV.

Epiſt. XXXI.

Qui medici frigidę potũ docuerint. Plí.li. 26.cap.3.

QVàm efficaces ſint gulæ uoluptates, uel
ex hoc conijcere potes, quòd pleræque gẽ
tes & hydropotæ plus ob frigus aquam &
niuem, quàm uinum, deorum nectar, affe-
ctarunt:

ctarunt: ſed non pari ratione. nam hi uoluptatis gratia ob frigus arte paratum, aquam uino prætulerunt. alij religionis ergò abſtemij uixerunt: ut perfida Iudæorum gens, ex lege Moſaica: & Thraces, illius ex Machometis conſtitutione æmuli, uino abſtinent. & Herodotus reges Perſarum tantum aquam Choaſpis fluuij potare tradit, quam peregrè profecturi, prius probè decoctam ac uaſis argenteis exceptam, in aurigis etiam ad uenationem ſecum deferebant. Aquam quoque Nili inter regia munera adeò in delicijs habuerunt, ut Philadelphus eam ex Aegypto Berenici filiæ, quæ Antiocho nupſerat, in Syriam dono miſerit. Et ne pręcordia mero nimis incaleſcerent, caput aggrauaretur, aut frigus aquę interna uiſcera oblæderet, Melampos primûm aquā uino ęquali miſcere pondere docuit. unde Hermes Ariſtophanis in Pluto exclamat: οἴμοι δὲ κύλικος, ἴσου ἴσῳ κεκραμένης. & Hippocrates: Halyce, inquit, anxietudo, oſcitatio & horror, uinum æquale æquali potum ſoluit ægritudinē. Quid multis? ne ulla potandi illecebra deeſſet, Alexandrini à Protagoride edocti, aquā ſingulari induſtria infrigidabant, qui aquam in teſtaceis uaſis, interdiu ſub aprico ſolis æſtu calefacientes, aut eius terreſtrem cruditatem ignis calore concoquentes, noctu in malo nauis aut feneſtris ædium altioribus, ætheris frigori exponebant: manè uerò, antequam ſol illuxerat, ſubducta eius fęculenta hypoſtaſi, puriorem aquæ partem ut ſalubriorem, in fictilibus hydreis, aqua aſperſis, & pampini folijs aut lactucæ coopertis, ſub paleas reponebāt. Et nequid ad gelida ganeæ pocula deeſſet, niues ad æſtatem uſq; in ſubterraneis foſsis, quernis frondibus aut palea coopertas: Græcorum & Romanorum luxuria conſeruare docuit. Vnde diuus Auguſtinus libro de Ciuitate Dei primo: Quis dedit, inquit, paleæ tam frigidam uim, ut obrutas niues ſeruet? uel tam feruidā, ut poma immatura maturet? Hinc Alexander ille magnus, dum præ-

Iudæi & Turcæ abſtemij.

De rege Perſarum, & hydropotis, hęc Athen. li. 2. Dip.

Lib. 7. apho. 56

Gal. in 4. ſexti lib. Epid. cōmētario. Athenęus lib. 3. Dipnoſoph.

claram Indorum ciuitatem Petram obsideret, triginta subterraneas scrobes effodit, quas niue ad infrigidanda militum pocula adimpleuerat. ita luxuria potus, commenta est reponendæ niuis officinas. Nam seruatur, ait Plinius, algor æstibus, excogitaturque ut alienis mensib. nix algeat. Heliogabalus quoque Romanorum imperator, in uiridario domus suæ montem excauit, in quem hybernas niues & glaciem ad æstus refrigerium reconderet. Sed ante eū Nero, crudelis Romanæ urbis pernicies, excogitauit decoquere aquam, uitroque demissam in niuem refrigerare, & in piscinis niue refrigeratis sub Caniculæ æstu lauare. Nec niuis algore tum contentabantur: sed eius aquam, per uas ex lapide uelut pumice porosum bibere, ingeniosa sitis illecebra Romanos & Græcos docuit, quod colum niuarium appellabant. Vnde Martialis inquit:

Ael. Lampridius in eius uita.

Pli. lib. 30. cap. 3. & Sueton. in eius uita.

Epigrã. lib. 14.

Non potare niuem, sed aquam potare rigentem:
De niue, commenta est ingeniosa sitis.

Has niuis delicias & refrigeria diu ante Romanorum reges & imperatores Græci usurparunt, quorum ueteris comœdiæ auctor Stratis inquit, οἶνον γὰρ πίνειν ψυχόμενον ἐν τῷ φρέατι, χιόνι μεμιγμένον: id est, Bibere uinum in puteo fontis refrigeratum, niue mixtum. Et quamuis ad curandos æstuantis uentriculi affectus, hanc plurimùm conferre, Galenus in Methodo sua prædicet (dū, Vidisti, inquit, tu quosdam uno die, at potius hora, eos frigida potione leuatos, quorum alijs non modò recentem fontis aquam, sed etiam quæ esset niue refrigerata, dedi, ueluti Romæ præparare solent, præcalefaciētes primùm, quam aquæ præparationem biscoctam appellant) hanc tamen frigidæ potionem idem Galenus in libello de Boni & mali succi alimentis, & de Renum affectibus, eisdem uerbis testatur adolescentibus primùm insensilem, sed morbidam tamen, in præcordijs alterationem parere; & inde ingrauescente ætate, affectus

Obscurus Galeni ex 7. Methodi locus illustratur.

Aquæ niuis incommoda.

ctus in articulis, neruis, uiſceribus, incurabiles afferre. Quare ut ab hac tibi temperes, fideliter tibi ſuadeo: ac quicquid ueteres de niue ſcripſerunt, id de cryſtallo & glacie, & ſale nitro uerè quoq; dici putato. quam nūc etiam noſtris temporibus, ad uini refrigerium, Schleſitæ, Bohemi, Hungari, & Moraui in ſubterraneis ſcrobib. recondunt. Verùm quia hanc ſtomacho obeſſe, ac illius uillos relaxare, ex uitiata deglutitione uidi & ſenſi: illius uſum faſtidiui, & diſſuaſi. Et data optione, mallem cum Nomadibus galactopotis, & Philino, lac bibere, quem Ariſtoteles & Theophraſtus in tota uita, nec alio potu aut cibo quàm lacte ſaturatū uixiſſe perhibent. Proinde quoniam uiſcera tua facilè flatu intumeſcant, ab aquæ potu tibi caueto. Vale.

Glacie in æſtate potus refrigeratio.

Athe. lib. 2. de Nomadibus. Strabo & Plin. eadem.

DE FALSA ERYSIPELATIS *cura.* *Epiſtola* XXXII.

GAuiſus eras, non tam meo, quàm ægrorum nomine, quòd meā curandi ægros operam generoſis Rheni Comitibus Palatinis, illuſtriſsimis Bauariæ principibus locaſſem. Primū, quòd terram incultam, cum ea quæ eſſet uino ſalubri & frumento fœcūda ac populoſa, commutaſſem: deinde, quòd mea opera & recta curandi ęgros methodo, accolas Rheni ab empiricorum tyrannide, quos Galenus rectè latronibus comparat, & à Iudæorum impoſtura me uindicaturum ſperaſſes. At mi Germane frater, quàm ægrè id fieri poſſit, rationes inexpugnabiles in prima epiſtola accepiſti. Nam ut terra lætis fœcunda ſegetibus, tribulos, urticas, lolium & carduos parit, quę etiam ſi eruncaueris repullulāt: ita Rhenus inter pclara medicorū ingenia, nullis ſecūda, fraudulenta quoq; parturit, quę magiſtratus indulgentia alit & tuet. hęc ut cardui lętas ſegetes, ita illa fraudib. adulatione, optima quęq; ingenia opprimunt.

Empiricos latronibus peiores, Galenus in libello de pręnotione, & li. 1. prognoſt. teſtatur.

Quę enim ciuitas, quis denique pagus, imperitiſsimum in re medica empiricum, λογίατρον garrulum, perfidum Iudæum, aut parrochianum, totius Philoſophiæ ignarum apoſtatam, non alit? quibus, ut feli cum muribus captis, ita illis cum uita ægrotantium colludere impunè licet: non ſanguinem tantum cum uita, ſed pecuniam quoq;, qua paupercula unà cum liberis uxor alenda erat, emungere his permittitur. Hoc certè eſt præter boni paſtoris officium, non tondere & paſcere, ſed deglubere pecus: cuius ſanguinem innocentem Deus, iuſtus ſcelerum uindex, ab auaris illorum manibus aliquando eripiet. Verùm ne tu omnino ſpe fruſtreris, quàm falſam curandæ eryſipelatis methodum Iudæi, & illorum aſſeclæ empirici, in locis Rheno finitimis inſtituerint, paucis indicabo. Nam ſi qua etiam citra febrem, uel ſanguinis ebulitionem cholerici, puſtula uel macula rubea in aliquo corporis membro, præcipuè in capite, temporibus, crure, eruperit, id eryſipelam eſſe exclamant: ac miſeris ægris omni humectationi & lotioni interdicũt. quo fit, ut magni nominis proceres neq; caput aut barbam in uiginti annis lauerint, nec ægri ſordes manuum abluere audeant. Vide quæſo, quomodo falſa opinio rationem captiuam ducit. Quare ut illorum temeritatem agnoſcere poſsis, ſcito eryſipelas latinis ſacrũ ignẽ dici: qua diuum Anthonium, qui incendijs præeſſe creditur, eos qui eius numen non reuerentur, affligere arbitrãtur: & quia eius imago, & quicquid donariorum uel porcorum illi conſecratum fuerit, campanulis inſignitur, accidit, ut hic quoque morbus à Germanis glogkfeüer, & ob rubeũ affecti loci colorem, das rothlauff appelletur. Hic ſanè morbus eryſipelas eſt feruens, rarò citra febrem ephemeram ſanguinis cholerici in epate & uiſceribus ebulitio: in qua cholera flaua, naturæ uiribus à ſanguine bono ſequeſtrata, per inguina, epatis emũctoria, ad crura defluit, & protruditur: uel ad collũ, ca-

Glokfeüer vnd rothlauff Germanicè.

Eryſipelata deſinit Galen. li. 14. Methodi. & lib. 2. ad Glauco. Paulus lib. 4. cap. 21.

caput,faciem & pectus,sed cum maiori periculo, regur gitat: & non rarò uulnera quoq; obsidere solet. Quare ut phlegmon sanguineæ, sic erysipelas biliosæ fluxionis soboles: quæ inter utranq; cutē citra subiectæ carnis offensam diffusa, erysipelas purum appellatur. Si uerò bilis flauæ crassior & acrior substantia, supremā corporis cuticulam, quam Græci epidermida uocant, & subiectam illi carnem exulcerauerit: tum erysipelas quoq;, sed nothum, aut herpes illi affinis dici potest. Ex his, ô Germane frater, te satis intelligere arbitror, utrumque phlegmonis & erysipelatis morbum, esse, præter solutionem continui, ex repletione abscessus calidos. Quare utrumq; per uenæ sectionē, aut pharmaca cholagoga, euacuationē causæ antecedentis exigere, ac causæ coniunctæ, per eum qui sensum fugit halitum, digestionem, ac loci affecti & feruentis choleræ cum resolutione refrigerationem postulare. At quoniam, ut Galenus ait, erysipelas non quantitate modò affligit, sed etiam ex uehementi inflammatione ac qualitate sicca excruciat: quare ipsum ampliorem refrigerationem & humectationem, quâm phlegmonem, requirere. proinde Hippocrates, Galen. Auicenna Paulus, & Aetius, medicorum coryphæi, erysipelas curaturi, post uacutiones ritè factas, fomentationes ex succis uel decocto solatri, lactucæ, semperuiui, umbilico Veneris, aut emplastra ex psyllij mucilagine ac lente palustri cū oleo Omphacino confecta applicuerunt, donec rubeus erysipelatis color liuescere, uel obfuscari uideretur. postea emplastra quæ temperato calore materiam impactam discuterent, ex aqua marina uel muria, & ὠμηλύσει, id est farina ordei aut polentæ composita, applicabant: in principio tamen exacerbationis, ne bilis efferuescentis fluxus sisteretur, & ad aliquod uiscus internum principale regereretur, â frigidis, humectantibus, apocrusticis, penitus abstinuerunt, præcipuè circa emunctoria, appli-

De cura erysipelatis Galen. lib.13.& 14. Metho. ad Glauc. lib. 2. de com. medi. general. lib.1.& de sim. medica. lib 3. Paulus lib. 4. cap.21.

care. Id quum nequissimi pauperum & ægrorum expilatores Iudæi, agyrtæ, & aliptæ non intelligant, qua ratione id ueteres medici statuerint, & cauerint: omnib. uel semel erysipelate affectis, per omnem ætatem humectationi, lauacris, capitis quoq; lotioni interdicunt. quo fit, ut á sordibus corporum poris obstructis, corpus per insensilẽ exhalationem non expurgetur, sanguinem putrescere, corpus psora, uitiligine ac omnifarijs scabie pustulis cõspurcari cõtingat. Sed hos nebulones λογιάτρους, qui ob turpe & uile lucrũ animã prostituunt, missum faciamus. Valeant igitur εἰς κόρακας: & ad alteram erysipelatis speciem, prædictis longè perniciosiorem, Galeno & alijs Arabũ medicis uel non uisam, uel non cognitam, accedamus. de qua Plinius ille polyhistor lib. uicesimosexto: Ignis, inquit, sacri plura sunt genera: inter quę medium hominem ambiens, qui zoster appellatur, & enecat, si cinxerit, & certè meritò á cingulo ζωστὴρ appellatur: quoniam ob nimiam febre continua efferuescentis choleræ copiã, inflãmatione á lũbis umbilico & testiculorũ osseo usq; ad genua hominẽ cingit, sepit, & circundat. Hoc illustris Princeps & Marchio Brandenburgensis Georgius in Onelspachio correptus, ex ulcere cruris intẽpestiuè á chirurgo quodã cõsolidato, quod idẽ chirurgus, ne quid ad ulcus efflueret, fascia arctissimè strinxerat, interijt. deinde post bienniũ, eodẽ erysipelatis zostere, illustris Princeps & Comes Palatinus Otthẽricus, dux utriusq; Bauariæ, á lũbis ad genua usq; circũdatus, ac febre continua, ad deliriũ usq; æstuabat: quẽ ego Heidelbergæ, incisa utriusq; pedis saphena, adhibitis quoq; quæ febrem restinguerẽt, Deo auspice, á morte uindicaui: qui te ab hoc sacri ignis ęstu, sui spiritus refrigerio, sospitẽ nobis conseruare uelit, oro. Vale: & qui in amore nostri frigent, hoc sacro igne incalescant uelim.

Sic Scribonius ca. 106. Hiera, inquit, Pachi ad sacrũ ignẽ, quẽ zoná uocát, bene facit, ex aqua mulsa, detracto prius sanguine.

De

DE MAGIA ET RERVM NATVRALIVM *Sympathia.* Epiſt. XXXIII.

Miraris, amicorum optime, poſtq́ lux ueritatis nobis per Chriſtum affulſerit, aſtus & dæmonũ prẹſtigias nondum exoleuiſſe, & religionẽ ac medicinam adhuc eſſe adeò magicis uanitatibus refertã. Sed mirari deſines ſcio, ſi reminiſcaris, cacodæmonem, illum humanæ ſalutis hoſtem, ob ſuperbiæ faſtum, cum ſua cohorte cœlo deiectum, ſe ſuosq́ ſimulacris idolorum inſinuaſſe, ac ſuis oraculis, diuinationibus, & ſceleratis ſacrificijs nõ modò hominũ mentes perſtrinxiſſe, ſed & religionem ac medicinam Magorum nugis contaminaſſe. quibus ut maior auctoritas accreſceret, Magorum ſolertia in occultandis fraudibus ſagax, medicinam, ſacroſanctum Dei donum, ſibi arrogauit. Ob id Aegyptiorum ſacerdotes, à quibus Pythagoras, Empedocles, Democritus & Plato Magiam didicerunt, quo quiſq́ remedio ſanitatem recuperauerat, id conſcriptũ, Memphis in Hepheſtio, Vulcani & Iſidis ſacrario, deponebant: & pariter Græcorum ſacerdotes, Magię antiſtites, ea in adytis templorum Apollinis & Aeſculapij in Pergamo etiã recondita ſeruabant: quę ſacerdotes uelut oraculo Aeſculapij edocti, ægrotis cõmunicabant. quę illi tanta fiducia acceptare ſolebant, ut pleriq́ ſacerdotũ conſilio perſuaſi, quindecim dies à potu abſtinuerint. Accipis'ne iam, quomodo medicina ad ſacerdotes, magos, dęmonumq́ cultores ſit deuoluta? Vnde Nicomedes in Euangelio ſuo, Magos Pharaonis, qui Aegyptiacis incantationibus in conſpectu Moſis & Aaronis uirgas in colubros conuerterant, non temerè Medicos appellauit: & Dioſcorides noſter, à ſacratiore uaticiniorum profeſsione, prophetas non rarò nominat. Ac ut rem totã exactius poſsis dinoſcere, quid ſit Magia, paucis ediſſe-

De præcipitio dæmonum, Eſa. 14.

Lact. lib. 2. c. 7. Euſe. lib 7. c. 6. Auguſt. de ciu. Dei paſsim.

Plin. lib. 29. c. 1. & lib. 30. cap. 1.

De ſacerdotibus Aegyptiorum & Grẹcorũ hęc Gal. li. 5 de Cõp. med. gen. & li. 6. Epidemi. Herodotus lib. 1.

Sacerdotes olim medici & magi.

De Magis Pharaonis, Exod. 7

cis ediſſe-

cis edifferam. Non erant olim Magi plebeiæ sortis homines, sed apud Persas, Aethiopes, Chaldæos ac Indos, ex regia stirpe proceres, qui in secretioribus Philosophiæ & artis Mathematicæ arcanis educati, sagacissimi sympathiæ rerum naturalium & diuinarum exploratores: ex quarum sympathia & antipathia admirāda, & uulgo incredibilia opera producebant. Inest sanè cunctis uniuersi rebus congenita inter se consortij aut dissidij proprietas, qua etiam citra uisibilem contactū mutuò afficiuntur, & alterantur. ut aurum hydrargyrum, succinum paleas, magnes ferrum libens amplectitur: at illud oleū, hic uerò allium & adamantem respuit & fugit: qui cum ab omnibus alijs inuictus maneat, anguine tamen hircino dissoluitur. An'ne & hoc est p̃clarum naturalis dissidij specimen, quòd tympana lupino obducta corio, alia, pelle cooperta agnina, sonitu suo disrumpunt: & leo, qui nec tygrim, nec elephantem aut ursam timet, gallum tamen, his longè imbecilliorē, expauescit. ut pleriq; homines, qui muris aut felis conspectum ferre non possunt: alij caseum, qui inter delicatiora secundæ mensæ bellaria offertur, ad nauseam usq; fastidiunt. At brassicam & hederam naturali odio dissidere, & cucumeres subiecto, dum crescunt, oleo intorqueri, agricolæ etiam norunt. Nec minus præclara sunt naturalis sympathiæ & rerum consensus exempla: cuius insigne exemplum in fidibus citharæ aut testudinis apparet, quarum si unam digito contrectaueris, confestim unisona alterius testudinis chorda, illi correspondens, sua sponte mouetur, & festucam sibi impositā abijcit. Et herbas quoq; cum astris eundem habere consensum, quotidie experimur, quum heliotropij & molochi flores motui solis obsequi, & pulegiū ipso brumali die Pleiadibus occiduis in coronarijs florere uidemus. At Orpheo, Theophrasto, & Proclo iudice, lapidibus longè efficacior est cum astris ac spiritibus consensus, q̃ herbis:

Sympathia rerum natur. & cœl.

Adamantis & magnetis antipathiam experientia negat.

Lupinę & ouillæ pellis dissidium. Oppianus lib. 3. Cynegeticon.

Leo gallum timet.

Brassicæ & hederæ cum uitibus dissidium.

Cucumer oleo supposito incuruatur. Pallad. li. 4. tit. 9.

Chordarū in diuersis citharis sympathia, ex Boetio.

Heliotropij et maluæ cum sole sympathia.

De pulegio id Plin. & Cic. in lib. Diuinat.

herbis: qui non aſtrorum nominibus modò, ſed animis quoq; hominum imperare uidentur. Iaſpis nempe non modò ſacrificia dijs accepta reddit, ſed Achates quoq; animos coniugũ conciliat, & ſupplices uoti quoq; compotes reddit. Vnde Orph. cecinit, uates magiæ peritus:

ἱμερτόν τε γυναιξὶ λιτήσεται ἄνδρα θεῖναι,
καὶ θέλξει μύθοισι βροτοὺς, καὶ πάντα κομίζων
ὅσσα κεν αἰτήσειας, ἀφίξεαι οἴκαδε χαίρων.

Lapides uerò uirtutis aſtrorũ conſortio frui, inficiabitur nemo, qui ferreum compaſti perpendiculum, magnete confricatum, ſemper poli ſeptentrionalis ſtellam ſpectare obſeruauit: & qui Selenitem, candidum ex Arabia lapidẽ, pro lunæ incremento creſcere & decreſcere uidit. Ex his cõſtat, plantas, radices, lapides, & aſtra, ac ſpiritus quadam diuina lege conſortij conſpirare. Quod nõ aliunde accidit, quàm, ut Plato in Timæo docet, quòd cuilibet rerum ſpeciei peculiare aſtrum, ut polus magneti: & cuilibet aſtro peculiaris intelligẽtiæ dæmon, ut proprius cuilibet homini genius, à diuina mente dicatus ſit. Quicunq; horum ſympathiæ cõſenſum, & antipathiæ diſsidium nouerit: hic admiranda per herbas, lapides & ſpiritus producet magię opera: & horum illecebra, ſpiritus in ſui colloquiũ allicere poterit. Ideo Druides Gallorum magi, nulla ſacrificia abſq; uiſco, aut eius roboris uel quercus fronde Ioui ſacra celebrabant. Et quia horum omnium oportet magum eſſe gnarum, ethnicorum magi philoſophiam naturalem, aſtrologiã, & reliquas artes mathematicas, ac medicinam in ſuæ artis conſortium traxerunt. quod Plinius his uerbis teſtatur: Magia, inquit, fraudulentiſsima artiũ, ſola tres alias imperioſiſsimas humanæ mentis complexa, in ſe unam redegit. Natam primùm è medicina, nemo dubitat: ac ſpecie ſalutari irrepſiſſe, uelut ſanctiorem altioremq; quàm medicinam: ita blandiſsimis deſideratiſsimisq; promiſſis addidiſſe uires religionis, ad quas etiamnum maxi-

De ſelenite, hęc Proclus in lib. de Mag. & Dioſ. li. 5. c. 100

Magiã ex ſympathia rerum cõſtare, docet Proclus in libello de Magia & ſacrificio: Pſellus de dæmõib. clarè.

Cæſar libro 6. Plin. lib. 16.

Lib. 30 cap. 1.

mè caligat humanum genus: atq; ut hoc quoq; suggesserit, miscuisse artes Mathematicas, nullo non auido futura de se sciendi, atque ea è cœlo peti uerisimè credente. ita possessis hominum sensibus triplici uinculo, in tantum fastigij adoleuit, ut etiam hodie in magna gentium parte præualeat, & in Oriente regum regibus imperet. Quod uel hodie uerum esse, Nouæ insulæ, auspicio regum Portugalliæ repertæ, testantur: quorum reges magorum iussis, & npharijs illorum sacrificijs obtemperant, & dæmonum cultui parent. à quo CHRISTVS nos redemit: quo ex deipara uirgine nato, repentè omnia dæmonum oracula conticuerunt. unde Druidum religionem, inquit Suetonius, apud Gallos diræ immanitatis, ab Augusto, sub quo CHRISTVS natus est, ciuibus interdictam, Tiberius Claudius Cæsar penitus aboleuit. Et ne magiæ arcana diuulgata uilescerent, primùm ea non monumentis literarum concrediderant: sed, uelut Iudæi secretiorem diuinæ legis interpretationem, Cabala dictam, nephandis magiæ nugis quoque defœdatam, alter alteri usque ad Esdræ sacerdotis tempora, ueluti hæreditarijs reuelationum successionibus communicabat: sic quoq; Persarum & Aegyptiorum magi, ac Gallorum Druides, nō fas esse censebant, ea literis mandare, ne in uulgum sacra efferrentur, usque ad tempora Numæ Pompilij regis & pontificis Romani, qui Pythagorica sacra duodecim libris conscripsisse fertur, quos etiam in monumento suo recondere uoluit: exemplo Dardani Aegyptiorum magi peritißimi, qui libros de Magia conscriptos in sepulchro suo absconderat: quos erutos Democritus, uir in perscrutandis naturæ uiribus sagax, tum commentarijs à se editis illustrauit. Cæterùm quum illorum magia mentes hominum præstigijs dæmonum perstringeret, & à uero sacrosancti Dei conditoris cultu auerteret, factum est CHRISTI, pro nostra à dæmonibus redemptione passi,

Nouæ insulæ dæmonum magia gubernātur

Sueton. in uita Claudij. Plin. lib. 30. cap. 1.

Cabala Iudæorum, magorum nugis referta.

Numa Pomp. & Dardanus, magi. Liu. li. 10 Dec. quartæ.

Christus à dæmonū potestate nos liberauit.

passi, benignitate, ut ea artiũ perniciosissima, fraudibus plena, tandẽ exoleuerit: cuius auspicio, & doctorũ uirorum labore, breui futurũ spero, ut ea quoq; e Medicina (quã suis physicis ligaturis & περιάπτοις ac ἐπῳδαῖς & incantationibus, ad perniciẽ uitæ & salutis hominũ conspurcauit) extirpet. Nec aliquẽ modò uiuere arbitror, qui exactã illius cognitionẽ habeat: nisi perditos quosdam ardeliones, qui mentiri nõ erubescunt, & ob pecuniæ aucupiũ animas dæmonibus prostituunt, & deuouent: quos nec primis quidẽ labris magiã naturalẽ, quæ rerũ naturaliũ ac cœlestiũ sympathię innitit, degustasse certũ est. quæ tandẽ in uarias diuinationis species degenerauit: quarũ prima est à luctu dicta Goetia, quę autore Suida est, ἐπίκλησις δαιμόνων κακοποιῶν περὶ τοὺς τάφους γινομένη, id est, inuocatio dæmonũ maleficorũ iuxta sepulcra facta: quę ob id aspergine lustralis aquę & tędarum igne expiabant, ne uel dęmones ea obsiderent, uel obessent: quem ritũ ad nos emanasse, quispiã suspicari posset. Huius Goetię germana soror est ipsa Necromantia, quę ad euocandos defunctorũ manes, pręter supplices coniurationis precationes, sanguinẽ humanũ, quo dæmones effuso delectant, uel saltẽ nigri pecoris aut agnorũ cruorẽ requirit. unde Vlysses cõsilio Circes, diffuso in scrobẽ cubitalẽ pecorũ cruore, & melicrato, heroum Troiani belli animas, & ipsius Achillis umbrã & spiritũ, ab inferis accersiuit: quem Apollonius Tyanęus solis sacerdotũ Indię deprecationibus, quas Gręci λιτανείας uocant: sicut Appion grãmaticus Homeri manes, ut illius natale solũ exploraret, ab inferis in colloquium accersiuisse, gloriant. Sic quoq; uatidicam anũ in Endor, Pythone dęmone obsessã, ad Sauli regis colloquiũ Samuelis pphetæ umbrã uerius q̃ animã, euocasse, Sacræ testant literę. Erat certè Pytho dęmõ, q Delphis et alibi, sub specie serpẽtis uenerabat. à q̃ D. Paul. uirginẽ

Magia hodie ignoratur.

Goetia quid, ex Suida.

De aquæ asper gine, & igne, hæc Athen. ex Clidamo, lib. 9

Necromantia.

Sanguine in sacrificijs dæmones delectari.

Hom. Odys. λ. Horat. li. 1. Sat. 8. Lucan. lib 6. Philost. lib. 4.

De Appione hæc Plin. libro 30. cap. 1.

1. Reg. 28. & in decret. cau. 26. qu. 5. can. nec mirum.

Act.16.

uatidicam, in Philippis obsessam, uindicauit. At certè has non fuisse defunctorum animas, sed dæmonum spectra, preter Augustinū, & Isidorū, diuus etiam Chrysostomus rectè sentit. quæ theologis discutienda relinquamus, & alias Goetiæ species, quæ in medicinam irrepserunt, percenseamus: inter quas altera est ἐπωδὴ, epode, id est incantatio. Vnde Sophocles ait: οὐ πρὸς ἰατροῦ σοφοῦ, θροεῖν ἐπωδὰς πρὸς τομῶντι πήματι. id est, Non est sapientis medici, damnum affectanti incantatione obstrepere. Epodos quoque, teste Galeno, hymnus, quo heroum & deorum præconia ante altaria in sacrificijs decantabantur: ac lyricorum poetarum στρόφη & ἀντιστρόφη dicebantur. & Epodium carmen, quo dimidij uersus integris iambicis subijciebantur. Epodos quoque, ut Hesychius & Suidas, ἡ ἐπάδουσα τοῖς νοσοῦσι παισί: id est, Mulier dicebatur, quæ pueris, à lamijs aut strigibus fascinatis, nocturnisq; lemuribus lacessitis, carmine medebatur: quibus alliū quoq; appensum auxiliabatur. Vnde Q. Serenus poeta medicus ita cecinit:

Incantatio.

Triplicē Epodi significationē exponit Galen. in fine operis sui de Vtilitate partium.

De strigib hęc Ausonius. Lucan. li. 6. Ouid. li. 6. Fast. Plin. lib. 11. cap. 38.

Præterea si fortè premit strix atra puellos,
Virosa immulgens exertis ubera labris,
Allia præcepit Zitini sententia necti.

Est igitur Epode incantatio, quæ solis ὠδαῖς, id est carminibus & uerbis, utplurimum barbaris, dæmonibus consecratis, constabat. Ob id Lucanus:

Mens, ait, hausti nulla sanie polluta ueneni
Incantata perit. –

Habuit & hoc maleficij genus in Græcia, ac nō adeò ante multos annos adhuc in Germania, suæ artis, sub medicinæ prætextu, suos professores. quos Plato libro de Republica secundo agyrtas, ariolos & uates nominat: qui ante ianuas diuitū, stipem petituri, oppidatim quæstus causa oberrabant, & diuina quadam uirtute, carminibus & sacrificiorum mysterijs se morbos infligere,

Agyrtæ, germ. Die farende schůler.

gere,

gere, inflictos quoque curare: & si quid sceleris à diuitibus, aut eorum proauis esset commissum, id magica sacrificiorum celebritate, suffimentorumq; odore expiare, eorumq; inimicos tam sontes quàm innocentes ἐπῳδαῖς, id est, carminibus oblædere posse gloriabantur. Quos non tantum argutè, sed piè & sanctè diuinus Hippocrates, in libello de Sacro morbo ita redarguit, & impietatis accusat. Qui, inquit, lustrationibus & magicis incantamentis morborum affectiones depellere se iactitant, hi uictus indigi, uerba eorum ad dæmonium referunt, ut quiddam se amplius scire uulgo ostentent, & homines decipiant. Expiant enim morbo correptos, sanguine & sceleribus inquinatos, iniustos & intoxicatos: ac expiamenta alia sub terram defodiunt, alia in mare proijciunt: alia ad montes desertos, ne quis ea contrectet, asportant. At Deus (inquit) qui maxima ac sceleratiss. peccata purgat, nostra est liberatio. Qui certè sui filij natiuitate & immolatione, nos à cruento dæmonum cultu & potestate liberauit. Si enim, ut idem asserit Hippocrates, homo carminibus lunam deducere cœlo posset, tum certè Deus & mens diuina, astrorum conditor ac rector, hominum potestati magorumq; incantamentis (quod dicere nefas est) esset obnoxius. Sed, ut Plutarchus tradit, Aganice, Hegetoris Thessali filia, siderum in plenilunijs defectus perita, ac temporis, quo luna obiectu terræ umbra obscuraretur, gnara, quum hæc mulierculis credulis præsagiret, lunam subducere cœlo uisa est. Quare rectè Socrates dixisse fertur, incantationes esse uerba animas decipientia humanas: quæ ne quidem assis facio, quum nullum effectum realem naturaliter producere, nec ob id sanitatem in ægritudinem commutare possint, nisi diuinæ censuræ maiestas annuat: aut nisi quis forsan, ut ex confidentia in medicum, pharmacis

Sancta contra Goetiam diui Hippoc. uerba

Plutar. de præcept. cōnub.

Fraus Thessalorum incantandi sidera.

Fidei & fiduciæ efficacia.

plus energiæ, ſic ex fide uerbis incantationum aliquid uirium accreſcere, non temerè ſuſpicetur. Eſt etiam tertia alia Goetiæ ſpecies, quæ Medicinam quoq; ſuis ueneficijs polluit, Pharmacia dicta, amatorij poculi aut pharmaci (à Græcis philtrum dicti) præparatio: cuius Iuuenalis ſatyra ſexta meminit:

Hic magicos affert cantus, hic Theſſala uendit
Philtra, quibus ualeant mentem uexare mariti.

De hippom. & lupo, Plin. lib.8.cap.22. & 42.de rana lib. 32.cap.4.

Nam inter hæc amatoria ueneficia, hippomanes equi, & in extrema lupi cauda pilus, & os de rana uiridi, in formicarum aceruo exeſa, reputãtur. ſiniſtri enim oſſis cõtactu amorem, dextri uerò diſsidium excitari, tradunt. Sunt & huius Goetiæ plures ſpecies: nempe epatoſcopia, hydromantia, geomantia, haruſpicina, & reliqua id genus diuinationum artificia, quibus cum medicis nihil commune eſt. Ea igitur dæmonum cultoribus condonamus: & unà cum Eccleſia Chriſtiana gratias Deo agimus, qui ſua natiuitate nos liberauit de diabolica poteſtate.

DE PHYSICIS MEDICORVM LIGAturis, & periaptis, & annulis. Epiſtola XXXIIII.

Qvandoquidem ex magia, Phyſicæ ligaturæ, characteres, periapta, ſigilla, & annuli in Medicinam irrepſerint, petis, an hæc in curandis & præcauendis morbis, uſui eſſe arbitrer, tibi ut reſcribere uelim. Itaque quum hactenus nihil æquè ex animo deſiderauerim, quàm Medicinam ab impoſtorum fraude expurgari, & à ſuperſtitione uindicari: ut tuæ honeſtæ petitioni pàream, æquum eſſe cenſeo. Quare pri-

re primùm omnium ſcire debes, phyſicas ligaturas ab occulta rerum proprietate dependere: nempe ex cœleſti ſiderum conſtellatione, & impreſsione, pro uniuſcuiuſque ſpeciei conſtitutione, omnibus indiuiduis, aut pro ſingulari complexionis gradu aliquibus tantum illius ſpeciei indiuiduis congenita. Vnde cum ſaphirus oculos non oblædat, repertus eſt tamen unus, qui prima applicatione aciem uiſus obtudit: & in Auſtria gemelli, qui obiectis ſolis ad ianuas corporis lateribus, ſeras aperiebant. Sic conſtat, animalia, mineralia, & uegetabilia, ratione ſpecificæ aut indiuidualis conſtitutionis, in generatione illorum cœlitùs aliqua imbui uirtute, alijs rebus adeò contraria & interneciua, ut illarum operationes ſiſtat, & liget. unde phyſica ligatura originem & nomen habet. Sic præſentia adamantis, & allij, magnetis actiones, ne ferrum attrahat: & oleum, ne ſuccinum paleas alliciat, obſiſtit, & ligat. Alyſo, hypericoni, & moly herbis tantam ineſſe contra malignos ſpiritus antipathiam, ut quemadmodum luporum capita ianuis affixa, ſic has herbas in ædibus ſuſpenſas, ab hominibus & pecore ueneficia, ne faſcinentur, arcere & amoliri, grauiſsimi authores tradant. Vnde Homerus, magię peritiſsimus uates, Mercurium moly contra ueneficia Circes Vlyſſem muniuiſſe, cecinit. Proinde de his periaptis & amuletis, quæ ratione nituntur naturali, fidem non derogamus: de quarum ſubſtantia, uaporum defluuia inſpirata, uires corporis reficere, internámque morbi cauſam alterare poſſunt. † nam contacta tridente torpedine marina, piſcatoris manus obſtupeſcere: & echeneida piſciculum quamuis uelocem, nauis procella uentorum agitatæ curſum ſiſtere uidemus. Sic quoque melanthij ſemen, catarrho: radicem pœoniæ albæ, quæ altera eſt noſtri dyptami ſpecies, epilepſiæ: & ſtercus

De phyſica ligatura, Arnoldus in libel. de parte operat.

Ligaturas & decreta pōtif. cau. 26. qu. 5. can. nec mirũ, deteſtantur.

Gemellorũ Auſtriæ admiranda proprietas.

Adamãtis, allij & magnetis antipathia.

Succini et olei antipathia.

Dioſc. li. 3. c. 37

Plin. li. 28. c. 10.

Odyſſ. 10. & 11.

Plin. lib. 32. c. 1.

† Galen. de util. reſpirationis. Plinius lib. 9. & paſsim.

Gal.lib.6.&10 de simpl. med.

& stercus lupi alligatum, colicis mederi experimur. nō, ut Pamphilus medicus sentit, incantationis uiribus: sed quòd ab illorum substantia uapores quidam, uelut atomi, defluerent, qui inspirati cerebrum siccarent, morbique causam suis uiribus alterarent. Vnde Galenus experientia horum edoctus: Periaptis (inquit) sic confidere oportet, ut substantia illorum, & non incantationis magorum uerba, iuuet. Cui Theophrastus libro de Plantarum historia nono ita subscribit: Potius, inquit, absurda illa putentur, quę alligata, & ueneficiorum aduersantia uocantur, & tum corporibus tum domibus unicè opitulari creduntur: quæ commenta hominum esse planè uidentur, qui suas artes magnificare celebraréque cuperent. Vnde non temerè Antoninus Caracalla imperator, teste Aelio Spartiano, eos condemnare statuit, qui contra tertianas & quartanas febres periapta gestarent. Quare meritò aniles illos uersiculos, ex sacræ scripturæ uerbis, aut barbaris dæmonum nominibus concinnatos, unà cum diuo Augustino despuimus, qui in Euangelio Ioannis, tractatu septimo ait: Illi qui homines seducunt per ligaturas, per precationes, & per machinamenta inimici, suis precationibus miscent nomen CHRISTI, ut lateat ipsa seductio. Et quamuis Costa ben Luca apud Hebræos, quorum Cabala his ligaturis scatet, de his librum conscripsit: ac Alexander Trallianus, later à Mesue dictus: & Gordonius quidam, ac alij medici, non paruam illis fidem adhibent: ego tamen eas, præcipuè quæ uerbis constant, non assis facio. Simili uanitate, præter annulos & sigilla, eos quoque characteres nectere uidemus. Affirmant enim, quaslibet res naturales à stellarum radijs, illis propriè dicatis, peculiari charactere uirtutis illarum participe insigniri, quam in res quibus applicatur diffundit. Ob id omnibus tam erraticis quàm fixis suos effingunt characteres, quibus se morbos & infortunia depellere

Lucianus in Dial. Philos. periapta lepidè irridet.

Augustini de Periaptis sententia.

De characterū potestate & generibus.

depellere posse gloriantur: adeò nullum tam est impudens mendacium, quod teste uel prætextu aliquo careat. Sed esto, ꝙ ita se res habeat, attamen ut stellarum nomina & numerus soli Deo cognitus, sic illarum circa hæc inferiora effectus & signacula soli Deo sunt explorata. Proinde rectè regius ille propheta Dauid de Deo cecinit: Qui innumerato habet, innumeras alioqui, stellas, & singulas illarum suis appellat nominibus: quę nullus humanus intellectus assequi potest, & sine quibus magi suos producere effectus non possunt. Fuerunt & alij Aegyptiorum Magis characteres, quibus sacra deorum nomina, & religionis arcana, uulgò celabant: quos D. Hieronymus, & Orus illarum scriptor & interpres, literas Hieroglyphicas appellant. inter quas, ollę ardentis effigies Aegypti caliditatem, calix uerò passionem significabant: quem Christus tamen, pro sui patris arbitrio, à se auferri petijt. Sed his ad morborum curas non abutebantur. Erat & aliud characterum genus, quod cœlitùs plerisq; ex diuina reuelatione datur: qualis per somnium Antiocho regi, cognomento Soteri, sub figura triplicis pentagoni, qui in Græcas ὑγίεια, id est sanitatis literas resolueretur, contigit: quo signaculo quum pro bellica tessera in uestibus militum intexta uteretur, de Galatis insperatam adeptus est uictoriam. Et Iudas quoque, cognomine Machabæus, accepto ab angelo sacri tetragrammatis signaculo, Antiochũ Eupatorem primùm cum quatuordecim millibus hominum & plerisque elephantibus, postremò cum triginta hominum millibus feliciter prostrauit. Et quis nescit, Constantinum Magnum, uiso in æthere crucis charactere, iussumq; in hoc signo uincere, Maxentiũ tyrannum apud Miluium pontem debellasse? cuius præclarum uictoriæ monumentum, uel hodie adhuc arcus triumphalis Romæ, eregione Amphitheatri conspicitur: quare non temere olim crucis character, futuram signi-

Plinij Secundi dictũ lib. 8. capite 22.

Vis & nomina stellarum soli Deo cognita.

Psal. 146.

Hieroglyphicæ Aegyptiorum literæ.

Olla ardẽs & calix.

Tertium characterum genus.

Antiochi character pro signo bellico.

Machabæi character.

Constantini character. Euseb. li. 9. Eccle. historiæ.

Character crucis apud Aegyptios.

ficans salutem, inter sacras Aegyptiorum literas, quo & Serapidis dei pectus decorabant, reputatus fuit. Sed has admirandas characterum & uerborum operationes, à solo Deo, & hominum fide dependere, ueræ pietatis cultores rectè affirmant. Nam & Philippus apostolus Eunuchum, nisi prius fide bene instructum, sacro baptismate initiari noluit. tanta etiam uis sacramentorũ uerbis, ex fide accrescit. Rectè igitur Rabi Moyses ille Aegyptius, libro primo Perplexorum, capite septuagesimo secundo: mendaces & stultos esse illos pronũciat, qui soli figuræ, soli scripturæ, solis lineamentis, solis denique uocibus, aere fracto natis, tantam miraculorum uim & potestatem tribuant. At certè superstitiones Magicæ, resectis hydræ capitibus, & ex eadẽ ceruice renascentibus, similes uidentur. En uix una & altera è Medicina superstitione ligaturarum ac characterum extirpata, mox altera ex eadem Magiæ & astrologiæ radice, superstitio annulorum & sigillorum suboritur: quos hac ratione confici, Thebit philosophus, & Magiæ antistes, ad conciliandam alicuius stellæ uirtutem tradit: dum luna eandem stellam in medio cœli aut ascendente constitutam trino uel sextili aspectu feliciter intuetur, tum ex auro siue argento, aurichalco, aut quouis metallo stellæ huic dedicato, annulũ conflare p̃cipit, in cuius σφενδόνην, cauitatem, lapidẽ, subiecta herba, huic stellæ appropriata, defigere iubet. his annulis animũ exhilarari: hostes, cacodæmones, & morbos profligari, miraculaq; fieri perhibent. Sic Gyges Lydorũ rex annulo suo, in cuius σφενδόνη lapidem, draconis capite exemptum, incluserat, sese (regem, & obstantes occisurus, ut impunè cum regina concumberet) inuisibilem reddidit. Et Alexander Trallianus medicus Herculis imaginem, leonem suffocantis, annulo inclusam, cholicis mederi asserit. Tradunt quoq; Eudemum philosophum, annulos contra serpentum morsus, fascinationes,

[Margin notes: Capnion de arte cabalistica idem sentit. — Act. 8. — Annulorũ & sigillorum cõfectionẽ Albertus quoq; lib. 2. Mineralium docet, tract. 3. cap. 1. & 3. — Plato lib. 2. de Rep. Philost. lib. 3. — Tral. li. 10. ca. 1.]

tiones, dæmonia, & morbos confecisse. Vnde Iosephus gloriatur, se, præsente Vespasiano imperatore, uidisse quendam de gente hebraica Eleazarum, naribus cuiusdam à dæmone obsessi, annulum, cuius signaculo radix à Salomone reperta erat subdita, applicuisse, & dęmonem de naribus odorantis extraxisse: qui cum repētè in terram concidisset, Eleazar coniurationis Salomonis cantico, dæmonium proscripsit. Hinc idē Iosephus, Solomonem magicæ artis peritissimum fuisse, & Mosen Hebræorū legislatorem in Aegypto magia initiatum, annulos amoris & obliuionis cōfecisse tradit. Sed qua magia instructi fuerint, non docent. Erat enim quędam magia, quæ inuocatione malorū dæmonum, eorum præstigijs & spectris mentes hominum perstringebat, & cruentis sacrificijs, uerbis coniuratorijs, additis quibusdam suffumigijs lapidum, & herbarum (ut cnebisij cardui uiribus) dæmones in colloquium alliciebat, quam Goetiam appellarunt. Hanc Mosem & Salomonem non arbitror ignoraſſe: sed eo nomine didicisse, ut illius impietatem redarguere possent. Erat altera sacratior magiæ species, à Græcis Theurgia dicta, quæ erat per sacrosancta nomina & precationes, angelorum & bonorum spirituum (qui ueri unius Dei Israel operum sunt nuncij & executores) imploratio. Huius Salomonem & Mosen, ut unius ueri Dei cultores, peritos fuisse, in confesso est. Ideo Plinius Mosen & Lotopeum Iudæos aliā Magices factionem instituisse scribit: nec eum unquam fallaci dęmonum Magię addictum fuisse, Iosephus contra Apollonium & Lysimachum, qui illius impietatis Mosen accusarunt, argutissimè probat. Salomonem uerò, diuinum sapientiæ antistitem, tantum à superstitiosa dęmonum Magia abfuisse constat, ut auctore Iosepho, Deus ei pręstiterit uirtutem & artem contra dęmones, ad utilitatem hominum, qua eorum morbos mitigaret. Vnde dęmoniorum,

De Salomone & Eleazaro hæc Iosep. li. 8. antiquit. ca. 2. Crinit. li. 9. c. 5

De duplici Magia hęc Suidas, & Psellus ac Iamblicus.

De Cnebisio carduo, quem Aegyptij appellant Cuus, Procl⁹ de Magia & sacrificio. Dioscor. lib. 3. cap. 15.

De Mose hæc Plin. lib. 3. ca. 1. Euseb. de prępar. Euang. li. 8. ca. 2. Ioseph. li. 2. contra Apionem. in Actis Apost. c. 7.

Ioseph. lib. 8. antiquit. ca. 2.

niorum, qui humana obſidebant, & morbis affligebāt, exorciſmi inuentio, Salomoni accepta refertur. Quare qui tam ſanctos uiros Goetię inſimulat, iſte eos iniuria afficit maxima: quę artium nugaciſsima, falſis promiſsis mentes hominum adeò ineſcauit, ut de morborum cura conſilium petituri, tamen neglecto medico, nec implorato Dei auxilio, qui Plutonis tartara ac magicam illam annulorum cathenam confregit, ad ſagas dæmonumq́ cultores confugiunt. à quibus Ieremias propheta iure ſciſcitari poſſet: Nunquid reſina nō eſt in Galaad? aut medicus non eſt ibi? Verùm hęc dęmonū pręſtigia & ludibria olim aliquid ponderis habuiſſe, nō inficior: uerùm quum Chriſto ex illibata uirgine nato, omnis illis poteſtas, de qua nos captiuos in libertatem aſſeruit, adempta ſit, hęc magorum incantamenta eſſe nugas conſtat: quas ut Chriſti blaſphemias & decreta pontificum 26. quęſt. 5. canone, nec mirum, ſeuerè deteſtantur. At nos in Deum & medicum, quem creauit altiſsimus, confiſi, eius uerbo & medicinę ſubſidio ſanabimur.

Ierem. ca. 8. diuus Hieron. parte 3. tract. 14. epiſt. 76.

AN DIVINATRICIS ASTROLOGIAE *obſeruationis & Mathematicæ Ephemerides medico conducant.* Epiſt. XXXV.

ADeras tu quoque, amice multis nominibus obſeruande, dum in Lipſenſi academia, frequenti diſcipulorū conſeſſu Procli ſphęrā, & reliqua Coſmographiæ rudimenta interpretabar: tū te audiſſe arbitror, quantis præconijs Aſtronomiā diuinitùs ab Aegyptijs repertam, commendaueram. Hæc enim ſanè ſiderum cœleſtium uarios, ſed certa tamē lege, progreſſus, ſitus, motus, & coitus docet: quæ ſummum ſummi Dei opificium illuſtrant, Deūq́ tanti operis opificem teſtātur, ac cuncta ſublunaria lumine & motu ſuo fœcundant, alterant,

Aſtronomiæ præconium.

terant, & conseruant: ex horum obseruatione totius orbis climata, regionum ac urbium situs, locorumq́ interualla metimur: anni menses, dierum horas & tempora, cum diuersis horologijs, siderũ ortu & occasu mensuramus. Et horum políq́ obseruatione Phœnices freti, primùm fragilem truci pelago commiserunt ratem: ac solis lunæq́ eclipses ad temporis momentum certè præsagire possumus. quæ quum Christo pro nobis passo intempestiuè incidisset, Deum mundi auctorem pati, Dionysius Areopagita agnouit. Quas solis obscurationes, sed stato motus cœli tempore factas, nisi Gallus Sulpitius, cum Macedonib. cõflicturus, militibus prædixisset, exercitus eius subito solis defectu perculsus, turpiter fugam arripuisset. Hæc eadem reliquorum etiam siderum ortus & occasus agricolas & medicos docuit: penes quos, temporum anni qualitates ac aeris constitutiones, plurimum uariantur: quod scire, & diligenter obseruare, præcipuè ad morborum uulgarium prænotionem, medicorum maximè interest. Vnde scitè Hippocrates in libello de Aere & aqua: Oportet, inquit, astrorum exortus & occasus considerare, pręcipuè canis, arcturi, & pleiadum. morbi enim in his diebus maximè iudicantur: alij sanè perimunt, alij desinunt, aut in aliam speciem statumq́ mutantur. Quod & Aetium medicũ dedita opera obseruasse, præceptum eius testatur, dum inquit: Vigesima quinta Septembris æquinoctium fit autumnale, quod triduum maxima aeris præcedit intempestas. quare cauere iubet, ne à 15 die Septembris, usq́ ad 24 diem, uenam incidamus, aut pharmacis, aut quouis alio uehementi motu corpus tentemus. Has certè temporum & partium anni mutationes, ad morborũ cognitionem & curam, ac de his prognostica, operępretium est medicũ obseruare, quas sol & luna ac reliqua sidera, non ob diuersos illos lunę imaginarios angulos, aspectus & configurationes, sed ob signiferi circuli ob-

Verba Horatij li. 1. ode 3.

Hippocrates li. 2. aphor. & Gale. in tertio commen. li. 1. Epidem.

Aetius li. 1. ca. 164.

Causæ mutationis temporum anni.

liquitatem, qua ratione nobis appropinquant, uel à nobis secedunt, & radiorũ diuersas in sublunaribus rebus & locis refractiones, suo illo cœlesti & uiuifico uniformis substantiæ calore producunt, qui omnis qualitatum contrarietatis expers, elementorum tamen qualitates suo lumine & motu excitat, fœcundat, fouet, & conseruat: ac sub concauo orbis lunæ, pro infinita materiæ subiectæ uarietate, diuersos ac infinitos, & ob id nulla arte comprehensibiles, effectus producit. Nil igitur mirum, nostros astrologos, ne dicam planetarios illos circulatores, dum ex astris futura præsagire uolunt, toties à scopo ueritatis aberrare. Rectè igitur Ptolemæus in libro qui Aliarba inscribitur, effectus stellarũ ait esse uarios & incertos: quoniam incertũ est, qua ratione materia subiecta cœlestem fluxum recipiat. Hoc ignorantes, inquit Albertus, multi qui ex astris diuinãt, sæpe mẽtiuntur, & abominabilem faciunt suis mendacijs scientiã, quum tamen sit alioqui bona & utilis. Sic & medici, qui ex solo urinæ indicio de morbis decernunt, statuũt, & diuinãt, suis nugis medicinam defœdant, & exosam reddunt. Ptolemæo succinit Auerrois in Auicennæ Canticis, dum ait: Ars astronomiæ est debilis, & falsum est plurimùm quod in ea existit. At hæc de sola astrologia diuinatrice dici putato, cuius assertores plus illi attribuunt, quàm præstare ars posit: cuius perfectam cognitionem, ut Magiæ, nec habent, nec unquam assequentur. Vnde Philostratus: Sed ego, inquit, astronomiæ scientiam, atque adeò omnem diuinandi artem, humanæ naturę metas excedere puto: & an quispiam uerè ipsam nouerit, nescio. Diuus tamen Augustinus, eos interdum assequi ueritatem, occulta dæmonum afflatione tradit, qua nescientes afficiuntur. Ob id Ptolemæus in primo Centiloquiorum libro, solos numine afflatos particularia prędicere posse affirmat. De hoc genere hominũ sunt olim à Chaldęis plus seducti quàm

Cœlestis caloris substantia.

Materia uariat astrorum effectus. Gale. li. 2. de diebus Criticis.

Contra astrologos diuinatores.

Albertus li. 2. de mineralib. tract. 3. ca. 3.

De his Augustin. li. 2. supra Genes. & li. 2. de doctr. Christiana, & lib. 5. de ciuitat. Dei copiose.

edocti astrologi, quos Genethliacos uocamus: qui ex planetarũ coitu aspectibus ac dignitatib. quas ex cœlesti natiuitatis figura, quam cœli thema appellant, nati uitam, necem, fata, morbos, coniugia, & utranq; fortunam prædicere audent. Vnde Phauorinus refert, id præstigiarum offuciarumq; genus homines ęruscatores esse commentos, qui cibum & quæstũ ex mendacijs captarent. in quos & Gellius illud Accianum detorquet:

Contra astrologos Genethliacos.

Ephemerides astrologorum Decreta cau. 26. q. 7. ca. quis existimaret. damnant, ob quas & Paulus Galatas. ca. 4. grauiter incessit.

Nihil credo auguribus, qui aures uerbis diuitant
Alienas, suas ut auro locupletent domus, & loculos.

Nec adeò nuper hæc fatidica, ne dicam uaniloqua astrologorum hęresis fuit oppugnata: sed & olim Porphyrius, teste Iamblico, totius eorum artificij fundamentum his uerbis euertit, & abnegauit, dum ait: Si quis cognosceret figuram natiuitatis, dominumq; figuræ, inueniret quoque dęmonem suum, & solueretur per ipsum à fato natiuitatis. Sed subdit, illam scire, & hũc inuenire, esse impossibile: & regulas astrologię esse incertas & incomprehensibiles, auctore Cheremone. Nam certè, quis in tam præcipiti siderum nocturna & diurna uertigine, quum minima momenta ingentes parturiant mutationes, quæ uix quispiam cogitatione assequi possit, quis inquam exactè natiuitatis thema cõstituere possit, non uideo. Adde, quòd obseruationes astrorum motus organa, rarò sunt ad amussim facta, sed plurimum manca. At his longè insolentiores sunt, qui fastos dierum, aut Mathematicas ephemerides, quas Calendarũ tabulas appellant, quotannis edunt: in quibus quo die nouas induere uestes, pecuniam numerare, emere & uẽdere, peregrè proficisci, pueros ablactare, (uix risum cõtinere possum) quando unguium præsegmina abscindere, adde & caput aut barbam radere, faustum felixq; sit, ex lunæ cum reliquis astris aspectu præscribunt. Sed in his citra damnum ludere & nugari possunt. Nec tantum id refert, quantum hoc, quòd nullo habito temporũ

Gel. li. 14. ca. 1.

Hic Iamblicus de Mysterijs ex Porphyrio adducit.

periodi,

periodi, concoctionis morborum & crisis discrimine, quo die pharmacis aut uenarum sectione, cucurbitularũ applicatione, corpus euacuare cõpetat, statuere audẽt. O flagris dignum facinus, quo innumeros perdunt ægros. Nam esto quis plethoricus, luna leonem subeũte, uel combusta pleuritide corripiatur, huic ne uenam incides? at astrologi, quia luna subintrat leonem, domum Soli planetarum principi & illustratori dicatam, hoc uetant. At si biduum uel triduum, donec luna solis domũ exiuerit, distuleris, ex affluxu humorum apostema ita augmẽtabitur, ut nec resolui nec maturari posſit. Vnde miserum ęgrum auxilio destitutum, mori uel peripneumonia, aut phthisi contabescere oportet. Si quis angina uel febre synocha laborauerit, & luna fuerit infortunijs obnoxia, differes ne uenæ sectionẽ, donec luna suis infortunijs fuerit exuta? tũ certè, nisi morbi principijs obstiteris, ægrum perdes, & nimis serò frustra medicinam
Gale. li. 12. Therapeuticæ. parabis. Has lunæ obseruationes, adeò Galenus nihili fecit, ut etiam magnopere laudet medicum, qui quinquagenarius in Cephalalgia nocte sibi uenã inciderit. At longè magis desipiunt, dum opportuna exhibẽdis pharmacis tempora designant. En Hermes propositione 74. pharmacum purgatorium, quum luna subit signa Zodiaci ruminantia, dare uetat: ut arietem, taurum, capricornum. Ridiculum certê. Veretur enim, quum hæc animalia cibum ruminent, ne pharmacum quoque ad os regeratur, & ex deiectorio alui fiat uomitorium. Non minus ridiculum est, quòd Ptolemæus in Centiloquio ait, pharmaca exhibita dum luna fuerit Ioui coniuncta, hebetari. Si uerò maleficis Saturni uel Martis aspectibus configurabitur, ea periculosa fore asserit: quoniam uita nostra in calido & humido subsistit, quibus qualitatibus Iupiter præest. Quare si luna huic accesserit, tum uires & robur corporis adeò inualescere tradunt, ut uigorẽ pharmaci superent, adeoq́ eneruent,

eneruent,ut humores noxios expurgare non posit. At longè rectius sentiunt medici, qui corpora effœtis uiribus languida, pharmaco aut uenæ sectione uacuare dissuadent: quibus tum rectè utimur, quum uires corporis probè constiterint. Norunt certè, uirium naturalium robore & calore operationes medicinæ promoueri. Nec adeò senile Saturni frigus, aut Martis calorem uerentur, ut quum luna his coniuncta fuerit, opportuno auxilio destituant ægros. Nam neque hic adeò inflammat corporis humores, ut non sub eo existente luna, etiam frigidi inualescant morbi: nec ille adeò infrigidat, aut eos cogelat, ut non, in quouis eius ad lunam prospectu, etiam calidi morbi incrudescant. Frustra igitur illius calorem, & huius frigus uerentur astrologi. At, bone Deus, tum sibi maximè sapere uidentur, dum membrum ferire ferro aut phlebotomo uetant: & cauent, si luna signum huic membro dicatum peragrauerit. Aiunt enim, quum luna corpus maximè humectet, tum membrum id humoribus præcipuè redundare: quo nomine, euacuatione tum potius egeret. At huic Ptolemæi & Almansoris dogmati, Messahalæ doctrina ex diametro repugnat: qui curam morborum auspicari iubet, quum luna signa loco affecto appropriata subintrauerit. Ergo si quis phrenitide aut angina correptus fuerit, quamuis luna arietem, taurum uel geminos pererrat, Messahala, & quiuis peritus medicus, curam à uenæ humeralis sectione inchoabit: quod tamen Almansor, Ptolemæus, & omnes alij astrologi prohibent. At illorum successores astrologi, & medici planetarij, hoc tenaci contradictionis uisco impliciti, Dedaleas suæ uanitatis pennas non aliter extricare possunt, quàm quòd ea præcepta in morbis, quorum cura ad tempus differri posit, sint obseruanda: ubi uerò morbus non fert inducias, ea nihili esse

curanda. Ergo isti siderum aspectus in morbis acutis nihil ponderis habebunt? id quod tamen in uestris mathematicis ephemeridibus uulgus non admonetis, aut fateri erubescitis. At prudenter Galliarum, Angliæ, Hispanorum & Italiæ astrologi ab hac infamia sibi cauent, qui nullas huiusmodi præsagiorum, aspectuum, & ne dicam mendaciorum tabulas, in uulgus edunt: quas populo & ægris esse perniciosas, hoc proprio eorum præcepto eos facilè conuincam. Tradunt, si quis pharmacum sumpserit, aut uenam inciderit, dum luna natalitia signa sextæ aut octauæ domus obsederit: hunc mortem ægrè euasurum. Quum igitur cuilibet homini propria sint sui natalis signa, necessariò infertur, quosdam dies ad medicinæ usum alijs esse salubres, alijs uerò hominibus lethiferos. Quæ igitur est illa uestra dementia, qua dies phlebotomiæ & pharmacorum, tanquam æquè omnibus profuturas, in uestris ephemeridibus ita indiscriminatim asignatis? At obijcies mihi Galenum, qui tempora partus, ac dies & motus criticos, lunæ acceptos refert, pro ratione sedecim angulorum, quos luna quouis mense peragrat: & Marsilium Ficinum, qui integro libro de uita cœlitùs conseruanda conscripto, hanc astrologorum curandi morbos methodum docuit, & approbauit. Hæc Marsilium Ficinum scripsisse, etiam si reuiuisceret, inficiari non posset: qui agnita ueritate, tandem palinodiã Angelo Politiano & Pico Mirandulano canens, ingenuè fatetur, has astrologorũ obseruationes, ut quomodolibet ad uitæ conseruationẽ profuturas, se cõgessisse, non ut eas probaret, sed potius cum Plotino grauissimo Platonis interprete derideret. ac ambobus congratulatur, quòd astrologica uanitatum & superstitionum portenta tam argutè quàm sanctè confutauerint: & quòd contra astrologos, qui Ioui eripere cœlum frustra

Gale. li. 2. & 3. de diebus criticis.

Hæc Marsil. Ficin. lib. 12. Epistolarum.

ſtra more gigantum molirentur, hic ut Palladis alumnus, ille uerò ut alter Hercules, egregiè decertauerint.

Quantum uerò ad Galeni Mathematicam de diebus criticis rationem attinet, nos medici unà cum philoſophis concordi ſuffragio quoque fatemur, partus, animalium fœtus, arborum fructus, pro ratione lunaris motus & luminis augmento coaleſcere, maturari, & eniti: ac dies morborum criticos, ſiue præliatorios dicere mauis, promoueri, niſi materiæ illius actioni ſubiectæ indiſpoſitio obſtiterit, quæ hos lunæ ſolis & aſtrorum omnium actiones euariat: quod & Galenus lib. de diebus criticis ſecundo his uerbis fatetur, ὥς τεταγμένον τι χρῆμά ἐστιν ἡ φύσις, κἀπειδὰν κρατῇ τῆς ὕλης ἀναλογίαις τισὶν ὡρισμέναις, καὶ περιόδοις τεταγμέναις, αἱ κινήσεις αὐτῆς γίνονται, τὰ δὲ ἀλόγως παρεμπίπτοντά ποτε, καὶ συγχέοντα τὴν τάξιν, ἐπειδὰν μὴ κρατῇ τῆς ὕλης, ἀλλὰ ἐμποδίζοιτο: tum citra omnem ordinem, aſtrorum natura, non euicta materia, effectus producit. Conſtat igitur, has dierum indiciariorum, prouocatoriorum, & criticorum obſeruationes, & effectus, magis ex cauſæ morbi materialis, præcipuè febrilis & acuti diſpoſitione, concoctione, ſtatis morbi temporibus, & ſymptomatibus dinoſci, & dependere, quàm ex aſtris: ut rectè Hippocrates in Aphoriſmis, Prognoſticis & Epidemijs paſsim docet. qui quare diebus imparibus coincidat criſis, lib. 4. de Morbis, ſcitè cauſam reddit, dum inquit: Diebus paribus corpus de uentriculo & uaſis humores attrahit, quos diebus imparibus propellit, & protrudit. cuius certum hoc eſt ſignum. Quicunque enim febre continua correpti, pharmaco in diebus paribus uſi ſunt, hi nunquam nimium ſunt purgati: qui uerò diebus imparibus forte medicamentum ſumpſerunt, hi crebrò nimium purgati interierunt. humor enim (inquit) ægroti magis diebus imparibus turba-

De materia ſublunarium eadẽ tradit Auicen. li. 4. fen. 2. tracta. 2. cap. 1.

Gale. in princ. 2. libri de diebus criticis.

De natura ſiderum hæc Galenus loquitur.

Diuina Hippocra. ex lib. 4. de morbis uerba.

tur, nimirum corpore humorem ad uentriculum transmittente. Hinc quoque uidemus, tertiana febre correptos, ut plurimum in principio uel augmento paroxysmi, morbi humorem, qui ad stomachum regurgitauit, euomere. At nostri astrologi, nulla habita diei morborum paris uel imparis ratione, dies purgationum & phlebotomiæ præscribunt. Quas tamen dierum obseruationes, in uictus ratione & tempore constituendo: Asclepiades iure, ut uanum, repudiauit: neque in ullo die, quia par uel impar esset, maius uel minus periculum subesse dixit. Proinde rectè Cor. Celsus, ipsas morborum accessiones intueri, ex hisq́ quando cibus dandus sit coniectare iubet. Sed quando uena incidenda, aut æger purgandus, rectius causa & morbi concoctio, uires corporis, ac accessionum tẽpora, quàm astra indicabunt. Et ne sub hoc ardenti caniculæ æstu astrologis stomachum uel bilem moueam, ne'ue mihi succensere posśint, uerbis doctisśimi philosophi & astronomi, Augustini Niphi Suessani, hanc epistolam concludam. Currant, inquit, huc in nostrum libellum Mathematici nostrorum temporum, qui uanitatibus Arabum, maximè Albumasaris innixi, multa, uti circulatores, aut fabulatores, in eorum annuis emisśionibus scribunt: & hoc, quia Ptolemęi præcepta negligunt, quem non minoris facimus Aristotele: hunc Physicorum deum, illum Mathematicorum monarcham, edam (inquit) nunc nunc. O' utinam morte non præreptus fuisset, ubi uanitates horum legere poteris. Interim tamen hæc mea & Augustini Niphi scripta & dicta, ut à Cynicis maleuolorum oblatrationibus defendas, oro.

Cor. Celsus li. 4. ca. 4.

Hęc Augustinus Niphus li. 4. de Diebus criticis.

DE

DE EPHEMERIDVM ASTROLOGOrum origine. Epist. XXXVI.

QVam perniciosæ sint astrologorū nostri temporis ephemerides, ex intempestiua Petri Lembergij, adolescentis ad p̄clarā literarū frugē nati, morte facilè conijcere potes. qui quum nō ferendo pleuritidis dolore ad spatulas usq; conflictaretur, & medicus secare uenam præcepisset, aduenit subitò malè feriatus monachus apostata, qui medicinæ imposturis quęstum parabat: is quum in ephemeride nescio cuius nam astrologi hunc diem nullo auspicato phlebotomię signo crucis signatam uideret, exclamauit subitò: Medicum longè aberrasse, & hunc diem esse sectioni uenæ infestam: quam triduum differre, donec luna subiret pisces, dissuasit. At miser adolescens, altero die ad uesperam, uitam cum mortè commutauit. At bone Deus, quantum p̄staret, ut principes & urbium rectores, has astrologorū ephemerides in uniuersum abdicarent, & more ueterū tantum dierum fastos instituerent, quorum pontifex & rex sacrorum, quibus diebus pro mensium ratione sacra deorum mysteria celebrari deberent, & ius dici populo, indicabat. Nam primum mensem, & dies impares, dijs cœlestibus consecrabant: alterum uerò mensem & dies pares dijs inferis, in quibus lustrabant fontes, & mortuis parentabant, quos dies inauspicatos, Græci ἀποφράδας, Romani uerò nefastos appellabant: quales erant dies mensium postridie Calendas, Nonas, & Idus, in q̄bus Do dico & addico, hæc tria uerba dicere, Prætori religio & nefas erat. At alios tres mensium dies primarios, Calendarum nonas & iduum, dijs superis consecrarunt: quos fastos quoq; appellabant, in quibus sacris operari, & ius dicere fas erat. Hos Numa Pompilius ex Hetruscorum magia Romanos pontifices concipere & sta-

De his diebus Macrob. lib.1. Satur. cap.19. Suidas & Hesychius. Oui. lib.1.Fast. Gel. lib.4.cap.9.

ſtatuere docuit. quos, ne ſacra uileſcerent, populo nō diuulgabant: ſed horum obſeruationē pontifex minor, ſacrificiorum regulus, plebi in capitolium calatæ, id eſt conuocatæ, iuxta Calabram Romuli caſam indicebat. Sed tandem Cn. Flauius, libertino patre natus, nempe qui cornicum oculos confixerit, ut à populo Aedilis curulis deſignaretur, ius ciuile repoſitum in penetralibus pontificum, euulgauit, faſtosq́ circa forum in albo propoſuit, & populo ſagaci quidē ingenio promulgauit: ut quando lege agi liceret, populus ſciret, quos dies antea à pontificibus tanq̄ à Chaldæis petere oportebat. At poſtea his ex annalibus pontificum inuulgatis, & in ephemerides relatis, aſtrorum periti, ſiderum ortus atq́ occaſus, penes quos partium & temporum anni tempeſtates, & aeris nos ambientis conſtitutiones mutarētur, quas medicum, nautas, & agricolas ſcire operæpretium eſt, aſcribebant: unde Columella: Nec me fallit, inquit, Hipparchi ratio, quę docet, ſolſtitia & æquinoctia non octauis, ſed primis ſignorum cancri, capricorni & arietis ac libræ partibus confici: uerùm in hac ruris diſciplina, ſequor nunc Eudoxi & Metonis traditionem, antiquorūq́ faſtos aſtrologorū, qui ſunt aptati publicis ſacrificijs. Huiuſmodi duodecim Romanorum mēſium faſtos, in antiquis monumentis Romæ repertos, ipſe domi habeo: unà cum Cl. Ptolemęi de inerrantium ſtellarum ephemeridibus & ſignificationib. quas Nicolaus Leonicenus, olim meus pręceptor, latinitate donauit. Huiuſmodi ſanè Ephemerides, quæ ſiderum ortus & occaſus ac tempeſtates, dieſq́ myſteriorū faſtos & nefaſtos indicarent, nobis ſatis forent: quas nugigerulum aſtrologorum uulgus ſuis ex imaginarijs lunæ & planetarum aliorumq́ aſpectibus, infortunijs, exaltationibus atque triplicationibus, dierum electionib. defœdauit: qui, ut imperitus Scitotomus ex uno calopodio omnibus ſotularia conficit: ſic illi aſtrologi ex eadem

De Cn. Flauio hæc Cic. in orat. pro Mure. Pli. lib. 33. ca. 1. Liu. lib. 9. decad. 1.

Vide Auicennā in Canticis propoſ. 103. & ſeq.

Columella li. 10. cap. 14. hæc ſcribit.

adem anni constellatione hominibus, etiam sub diuersissimo cœli themate natis, qua die secare uenam, corpus pharmaco purgare, cucurbitulis aut hirudinib. sanguinem emungere, pueros ablactare, mercari, peregrè proficisci, nouas induere uestes, caput & barbam radere, resecare ungues faustum sit, indiscriminatim omnibus præscribunt. Taceo, ꝙ bella, principum mortes, annonæ caritatem, perfricta fronte prædicere non erubescunt. Quorum nugis urbium moderatores confisi, nec eorũ prudentia & ratione habenas reipublicæ moderari, nec medici ægros rectè curare possunt. At id Reipublicæ parum interesse censes? Nequaquam. Digniores certè essent, in quos omnes anus scommata iácerent, quàm Thales fuerit Milesius, qui primus solis eclipsim prædixit, stellas ursæ minoris nautis monstrauit. hic enim egressus domum, ut astra cõtemplaretur, inq; subiectam decidens scrobem, irrisus ab anu fertur: ꝙ ea quæ in cœlis essent, scrutari uellet, quum quæ pedibus essent subiecta, non uideret. Si hæc anus nostri seculi astrologorum deliramenta uidisset, quid eam dicturam arbitraris? an non exclamaret: O uanitas uanitatum, & super omnia astrologorum uanitas.

De Thalete hęc Diogenes Laer lib. 1. Euseb. de Præpa. euang. lib. 12. cap. 20.

DE CRISIS ETYMOLOGIA.

Epistola XXXVII.

NVper in symposio Andreas noster Dipnosophista, ut elegãter, ita quoque acutè, Nihil esse ignorantia doctius & audacius, natura uerò nihil indoctius & iniustius esse asseuerabat. Nam quanto quis imperitior, tãto eũ plus in reb. arduis sibi cõfidere & arrogare audere: naturam uerò nullo præceptore doctã, in totius uniuersi & humani corporis fabrica ad Polycleti ferè (ut aiunt) regulã, cuncta adeò peritè & iustè dispensasse, ut eius opificio nihil rectius & doctius excogitari

Ignorantia nihil doctius, & natura indocta.

De naturæ inscitia Gale. de doctr. Plat. & Hippoc. & de Vtilit. partium copiosè.

cogitari poſsit: & tandem medicos non temere, ſubitã illam naturæ cum morbo pugnam & mutationem, criſim quoq;, id eſt iudicium appellaſſe. Tum ego ſubridens: Fateor, inquam, mi Andrea, ſummam diuinę naturæ ſapientiam, iuſtitiam & æquitatem, in mundi totius, & præcipuè humani fœtus opificio eluceſcere: ſed duram, ne dicam ineptam, eſſe iudicij ad naturæ cũ morbo pugnam, analogiam: quum criſis non ſit iudiciũ morbi, ſed præceps & ſubita morbi, præcipuè febrilis uel acuti, in ſtatu eius ad ſalutem uel perniciem permutatio, & humoris peccantis excretio. Fit autem, inquit Galenus, præcipuè in ſtatu & diebus decretorijs, dum prius in diebus indiciarijs aut prouocatorijs ſęuiora morbi accidentia incruduerint: natura tamen prius per cõcoctionem ſeparante à bonis mala, & ad excretionem p̃parante. Siquidẽ, ait, oportet concoctionem præire, ſubſequi uerò diſcretionem, & poſtea euacuationem, ut ſalubris fiat criſis. cruda quidem & indigeſta humorum mole, aliquid arte uel natura rectè euacuari & excerni, eſt impoſsibile. Proinde Hippocrates, Archigenes, atq; alij his antiquiores medici, hanc naturę cũ morbo pugnam, & humorum ſequeſtrationem & excretionem, utrunq; uno uerbo rectè κρίσιν appellarũt, ἀπὸ τοῦ κρίνειν, quod auctore Heſychio & Suida, numerare, ſequeſtrare, & ueluti per cribrum aliquid excernere, & pugnare quoq; ſignificat. Vnde Homerus κρίνεσθαι ἄρηι, id eſt prælio decernere inquit. Et Hippocrates libro quarto de Artic. ubi de tempore quo in ſphacelo fit oſsis corrupti ſequeſtratio, inquit, οὐκ ἔστιν γὰρ ὄνομα ἀριθμοῦ τοῦ χρόνου θέσθαι, ἐν ὁκόσῳ ἕκαστα τούτων κρίνεται. id eſt, quo dierum numero oſſa putrida excernantur. Et mox ſubdit: αὐτὰ γὰρ ἑωυτὰ κρίνει μόνον. Et quamuis κρίνειν iudicare quoq; ſignificet, nulla tamen iudicij cum naturæ & morbi decertatione analogia, niſi dura & inſolens, excogitari poteſt. Nam ſi lis inter naturam & morbum conteſtari deberet, quẽ obſecro

Criſis deſcriptio, & quæ ſit uera in morbis digeſtio.
Gal. li. 2 Aph. 13. & li. 4. Aph. 22. & lib. 1. Epidem.

Morborũ criſis cum iudicij analogia non quadrat.

obſecro iudicem ſtatues? non quidem medicum, quũ ipſe ſit naturæ miniſter, & eo nomine ſuſpectus: nec ipſe, ſed natura morbum curet & corrigat. Naturâm' ne iudicem conſtitues? at eandem eſſe actricem, quę morbum reum agat, & iudicẽ, ius nõ fert. Ob id Galenus libro de Criſi tertio, criſim ait non primùm à medico aliquo iudicium dici cœptum, ſed ab homine aliquo uulgari & idiota inoleuiſſe, qui quum ægrum ſæuiſsimis accidentibus criſis affligi uideret, & excruciari ueluti ſupplicio, territus, de ægro iudicium fieri proclamauerit. quare cũ iudicium non ſit genuina & primaria criſis morborum etymologia: miror uenerãdum ſpectatæ eruditionis ſenem Nicolaum Leonicenum, ac reliquos ut eruditos medicorum Græciæ interpretes, ita de re medica optimè meritos, potius pro criſi nomen iudicij, quàm morborum reſolutionis, excretionis, aut cum natura pugnę nomen affectaſſe: quum Hippocrates dicat in medicorum præceptis, νόσου ἀταραξίη μῆκος συμαίνει, κρίσις δὲ ἀπόλυσις νόσου. id eſt, Morbi tranquillitas, ſiue imperturbatio, eius lõgitudinem ſignificat: pugna uerò, eſt morbi reſolutio. At illis iure hoc condonamus: quandoquidem Galenus in Prognoſticis, hanc iudicij cum morborum & naturæ pugna comparationem, non penitus repudiaſſe uidetur, dum ait: Criſis, morborum iudicatio, de foro translatitia appellatione, dicta eſt, ſignificãs p̃cipitem in morbo mutationem. At quum de rerum natura & ſubſtantia conſtat, non magni refert, quibus nominibus medicus utatur. Non enim ſanè uerborum facundia, ut Celſus ait, ſed ars medici, ægrum curat. Quamobrem, mi Andrea, an hanc morborum criſim, rectius naturę cum morbo pugnam, an ſequeſtrati excretionem nominare uelis, penes te ſit arbitrium. Vale.

Vocabuli criſis in medicinis pro iudicio origo.

Contra Leonicenum Ferrarienſem.

Hippo. in fine libri præceptorũ. & li.1. ac 2. Aphor.

Gal. lib.3. Prognoſticorum.

Verba ægrotũ nõ curant.

DE PRODIGIIS ET DAEMONVM in morbis præstigijs. Epist. XXXVIII.

PLurima sanè, mi Petre, admiratione digna quotidie in morbis & animalium generatione, quorum causas uix ratione ulla assequi possumus, præstigijs simillima, uel dæmonum astu etiam, non rarò naturæ uiribus accidere uidemus: adeò etiam natura Synesio & Plotino plerunque uidetur esse maga. Nã ludit, & crebrò, in humanis diuina sapientia reb. Latet enim in toto sensibili & æthereo mundi corpore, spiritus, & cœlestis ille siderum calor uiuificus, omnes alias elementorũ qualitates simplici eminẽtia uirtualiter cõtinens: & in spiritu uiget anima, in anima uerò effulget mens & intelligẽtia, quæ admirãdos cùm in morbis tũ in animaliũ fœtura parturiũt effectus, etiã sine semine. Sic ex ocymo herba, scorpio, ex boue mortua nascũtur apes. & ex saluia sub fimo putrefacta, dũ sol & luna secundã leonis faciem occupant, Persarũ Magi auẽ merulæ similẽ procreabãt: cuius adusti cinere, lampadi insperso, domus serpentib. referta uidebatur. Nihil igitur mirũ, & steatomatũ, & atheromatũ, aliorũq; apostematũ concauitatib. carne exesa, de uiscosis & putridis humoribus ac fibris calore putredinali siccatis, res lapidib. tophis, harenis, urceolorũ testis, lignis, carbonibus, capillis, & amurcæ similes nasci, quæ uulgus incantationi & præstigijs dæmonũ accepta refert: cum simillima astu dæmonũ in corporib. ægrorum, præcipuè maligno obsessis spiritu, plerunq; accidere, etiam nostra etate uiderimus, Bononiæ dũ rei medicę operam nauarem, mulier quædam circa pudenda ulcere fauoso, meliceride laborabat: & quum spem consolidationis maximè læso chirurgo ostentaret, tũ repentè nouus ἰχὼρ, humor melli simillimus ubertim erumpebat: donec dæmone, quo obside-

Admiranda naturæ opera ex ocymo, boue, & saluia.

De his uarijs apostematum cõtentis, Gal. lib. 2. ad Glau, & lib. 14. Met. Celsus lib. 7. cap. 6.

Dæmonum in morbis præstigiæ.

Mulier Bononiæ meliceride laborans.

obſidebatur, diuinis exorciſmi deprecationibus expulſo, tum eadem nocte, nullo relicto cicatricis ueſtigio, ulcus ſua ſponte conſolidabatur. At Florentiæ mulier quoque ſpiritu obſeſſa maligno, dum intolerabilib. uentriculi torminibus diuelleretur, nec medici ullam opem ferre poſſent, en repentè oblongos & recuruos clauos æneasq́ acus, unà cum cera & capillis conglomeratas, euomuit: & poſtremò ingens carneum ientaculi fruſtũ, quale nec gigantis fauces deglutirent, eructauit. Nõ minus certè illud horrendum dictu, uiſuq́ eſt, quod in Theũern, Iuliacenſis ducatus oppido, crebrò accidit: ubi ægroti in tẽplo ante diuæ Annę altare & uenerandũ caput eius ſupplices proſtrati, fruſta & fragmẽta uitrorum, urceolorũ, & oſsiũ de piſcib. quæ humana gula & ſtomachus deglutire non poſſet, ac loculos quoſdã cum nũmis euomuerũt. Sed illud quod à Chriſto ex Deipara uirgine nato anno 1539 in quodam Eiſtettenſis Epiſcopatus ditionis pago, Fugenſtal, accidit, omnẽ ſuperaret fidẽ, niſi oculati ſpectatæ fidei teſtes adhuc ſupereſſent: in quo pago Vlricus Neuſeſſer agricola, cũ crudelibus dolorũ tormentis, in altero hypochondriorum latere cõficeretur, ſubitò clauũ ferreum ſub illæſa cute manu apprehendit, quem chirurgus illic balneator nouacula exciderat. nec tamen dolores ceſſarunt, ſed indies magis incrudeſcebant. Quare quum nec aliud doloris fore remedium miſer quàm mortem ſuſpicaretur, arrepto cultello ſibi guttur abſcidit. Itaque dum tertio die mortuus ad ſepulchrum efferretur, aderant tum Eucharius Roſenbader ex Vueiſſenburg Noricorum oppido, ac Iohannes ab Ettenſtet balneator, qui aſtante magna hominum frequenia demortui agricolæ uentriculũ inciderunt: in quo lignũ teres & oblongum, quatuor ex chalybe cultros, partim acutos, partim inſtar ſerræ dentatos, ac duo ferramẽta aſpera reperta fuerũt, quorũ ſingula ſpithami lõgitudinẽ excedebãt. aderat &

De muliere Florẽtina hæc Beniueni⁹, de admirandis morborũ cauſis.

Miracula in oppido Theũern.

Cultelli, ferramẽta, claui, capilli in ſtomacho ruſtici reperta.

Non minus Miraculum visum fuit Constan[illegible] Anno. qd ego ipse vidi et manibus tractavi simul cum Tot[illegible] [illegible] [illegible].

capillorum inſtar globi inuolucrum. Sed quid potiſsi-mum hic admiraberis? an, quomodo tot & tanta ferra-menta in uentriculi cauitate contineri potuerint: an, qua arte ſint ingeſta? Certè non alia, quàm dæmonis a-ſtu & dolo: á quo Chriſtus, qui in eum confidunt, tueri poteſt: qui Salomonem diuinis carminibus hos curare morbos, & fugare dæmones docuit. id quod & Eleaza-rus, Iudaicæ factionis ſacerdos, uidente Veſpaſiano, & eius filijs ac tribunis, palàm feciſſe in exercitu traditur. Vale.

De Salomone & Eleazaro hæc Ioſephus lib. 8. Antiqui.

AN IN VNIVERSALI FEBRIVM PRIN-cipio competat euacuatio. Epiſt. XXXIX.

De Syrneſmo Galen. in lib. 2. Hippoc. de Articulis.

LAetabar ex animo, Nicolae mi cõpa-ter, dũ intellexerã te ex Florẽtina Etru ſcorũ academia, ad celebre Sueuorũ gymnaſiũ Tubingã, incolumẽ rediiſ-ſe: quorũ medicos ſaltẽ aliquos audio euacuationes lenitiuas, quas ueteres ſyrneſmos, uel apozemata, iuniores minoratiuas appellarũt, in principio febriũ uniuerſali materia morbi indigeſta, cõcordi ſuffragio abdicaſſe, & Galeni teſtimonio penitus cõdẽnaſſe: nẽpe ꝙ harũ fre-quẽtia ęgri tabeſcerent, & fruſtra ideo macerarẽt, cũ in morbi principio nulla per concoctionẽ ſit humoris no-xij facta ſequeſtratio, medicus fruſtra illius excretionẽ pharmacis moliri: cum Hippocrates cõcocta, nõ cruda, medicari oportere edixerit, niſi turgeãt. Sed longè ꝓſta re, in principio alterãtib. inciſiuis & apitiuis, ꝗ pharma-cis purgatorijs uti. & ob id Hippocratẽ, præcipuè in fe brib. fortib. medicamenta alui deiectoria uetuiſſe aiũt. Sed horũ dogma à uera curãdi febres Galeni methodo lõgè diſcrepare, paucis docebo: & ꝗd eos in hoc ãbigui-tatis ꝓcipitiũ cõpulerit, breuiter manifeſtabo. Noſti ſa nè, ea corpora febrib. maximè eſſe obnoxia, quæ praui, uiſcoſi, crudi, aut putridi humoris redundãtia onerant. hæc

Hip. li. 1. Apho.

Hęc eadẽ Gal. li. 8. & 9. Meth.

hæc enim in uiſceribus uenarum & meatuum obſtructiones, obſtructio uerò putredinem, hęc autem febres ut genuinam ſobolem parit. Si igitur obſtructionibus detergendis, nondũ euacuata conſtipationis cauſa incu bueris, periculum erit, ne cõmota humorum redundan tia, meatus magis infarcias, & impingas. Si uerò alterantibus frigoriferis calorem febrilem extinguere uoles, periculum ingens erit, ne humoris putridi copia ingroſſata, intra uiſcera detineaẽ, maioresq́ obſtructiões aut abſceſſus pariat. In hanc, inquit Galenus, conſilij ambigui inopiam deueniunt medici Eraſiſtratij, qui nõ ſtatim à principio corpora uacuarunt. Et ne arbitreris Galenum hæc contra Eraſiſtratum tantum de euacuatione, quæ per uenæ ſectionem fit, ſtatuiſſe, & eam quæ pharmacis fit diſſuaſiſſe: en utramque euacuationem in principio morborum competere, teſtimonio Hippocra tis probat, qui in Aphoriſmis: Dum morbi inchoant, inquit, ſi quid mouendum uideẽ, moue: cum uerò conſiſtunt, ac uigent, melius eſt quietem habere. In expoſitione huius Aphoriſmi, inquit: Circa initia morborũ curabilium maiora oportet afferre remedia: qualia ſunt, uenæ ſectio, nonnunquã uerò & purgatio, quæ in mor bi ſtatu non competunt, in quo concoctiones maximè fiunt. Vt igiẽ hæc citius eueniant, melius eſt circa principia euacuare: quo minore iam facta materia, facilius natura eam poſsit concoquere. Nam ut ignis ſub nimia congeſta lignorum ſtrue: ſic calor naturalis, digeſtionis opifex, ſub nimia humorum copia ſuffocabitur. quam ſi in principio pharmaco aut phlebotomia diminueris, tũ natura reliquum facilius cõcoquet, & concoctum in fu liginoſas digeret exhalationes, per ſudorem, urinam, ſeceſſum: & emunctoriorum abſceſſus ἐκρίνει, id eſt excernet. At Hippocrates medicamenta purgatoria tantũ in febribus continuis & uehementioribus, ut ſynochis, uetuit: in quarum principio & nos uenæ ſectionẽ phar

Galenus lib. 9. Methodi.

Hippocr. lib. 2. Aphor. 29.

Hippoc. lib. de Medicament. purgat.

macis longè præferimus: quæ tamē per clysterem, quoties opus fuerit, inijci non dissuadet. & in cura pleuritidis, si dolor uel grauitas ad iugulum usq;, uel brachium, uel mammillam extenditur, aut partes quæ supra septū transuersum sunt, infestat, internam cubiti uenam secare iubet. At si partes infra septum transuersum dolor affecerit, & ad iugulum non ascendit, tum uel nigro ueratro, aut peplio, aluum ducere admonet. Nemo igitur inficiabit, pharmaca redundantis & noxij humoris deiectoria, in principio febriū uniuersali magnopere conferre: quib. nisi putridi humoris copiam ademeris, tum non modò tantam crudi humoris copiam calor naturalis concoquere nō poterit, sed præcipuè in statu & morbi declinatione, resoluta per calorem febrilem & sudorem subtiliori humorū substantia, fœculentior pars derelicta, fungosam & raram epatis ac lienis substantiam ita infarciet, & obstruet, ut tandem utroq; uiscere uel altero scyrrhis obsesso & indurato, hydrops, aut crurū œdema, febrem excipiat. Quod tum maximè accidet, si alterantibus frigidis citra euacuationē lenitiuam aut euacuatiuam usus fueris, quæ materiam plus ingrossant q̃ resoluunt. Quare, ne in febribus interpolatis nimis diu frigidæ potu utaris, diligenter caueto.

Hippoc. lib. 2. regim. acut.

Epar & splen scyrrhis obnoxium.

Galenus lib. 13. Methodi.

Deutsch der fiber kucke.

Gal. in expos. Aphor. 32. libri quarti.

DE SANGVINIS SPVTO, VOMITV, *& ex mortuis profluuio. Epist.* XL.

Tabellarius tuus, mi Lembergi, nudiustertius lugubres de obitu fratris tui nænias mihi obtulit: quibus, quum per noctem tussiret, & spumosum ac rubicundum de pulmone eructasset sanguinem, eum antelucano tempore animam subitò efflasse, lamentaris: & admiraris, quando plerosq; alios uideris cruenta tussicula diu infestatos, priusquam morerentur, phthisi contabuisse. At mi conterranee, homi

nibus

nibus id obœsis, uasorum pulmonis repletione oneratis accidere nil mirũ: quippe erosione, salso catarrhi defluxu, tussi, uomitu, aut casu præcipiti, uel ictu, rupta sub pectore uena, aut arteria, ob continuum pulmonis motum, sanguinem ita repente & confertim in pulmonis concauitatẽ defluere, ut æger suffocetur, non rarò contigit. Quare & ego uicissim tibi Georgiũ Wirth, spectatũ rei medicę doctorẽ, consobrinũ meũ, ante aliquot annos Gerlicij eodẽ morbo obijsse, cogitandũ ꝓpono. At sanguinis ex uentriculo uomitũ, cum nulla uenarũ oscula in eum apertè pateant, crebrò iuuenibus & senibus esse, & crebrò quoq; fuisse salutarẽ, quispiã potius admiraretur. Hippocrates quidẽ uirgines nobiles, retẽtis menstruis, nõ rarò sanguinẽ affatim euomere, & à morbis uteri liberari, his uerbis testatur: Mulieri sanguinẽ uomẽti, erumpentib. menstruis, solutio. Vnde mulier Florentina, cũ intolerabili capitis dolore ex retentiõe mensium affligeretur, his uomitu eiectis conualuit: & ne morbus iterũ incrudesceret, saphenę sectione sibi cauit. Huius euẽtus hæc est certa ratio: per quas uenas & meatus epar chylum fugit & attrahit, per easdẽ sponte, aut uirtute pharmaci, humores ad uentriculũ quoq; regurgitant. quando uerò sanguis in matricis locellos effluxurus, descendit, & uenarũ oscula obstructa fuerint, tũ sanguis ibi collectus, per uenas matricis ad epar, cor, & uenæ chylis ramos regurgitat, & in uentriculũ per uenas quæ eius orificiũ & fundũ ambiunt, destillat, & uomitu expurgatur. Ob id Hippocr. in Prænotionib. ait: Qui sanguinẽ spuunt, dextrũ dolentes hypocondriũ, de epate spuunt, & sterilib. ad conceptionẽ prodest. Atq; in Aphorismis: Quicũq;, ait, sanguinẽ euomũt sine febre, salutare: cũ febre uerò, malũ. curare uerò eos refrigerantibus & stipticis oportet. At hoc in succiplenis iuuenũ utriusq; sexus corporibus, in qb. ob uenarũ obstructiones hæmorrhoidarũ aut mensiũ effluxus coercẽtur, aut

mutilis

Hippocr. lib. 5. Aphoris. 32. & cõtra Iulianũ.

De muliere Florẽtina hæc Beneuenius de morb. causis.

Testis est Gal. libro 3. de uirt. naturalib.

Hippoc. in lib. de morb. uirg. & Gal. lib. 4. de caus. sympt. ratio. ac Aui. fen. 21. tertij, tract. 3. cap. 1.

Hippoc. lib. 7. Aphor. 37.

De mutilis hęc Gal.lib.3 de uirib. naturalib. & lib.4.de art. Galen.lib.5.de locis aff.cap.4.

mutilis accidere,nihil mirum:in quibus natura cæteris occlusis meatibus, sese à copia aggregati sanguinis per nares,secessum,& uomitum crebrò exonerat.Nam Galeni testimonio constat, uasis gulæ aut ob solam sanguinis plenitudinem, uel casu ex alto disruptis, aut præcedente ulcere,uitio humorum erosis, sanguinem per os, æquè ac in alijs uenis omnibus, ubertim effluere. At in his dolor sedem affectam indicat: aperto autem alicuius uasis osculo sponte, tum sine dolore profluit. Sed quòd idem accidat in corporibus senum utriusq; sexus, profectò admiratione non caret. Nam in monasterio

Vomitus sanguinis senibus salutaris aliquando.

Abbatissa in Seligepfort,& Bernhardus, bombardarum magister.

Noricorum,prope oppidum Nouumforum, cui nomē Seligepfort,quum Abbatissa,quæ 58 annum excesserat,tussiret,& circa hypocōdria quotannis dolore citra febrem corriperet, spontaneo copiosi sanguinis uomitu à morbo liberabatur. Ciuis quoq; Heydelbergēsis, pyrobolorum magister,ferè septuagenarius, quum magnis circa præcordia torminibus diuelleret,en repentè noctu sanguinis plus q̃ libram euomuit, & conualuit. Nisi causam sanguinis in corporibus senum redundantis, in crapulam & ocium referre licebit, cuius copiam cùm natura uiribus effœta in alimoniam corporis, cuius augmentum naturaliter desijt, transmutare nō possit,necesse est,ut eam uomitu,aut quauis alia ratiōe expellat.

Quare occisorum corpora præsente homicida cruentēt.

Sed quam obsecro afferes causam, cur occisorū corpora præsente sicario cruentent, quum mors sit caloris naturalis extinctio, cuius frigore sanguis congelatur & torpet? an aliquas sensilis animæ,cupiditatis scilicet & uindictæ, uires,etiā post mortē adhuc in sanguine,donec putrescat,subsistere,cum philosophis quibusdam affirmabimus? quod certè Lucretius,poeta & philosophus Epicureus, his carminibus utrumq; fateri uidetur,dum ita cecinit: *— libido*

Lucret. libr.4.

Incitat, irritans loca turgida semine multo,
Idq; petit corpus mens, unde est saucia, amore.

Namq;

Namq; homines plerunq; cadunt in uulnus, & illam
Emicat in partem sanguis, unde icimur ictu:
Et si cominus est, hostem ruber occupat humor.

Ac si diceret: perinde ac salax mentis libido affectat semen effundere in amicam, cuius amore irritata & sauciata fuit mens: sic quoque caro uulnerata, rubro sanguine aspergere hostem præsentem desiderat. Sed quam mihi reddes rationem, de hæmorrhagia uxoris nobilis uiri Bertholdi à Flerscheym, de nobili Helmstetterorū stemmate natæ? cui grauiter ægrotanti, quum in scapulis cutem, adhibitis cucurbitulis, inciderēt scalpello, nemo sanguinis fluxum ulla arte uel carmine sistere potuit. altero die mortua, etiam cruentauit, donec ad sepulchrum efferretur. An chirurgus ea fuerit usus arte, quā quidam balneator in Monacho, ducum Bauariæ metropoli, nosse fertur: qui cucurbitulis tantum sanguinis, quantum uoles, uel ad syncopim usque elicit? at illius hæmorrhagiā, quando libuerit, sistere potest. Hūc uerò aiunt suum scarificationis scalprum, puluere quodam quibusdā speciebus salis mixto, expolire, qui sanguinem concrescere non sinit. nam & ideo in cancrenæ scarificatione, incisiones aqua salsa calente, ne sanguis ingrossetur, irrigamus: quem si spongia recenti marina, aqua salis aut maris humectata, absterseris & fomentaueris, etiam liquidior fluet. At tu, mi Lembergi, quæ uera sit istorum hęmorrhagiæ ratio, ut ingenium tuum exerceas, meditare: malo enim sanè officio cotis fungi, quàm temerè quicquam effutire. Vale.

Corpus mulieris mortuæ cruentauit.

De admiranda scarificationis hæmorrhagia.

Scarificatio balneatoris Bauariæ.

Aqua salis & spongia hæmorrhagiam proritant.

Cancrenæ fomentatio.

Theoremata ingeniorū cos.

DE PRIMARIIS DOLORVM CAVSIS.

Epist. XLI.

Natura ingenia multorum ita comparata esse uideo, ut malint uideri quàm esse docti: qui quum aliis eruditionis honorem, qui calcar uirtutis est, inuideāt, aliorū obtrectatione eruditionis famā aucupantur.

Plin. in prol. lib. I.

Laruas cum mortuis luctari, in uitilitigatores ueterum, adagium. Cic. li. 1. de nat. deor. Quintil. li. 8. Pli. in proo. *Arbor suspendio eligenda, in mulieres maledicas adagium.*

aucupantur. quos nempe maleuolos priscorū uitilitigatores, ut laruas cum mortuis luctari, Plancus non illepidè dixit. De quorum censu fuit olim Zoilus Homeromastix, qui editis aliquot libris Homerum, omnifariæ doctrinæ fontem, apud Ptolemæum Aegypti regem, calumniatus est. Quid tibi Leontiū, triobolare illud scortum, commemorem? quod Theophastrum, diuinæ sapientiæ & eloquentiæ uirum, scriptis incessere non erubuit: unde nata est adagij occasio, arborem suspendio eligendam potius, quàm tam indigna ferre opprobria. qualibus & Galenum, medicorum coryphæum, Auerrois & Auicenna traducere audent: nempe qui solum cōtinuitatis diuortium, & nō loci affecti intemperiem, primariam doloris causam statuisse ipsum insimulent.

Auicenna li. 1. fen. 2. tract. 2. ca. 19. & 6. Naturalium.

Deinde uicissim Auerrois in tertio suorum Collectaneorum libro, Auicennam redarguit, quòd præcipuā doloris causam, utrumque simul, esse censuerit: quum solam loci passi intemperiem, à qualitate contraria, uel repentino dissolutionis continui motu introductam, unicam & primam esse doloris causam, idem Auerrois contendat. Sed ut hanc controuersiam exactius, quàm

Cōciliator differentia 76.

Petrus de Appano conciliator, dirimere possis: primū quid sit dolor, deinde quæ fuerit uera de causa doloris Galeni sententia, ut breuiter, ita quoque clarè docebo.

Doloris definitio ex Platone.

Est itaque dolor, tristis in sensu tactus affectio, à membri intēperie & cōtinuitatis diuortio subitò facta. Proinde Plato in Timæo inquit: Pathos præter naturam uiolenter & affatim incidens, dolorem excitat: dum uerò ad naturalem habitum affatim & derepentè redit, delectationem parit. quod enim sensim paulatimque fit, sensu non percipitur. Sed has repentinas & dolorificas corporis mutationes, ob duas incidere causas, nempe propter subitam temperamenti similarium alterationem, aut compaginis illorum dissolutionem, Socrates in Philebo Platonis testatur, dum inquit: Harmonia in

animanti-

animantibus soluta, unà naturę solutionem, generationemque dolorum, in eo mutationis tempore, fieri consentaneum est. Rursus harmonia contemperata, & in sui naturam protinus restituta, uoluptatem fieri dicendum erit. at corporis humani harmoniam, in primarum similarium qualitatum proportione, & illorum compaginis unitate consistere, in confesso est. Ergo illorum intemperiē & diuortium esse doloris causas, inficiabitur nemo. Vnde & Hippocrates Platone uetustior: Quę naturā (inquit) mutant ac corrumpunt, dolores excitant. Id uerò faciunt disproportionata singulorum sensuum obiecta, quæ non tantum eorum qualitatibus sensuum organa alterant, sed etiam illorum unitatem diuellunt & corrumpunt. adeò ut rectè Aristoteles dixerit, excellens sensibile corrumpit sensum. nam plerosque terrifico tonitrui sono surdos fuisse factos cōstat. Ea quoque ratione Carthaginenses M. Regulum Romanum, prius in atra carceris caligine detentum, & ne conniuere posset, assutis utrinque palpebris, obiectum chorusco solis splendori excæcarunt. Quis igitur ęquo feret animo, Auicēnæ & Auerrois calumnias, qui perfricta fronte asserere audent, Galenum solum cōtinuitatis diuortium doloris causam statuisse: & disproportionata sensuum obiecta ac qualitates intemperaturarum, non alio quàm solutæ continuitatis nomine, excitare dolorem? id quod Galenus nunquam somniauerit, qui cùm in omnibus suis uoluminibus intemperaturam inęqualem esse quoque causam doloris, tum maximè in libello de eà conscripto docuit, dum ait: Neque enim absque alteratione sensus doloris est: neque ubi iam perfecta est alteratio, dolor existit. ut in his qui ethica aut elephātiasi exquisita, aut phacelo correpti sunt, quorū iam totius corporis habitus ęquali intēperatura cōtabuit, unde nec hic pūcturā acus, nec ille calorē febrilē, nisi stupidè sentit. At quantū energię intēperaturarū qualita-

De singulorū sensuū dolore, Plato in Tim. & Gal. li. 4. de causis sympt.

De M. Attilio Regulo Gel. li. 6. ca. 4. Oros. li 4. cap. 8.

Galeni à calūnia Auicennæ & Auerrois defensio.

Sensus in ethica & elephantiasi quare torpet.

Galen. lib. 2. de locis affectis. Alexā. aphro. li. 1. pblem. 42.

tes ad inferēdū dolorē habeāt, exemplis quoq; in libro de Locis affectis probat, dū manus hyberno frigore torpentes, igni derepentè admotas, intolerabili circa radices unguiū dolore, ob subitā caloris cum frigore alterationē, affici tradit: qui solum uitrei flegmatis frigus, non

Gal. 12. Metho. hęc uberius.

minoris doloris tormina in uisceribus excitare, suo periculo edoctus fuit. nam dum in eo spacio corporis, per quod ureteres à renibus ad uesicā protenduntur, ueluti terebro intestina perforarentur, dolorē sentiret, iniecto per clisterem oleo rutaceo, magnā frigidissimę pituitæ copiā, quam ob similitudinem uitri liquidi Praxagoras humorē appellat uitreū, excreuisset, à dolore cōualuit: hunc humorē uitreū, non sua acrimonia, sed solo intenso frigore, colicū excitasse dolorem fatetur. Illud tamē pasim Galenus testatur, dolores intēperaturarū eo magis exacerbari, quòd cum illarū qualitates quędam rarefaciant, diuaricent, aliæ extendant, aut infarciant doloris membra: quòd continuitatis solutio, altera quoq; doloris causa, intemperaturæ accedat. & ob id Hippocratē omnes morbos esse ulcera affirmasse, dū in libro περὶ ἀγμῶν tradiderit, εἰ μή τις φήσει τἆλλα νοσήματα ἕλκεα εἶν. ἔχει γάρ τινα καὶ οὗτος ὁ λόγος ἐπιείκειαν. Hic Galenus, fidus Hippocratis interpres, ait: Quod enim continuitatis solutio ἕλκος, id est ulcus sit, omnib. notū est: & quòd ualida facta per discrasiam mutatio, cōtinui diuortiū quoq; faciat, in libris de Natura pharmacorū, & alibi satis demonstratum esse. Ex his patet, non intēperaturā tantum, sed continui quoq; solutionem esse primarias & uniuersales (auctore Hippocrate, Platone & Galeno) doloris causas. quibus quoq; in uasto suo canone Auicenna suffragatur, quē Auerrois Hispanus in suo Colliget, his uerbis perstrinxit: Solutio, inquit, continuitatis non est causa doloris, sicut dicit Galenus: sed est causa cōplexionis, quę facit dolorem: nec sunt ambę duæ simul doloris causa, sicut dicit errans Auicenna.

Galeni ex flegmate uitreo colica. lib. 2. de locis affectis.

Gal. lib. 3. Hippoc. de fracturis osium.

Auerrois in Auicennā calūnia. li. 3. Colliget. cap. 31.

At

At obſecro te Hiſpane; ſi quis acu aut uenabulo te pungeret, aut crabro aculeo te figeret, nunquid in momento tẽporis eodẽ ſentires dolorẽ, priuſq̃ mẽbrum læſum alteraret, aut intumeſceret? Atqui non enim ſpiritus & ſanguis tam repentè ad membrum deflueret, niſi prius dolorem ob ſolutam continuitatem ſenſerit: qui uelut cucurbitula, humores ad locum affectum allicit. Quare utraſque doloris cauſas, aliquando ſimul, & non rarò alterna ſucceſsione incidere, cum Galeno fatemur, qui in Microtechna ait: Dolores ſecundum quem incumbunt locum, aut continuitatis ſolutionem, aut alterationes ſubitas oſtendunt. Soluitur enim continuitas, inciſione, corroſione, fractura, & tenſione. Alteratur uerò ſubſtãtia, caliditate, frigiditate, ſiccitate, & humiditate. Ex his facilè conijcere potes, Auicennam & Auerroim, forſan ob deprauatam Galeni in Arabicam linguã uerſionẽ, adde q̃ꝙ & ipſum Meſue, non ob id ſemper uerã Galeni ſententiam aſſequi potuiſſe: quemadmodũ nec nos illorum. Quare illorum in Galenum calumnias æquiori animo ferimus. Vale.

Gal. lib. 2. Microtec. & Druſianus ibidem, Commẽto 88.

DE CAVSA DOLORIS, ET APOSTEmatione oſsium in morbo Gallico. Epiſt. XLII.

NVdiusquartus tabellarius Ducum Bauariæ tuas mihi obtulit literas, quibus ſignificas, poſt Auſtralem anni præteriti cõſtitutionem, in qua tanta fuiſſet imbrium facta inundatio, ut pleriq; tẽpora Deucalionis diluuij reditura ſint ueriti: morbum quoque Gallicum longè diſpari puſtularũ ratione, & doloris ſæuitia, q̃ poſt Deiparæ uirginis partum anno nonageſimo ſupra mille & quadringentos, inter aulæ ueſtræ proceres incruduiſſe. Petis igitur, ut mutationis morbi, & tantæ dolorum tyrannidis, qui noctu plus quàm interdiu ingraueſceret, cauſas tibi explicarem. Itaque præter officium ueteris noſtræ neceſ-

ſitudinis fore arbitrarer, ſi ueteri amico hōneſta petenti quicquam denegarem. Quare tibi gratificaturus, cauſas & naturam morbi, ac eius ſymptomata ab ouo (ut aiunt) repetam. Eſt ſanè huius Neapolitanę luis morbus epidemialis, omnigenis, ex uaria, humorūq; utriuſq; bilis putredine, ulceribus, ac præcipuè ex lenta & marcida pituita, circa oſſa & lacertos ac panniculos, apoſtematibus coacernatus, & tandem Veneris contagione ad pleraſque orbis nationes propagatus. Nempe dum anno à Chriſti natali prius commemorato, aer, alterum ſpiritus & cordis noſtri fomentum, ex morbiferis infortunatorum ſiderum, erraticorum præcipuè, configurationibus, imbribus, & tepido auſtri flatu madêret, non per anhelitum tantum, ſed per inſenſilem arteriarum per poros inſpirationem imbibitus, totam corporis humani compagem & humores ſuo humido tepore alterauit, corrupit, & putredine obnoxios reddidit. Ad id quoque acceſsit, Veneris cum mulieribus hac lue uel elephantiaſi infectis commercium, in quo cum ſpiritus & ſanguis, pudendorum affrictu, efferuerent, huius contagionis uirus per uerendorum uenas, arterias, & neruos, uelut animalium iobolorum uenenū per anguſti orificij uulnera, ad epar, ſanguinis officinam, & cerebrum præcipuè irrepſit: & totam humorum corporis colluuiem, in uiſceribus, & extra, ſuæ cōtagionis uirulētia conſpurcauit: quorum pars ſubtilior, & ſua putredinis acrimonia edacior, primūm per emiſſarium epatis ad inguina, mentum ac frontem diffuſa, reliquam quoq; corporis ſuperficiem uarijs puſtularum & ulcerum generibus, nēpe phlyctænis, pſydracijs, meliceridibus, achoris, herpetibus, ſerpiginibus, & id generis exanthematum, polluit. Nec etiam defuerunt anthraces, & in barba & capite ſycoſes, theriomata, ulcera phagedęnica, telephia, & chironia, quæ ſanè Chironis centauri medici, & Achillis præceptoris, opem poſcebant:

Morbi Gallici definitio & cauſæ.

Morbi Gallici ſymptomata.

btã: quæ cum mucoris uiſcidi ſordibus plus quàm ſanie maderent, malè olebant ferè omnia. His quoque nõ rarò ſe intermiſcebãt lichen, & Græcorum lepra. & cũ hac Hiſpanicæ luis contagione, præter epar, præcipuè cerebrum, illorum etiam qui cinabaris ſuffitu aut hydrargyri unguine curati fuerant, inficeretur: ab illo ad oſſa crurum & brachiorum & lacertos rheumate exedentia, præſertim ad faucium tonſillas, & gargareonem, & pulmonem deſtillabant. His aphthis & ulceribus purulentis arroſos pleroſq;, tabe perire uidimus: pleriq; uerò & naribus polypo & malè olente ozæna exeſis, palatoq; diſtillationum acrimonia exulcerato, potum per nares regerebant: & facie Satyris deformibus ſimillimi, miſeram traducebant uitam, quam præſtaſſet mehercule cũ morte commutaſſe. At poſtquam Deo auſpice (iuſto quidem peccatorum noſtrorum, ſed benigno, uindice) hæc morbida ſiderum conſtellatio ſæuire deſijt, & talis annorum auſtralis conſtitutio humida, putredinum fomes, exoleuit, tum modò ſola huius tetri morbi ſeminaria ſunt in corporibus noſtris derelicta, tam fœda atrocis huius morbi ulcera rariora, & pauciores puſtulæ conſpiciuntur: quibus in principio, cum ſeminaria eſſent, & temporũ conſtitutio ſucculentior, tota corporis moles ſcatebat, & materia doloris in puſtulas inſumebatur, & ideo nec tam ſæuis doloribus ægrotos affligebat. At modò conſtat, quod omnis ſanè cõtagio, quanto plus à prima origine diſtat, tanto illius ſeminaria ex aduſtione fieri ſicciora, & illorum materiam & fomitem magis tenaci uiſcoſitate lenteſcere. quo fit, ut non adeò confertim morbi huius materia ad ambitum corporis expellatur: ſed ob groſsitiem, qua iuncturas, ut in arthritide, penetrare non poteſt, circa lacertos, illorum tendines, pericranium, & oſsium panniculos reſideat: & illorum precipuè panniculorum, quibus circumſepta & quaſi incarcerata eſt: frigore ingroſſata, in apoſtemata ſcherotica,

Capitis rheumata in morbo Gallico.

Pulmonis & faucium exulceratio & phthiſis ex rheumate cynnabari & hydrargyro.

Perſona aut facies Satyrorũ in morbo Gallico.

Mutationis morbi Gallici cauſæ.

Seminaria contagionis.

Dolor Gallicus ab Arthrite differt.

aut

aut ſteatomata, ſiue atheromata, & quaſi in tophos coaleſcit: unde circa oſſa, & ex gypſeo lentæ pituitæ mucore, fungi tam tenaces innaſcūtur, quos nouacula exciſos unguibus diſcerpere non potui. Hæc ſanè calloſa oſsiū apoſtemata, rectà nominis analogia quiſpiam tubera appellabit. Nam ut tellus intra ſe tubera, Gerania dicta, ſolo undique circumſepta, nullis fibris nixa, cortice denique tenui incluſa, in ſiccis & ſabuloſis locis, dum autūnus tonitru & crebris madet imbribus, parit, quæ tandem uere edendo ſunt, ut Iuuenalis ait:

Plin. lib. 19. ca. 2. Plutarch. in Sympoſio.

Iuuenalis Satyra quinta.

—Poſt hunc raduntur tubera, ſi uer
Tunc erit, & facient optata tonitrua cœnas.

Pluuias nanque, coruſcante fulgetro, cœlo demiſſas, nō frugum modò, ſed fungorum quoque & tuberum eſſe altrices, agricolæ prædicant. Sic in humida & tepida auſtralis anni conſtitutione, ex pituitoſo ſanguinis mucore intra lacertorum uelamenta & oſsium panniculos, quemadmodum etiam in arboribus, & præcipuè in oleis, ex earum pituita fungi ac nodi, Græcis γόγγροι, ἢ κρότωνες dicti, adnaſci ſolent. Nam ut Hippocrates teſtatur, circa oſſa contuſa, fracta, aut quouis modo læſa, mucilaginoſa accreſcit pituita, qua (ut ipſe ait, τό, τε ὀστέον νοσηλότερον γίνεται) os fit morboſius: quæ adeò tenax eſt, & uiſcoſa, ut nec ullis malagmatis aut pharmacis maturari, aut ullis fomentationib. in halitū digeri poſsit. Hęc ſi ſub oſsis panniculo computruerit, & in oſsium poros penetrauerit, oſſa ſideratione aut ſphacelo, quę illorum caries eſt, diuturna putreſcere, & non ferēdo dolore ægrotos excruciari oportet: quæ nullis emplaſtris, niſi ſublata carne, oſſa putrida celte aut ſerra exciſa, aut illorum caries cauterio aduſta fuerit, curari poterunt. Vnde qui curam reſpuunt, gangræna uel herpete eſthiomeno tandem pereunt. Meritò igitur quiſpiam ſciſcitari poſſet, quum Hippocrates, & poſt eum Plato in Timæo, cenſuerint, tunc dolorem fieri, cum præter naturā corpus ſenſile, ſubitò & confertim altera

Hippoc. lib. 3. de Artic.

Gal. lib. Hipp. de Artic. 3. hęc copioſius.

An oſſa doleāt & apoſtemētur.

Doloris duæ cauſæ ex Platone.

alteratur, aut continuitas eius soluitur: at quum ossa sint sensus expertia, & tam solida, ut ferro uix findi possint: qui igitur fiat, ut hoc morbo laborantes, tanto, præcipuè ad uesperam & noctu, dolore excruciati, lamententur, ac si quis ossa adacto cuneo finderet, aut ad medullam usq; terebello perforaret. Fateor quidẽ, eos id conqueri: sed plerosq; medicorũ quoq; ignorare, ossa quantumuis solida, quasi phlegmone & apostemate q̃q; corripi posse. Quicquid sanè nutritur, crescit, augmẽtatur, aut influxus recipit, id quoq; putrescere, & apostemate aliquando turgere fatemur. At ossa, & præcipuè dentes, qui quotidiana esculentorum masticatione atterun tur, per omne ætatis tempus quoq; nutriri & refici certum est. Proinde Auicenna, & Galenus suo periculo edoctus, dentes proprio dolore affici, apostemate quoque distendi asserũt. & Hippocrates, os sacrum empyemate quoq; cõputrescere nouit: cuius putredine, & incredibili doloris tyrannide, duos spectatæ probitatis uiros, N. **Wurmhauser** in Neoburgo, & alterum Iohannem Castnerum, efflictim & diu emaceratos, tandẽ contabescere & mori hisce oculis uidi. Sed ossa quoq; influxus recipere, & abscessibus turgere, Galenus Hippocratis testimonio fretus, his uerbis in septimo Aphorismorum cõmentario perbellè probat: Solers, inquit, natura, si robusta fuerit, excernendis superfluitatibus, etiamsi crassæ fuerint, per angusta foramina meatus parat, quando etiam per ossa abscessus fieri Hippocrates docuerit. Hi certè purulenti & acres rheumatum ichores, in ossium poris coaceruati, quemadmodum teredo uermis lignum exest, arrodit, & perforat: sic hi eorum acredine ossa corrodunt. unde hic uitiati ossis morbus, Græcis τερηδὼν dicitur, ὅ ἐστιν ὀστοῦ κατάτρησις ἀπὸ φθορᾶς τὸ ὄνομα τοῦ πάθους, ἀπὸ τῶν συμβεβηκότων τρημάτων, οἱονεί τις τρηδὼν οὖσα. id est, teredo est à corruptione putrida, ossium perforatio, ab accidente rosionum quasi terebra uel tre

Dentes sentire & apostemari, Auicen. fen. 2. primi. doctr. 2. Sum. 2. cap. 18. & Gal. copiosius li. 5. de medic. loc. affect. appropriatis.

Os sacrum empyemate putrescere: Gal. de introductione medic.

Oßium ex defluxu apostematio.

Galen. libro 7. Aphor. 54. Auicenna 14. tertij tract. 4. cap. 5.

Ossiũ teredo, Gal. in libello diffinit

De uētositate spinæ hęc Auicen. fen. quarti tract. 3. cap. 9.

panum dicta. Hanc ulcerosam ossium affectionē, siue mauis dicere putrilaginem, Auicenna uentositatē spinæ appellat: cuius causam ait esse humores acutos, os penetrantes, & ipsum corrodētes, doloresq; dolori iuncturarū similes efficere: & hoc solo differre, quòd huius materia in carne & neruis, illius uerò in osse cōsistit. At si huius putrilaginis ichores, in ossium cauernis coaceruati, cōfertim intra ossiū panniculos eruperint, uel etiā aliunde, ut à cerebro defluxerint, illorū uiscositatis pars grossior intra ossium membranas in tubera & gypseos quasi tophos cōcrescet: altera uerò subtilior, sua acrimonia ossa & panniculos arrodet & distendet, quorū panniculorū ratione ossa dolere, ac ueluti terebra perforari uidenē. unde scitè Argines: Dolores, inquit, à membranis ossa circumdantibus, Græcis πϵϱιόστια dictis, dependentes, perinde affligere uidenē, ac si in ossib. ipsis consisterent: quos Græci ὀστοκόπους, ob penitiorē in lacertis tendinibus & panniculis, qui ossibus adhęrent, doloris sensum, dixerūt. Quòd uerò noctu atrocius huius morbi dolores ostocopi ingrauescunt, id ea ratione fieri arbitror, quòd pituita atra bili cōmixta, pręcipua apostematū et seminariorū huius morbi fomes, ad uesperā sole occiduo intra & circa lacertos & ossa magis cōmouet, & motu dolorē exacerbat: deinde q; nocturnum frigus ossibus & neruis infestū, doloris membrá lacessit, nec illius materiā obstructis poris per insensilē euaporationē in halitū digeri sinit. Ad hæc accedit, q; calor naturalis, uerū solis heliotropium, lumine ipsius excitus, manè & interdiu unà cum spiritibus, uirtutis motiuæ uehiculis, ad externa motus et diurni laboris organa dispersus, ea suo tepore fouet, ac doloris materiam, quæ lacertos, neruos, tendines: & ossiū mēbranulas uellicabat, & flatu uaporoso distendebat, concoquit, & in uaporē dissipat: noctu uerò ad interna præcordia, & concoctionis opera retractus, membra calore destituta magis algēt.

En ossa ratiōe tendinū & mēbranularū, quibus uestiūtur, sentire uidenē.

De ostocopo hæc Gal. libro 2. de locis affe. & li. 3. de salub.

Quare dolores noctu ingrauescant, Alexan. Aphrodis. lib. 1 problem. 116.

itaq;

itaq; dolores extremitatū frigore exacerbari, calore uerò & motu mitescere, uel hoc maximè approbat, q̄ qui his noctu affligunt, ut dolor mitescat, deambulare, & doloris mēbra fricare, donec incaluerint, solēt. Cæterū quū nullū sit tam atrox, in hac Hispanica cōtagionis lue pustularū, apostematū, phlegmonis & ulcerū genus, q̄d olim nō fuisset: & Hippocrates hæc eadē huius morbi symptomata, in simili australi temporū cōstitutione sua ætate accidisse, in Epidemijs suis testetur: quis obsecro hunc morbū esse ueterē, & rursus nostris tēporib. incruduisse denuò negabit? Nemo mehercule, nemo. Nil quippe mirū, quosdā morbos uulgares, sub certa siderū & tempestatū constitutiōe, in certis q̄q; regionib. grassari: & tandē cum tēpestas illa exoleuerit, ac morbi seminaria cōtagionis deferbuerint, eosdē morbos desinere & latere: et post aliq̄t annorū interualla, redeunte simili annorū intēperie, repullulare: aut saltē per huius contagiōis seminaria, ad exteras natiōes, p̄pagari. Sic horrēda illa plus q̄ scabies elephātiasis, olim peculiare Aegypti malū: ob quod Iudæos suillæ carnis esu sibi temperasse, ac Aegyptū excessisse † Iustinus asserit: ante Pompeij Magni tēpora morbus Italiæ incognitus, sed celeriter restinctus: cuius seminaria passim in terrarū orbe repullulare uidemus. Nunquid & carbunculus primū Narbonensis p̄uinciæ incolas adussit? qui tandē L. Paulo & Q. Martio censorib. Italiam irrepsit. Sic lichen popularis Asiæ morbus, quia mentū occupabat, Mentagra latinè dictus, q̄ totū uultū, illæsis tñ oculis, collū, pectus, manusq; fœdo impetiginis furfure & tabo infecerat, primū sub Tib. Claudij principatu Italiā inuasit: cuius tetra cōtagij seminaria Petrusius eques Ro. ex Asia Romam attulerat. Nunq̄d febris illa sudorulenta Anglis uernacula, p̄ximis annis coloniā suam in cismarinas & transrhenanas regiōes duxit? quę post bienniū sęuire desiit: quā, faxit Deus, ne nostri nepotes reducē uideant.

Morbū Gallicum esse non nouum, sed ueterem morbū.
Hippocr. lib. 3. Epidemiarum.
Lucret. idē docet libro 6.
Plin. lib. 26. c. 1.
Lucret. libro 6
Libro penult.
Oros. lib. 1. c. 8.
Tacit. 21.
Sudor Anglicus.

Occasus et ortus, morborũ uicissitudo. Tanta namque, & toties explorata est ortus & occasus morborũ uicissitudo. En dum hæc meditaremur, morbum expauescẽdæ turpitudinis in Dania & Noruegia, *Morbum Daniæ Scherbock non esse in Germania nouum.* ac Lituania, & alijs locis maritimis ex confinio, arcturo subiectis, quem uulgus Scherbock appellat, grassari accepimus: cuius pestifera lue dentes exciderent, gargareon & fauces uirulentis ulceribus tabescerent. Hic illis septentrionalem plagam incolentibus nouus uidetur morbus, *Plin. lib. 25. c. 3.* quem Plinius olim sub Cęsare Germanico in Germania sæuijsse, his uerbis testatur: In Germania, inquit, trans Rhenũ castris à Germanico Cæs. promotis, maritimo tractu, fons aquæ dulcis solus erat, qua pota, dentes intra bienniũ deciderẽt, compagesq́ genuũ soluerent. Medici hoc σκελοτύρβην, id est, crurũ eneruatione, *Stomacacia quid.* illud uerò στομακάκην, quod hoc malũ in ore consisteret, dentesq́ labefactaret, appellarunt. Huic malo in subsidium reperta est herba Britannica dicta, nõ neruis modò, sed oris quoq; ulceribus salutaris, & cõtra anginas & serpentes efficax, quam Frisii, prope quos castra erant Romanis, monstrarunt: & Britannicam dixerunt, quoniã in Oceani Britanniæ confinio erant. Nec tum hæc duo mala in Germania primùm uisa, sed Strabo quoq; antè in Arabia, ex esu illius regionis fructuũ, exercitũ Gallorum infestasse scribit. Hæc de natura & symptomatib. morbi Gallici ad te referre uolui: in quo nihil, præter nomen, noui reperies. Vale.

HYDRARGYRI VIRVLENTIA DENtes *uacillare, oßa putrescere, strumas nasci, cerebrum & epar & neruos debilitari, apoplexiam aut paralysim quoque, solo eius uapore excitari.* Epist. XLIII.

QVæris, mi Michael, omnibus meis Mecœnatibus, ex metallorũ scaptensulis locupletatis, liberalior, quidnã causæ subsit, quòd árgẽti uiui illitu, uel solo uapore, aut ex cinnabaris, eius sobolis, suffitu, dẽtes, alioqui

ignibus

ignibus inuicti, qui nec in rogo cum reliquis mortuorũ Plin.lib.7. c.16
ossibus cõcrementur, ita uacillent & marcescant: & his
qui quasdã aquas ex alpibus scaturientes potarunt, ex-
cidant: tumorq́ꝫ ex gutture & collo pendulus, Græcis
βρογχοκήλην dictus innascat. & cur deniq́ꝫ metallorũ fos-
sores in scaptensulis uapore minerali afflati, extinctis lu
cernis cõcidant, et moriant: & aurifabrorũ, dum pocula
argentea inaurant, quos hydrargyri uapor corripuerit,
colla manusq́ꝫ tremant, crura uacillent, & scelotyrbo la
borent. Crediderã certè, quandoquidẽ inter metalli- Plin.lib.2. c.65
cos, illos auaritiæ cuniculos, qui mõtes eruunt, & scrobi
bus ad Plutonis ferè tartara effossis, & in terræ deorum
hominumq́ꝫ matris uiscera sæuiunt, ita crebrò uersaris:
ab his te metallorũ naturas, & ineffabiles hydrargyri ui
res dudum explorasse. At quia illi potius metalla q̃ il-
lorũ naturas scrutant, facilè adducor ut credam, eos ha
rum esse imperitos. Verùm quũ nuper mihi aliquot ar
genti & auri obryzi frustula, ex tua argẽtifodina eruta,
dono miseris, ne ingratus uidear, si hęc splendida mune
ra tantillo labore cõpensare potero, libens faciam. Pri- *Ob quas cau-*
mùm igit scias, dentes mandibulæ cauernis, ac genarũ *sas dentes ua-*
ossi, uelut clauos infixos: illorũ radices neruo substrato, *cillent.*
& agnata gingiua arctissimè constrictas, ob uarias qui-
dem causas labascere. Primũ quidẽ ex atrophia: quippe De dentiũ nu-
quũ quotidiana ciborũ masticatione atterant, operępre tritione & re-
ciũ erit eos quoq́ꝫ quotidiana alimonia refici. Nisi enim paratione Ari-
(inquit Arist.) dẽtes per omne ætatis tẽpus nutrirent stot.hæc lib. 2.
& accrescerent, breui tẽpore attritu consumerent. Ob de gener. ani-
idq́ꝫ Galen. etiã inquit: ὅσον δ᾽ αὔξωνται, τοσοῦτον γε τῇ σιτίων malium, cap.4.
λειώσει τριβομένων. Quod si ingrauescente senio, aut ob Galen.lib.5.de
quãuis uenarũ obstructionẽ, alimentũ illis defuerit, il- medicam.loco
lorũ substantiã & in ossib. malarũ & mandibulæ erga- addictis.
stula, quæ Græci φάτνια appellãt, marcescere, & radices
dentiũ extenuari necesse est. unde Celsus dẽtes nõnun Lib.7.cap.12.
quã moueri ait, modò ꝓpter radicũ imbecillitatẽ, modò

 propter

propter gingiuarum arescentium uitiũ. Hic uerò agyrtarum & empericorũ inscitiam deprehendes, flagris dignam, qui hunc ex atrophia dentiũ marasmũ, aluminis decocto curare satagunt, quod sanè dentes gingiuasq́ siccat, & depascit: quũ huic malo nullũ esse remediũ Galenus apertè doceat. Vacillant quoq; dentes, quũ ex defluxu catarrhali, aut quouis pituitę affluxu, neruus radicibus dentiũ implicitus, gingiuæ ac reliqua dentiũ retinacula relaxent. At genuina est hydrargyri ꝓprietas, pituitam ab ulcerib. & membris extremis arcere, & ad caput, fauciũ adenes, paristhmia, & ꝑ oris poros & gingiuas expurgare. Quid igitur obstare poterit, quin corporibus, unguine ex hydrargyro illitis, aut quouis modo eius uirulentia infectis, tanta marcescẽtis pituitæ copia ad dentes affluat, qua illorũ uincula & cõpages relaxent, dentes quoq; liuescãt, faucesq́ exulcerent? Est sanè hydrargyrum epati, cerebro, neruis, ossibus, dentibusq́ nõ tantũ suo frigore, sed à tota substantię eius forma specifica, adeò noxiũ: epatis uerò tẽperaturã adeò uitiat, ut si qua corpora paulo imbecillioris constitutionis eo inuncta fuerint, ea tandẽ hydrope turgere uideamus. Sic quoq; cerebrũ eius uirulentia infectũ, grauissimis morbis, uertigini, apoplexiæ, & soporifero catocho fit obnoxiũ: à quo tandẽ catarrhi edaces per fauces et arteriam asperam in pulmonẽ destillantes, exesis tonsillis & gargareone, cum pituita putrida infarciunt: unde miseros purulẽta tabe marcescere, aut asthmate suffocari oportet. Ossibus uerò adeò est infestũ, ut eo inunctos, noctu tamẽ plus q̃ interdiu, intolerabili ostocopo, aut ossiũ teredine excruciari, inueterascẽte morbo, experiamur: sub quib. ferro excisis, ipse guttulas argẽti uiui tremulas nõ semel reperi. Sed quid ego tibi tanta, de eius substantia, mala cõmemoro? cum uirosus illius uapor, æquè ac cinnabaris, eius prolis, suffitus, qui ut pestilẽs uirus derepentè sese internis insinuat uisceribus,

ea sit multo nocentior. Dic amabò, nunquid crebrò ui disti aurifabros, ærea aut argẽtea uasa hydrargyri illitu inaurantes, hausto, uel tantũ uapore illius afflatos, subitò resolutos, aut attonitos, in terrã cadere: quosdam & asthmate anhelos, aut paralyticos, collo, manibus, pedibusq; tremulis uacillantes, miserã traducere uitã? Hæc eadẽ & plura alia mala fossoribus metallorũ, quorũ sulphur & argentũ uiuum sunt principia, ex uirulento mineralium uapore, in scaptensulis intra uenas delitescente, crebrò accidere, Lucretius quoq; poeta uetus his uetustæ dictionis uersiculis testatur: Lucret. lib. 6.

Nónne uides etiam, terra quoq; sulphur in ipsa
Gignier? & tetro concrescere odore bitumen?
Deniq; ubi argenti uenas auriq; sequuntur,
Terrai penitus scrutantes abdita ferro,
Quales expiret scaptensula subter odores?
Quidue mali sit, ut exhalent aurata metalla?
Quas hominum reddant facies? qualesq; colores?
Nónne uides, audis ue, perire in tempore paruo
Quàm soleant, ac quàm uitai copia desit?

Hæc pestilens in argentifodinis aura uulgò *Schwaden* appellatur.

De hoc letifero in puteis aquarum & scaptẽsulis metallorum uapore, Vitruuius in fine libri 8. doctè scribit, & copiosè.

Probè igit Plin. monet, perniciosum hunc & letalẽ in metallicis flatũ, ex argenti uiui ac minij, mineraliũ exhalatiõe præcipuè coacervatũ, omni solertia euitandũ. Quare nõ temerè, qui miniũ effodiebãt, uel ex eo hydrargyrũ, & huic addito sulfure cinnabarim decoquebant, ne exitialẽ hunc uaporem aut puluerẽ inspirarẽt, laxis uesicis faciẽ obligabant. Nec est q̃d mireris, peculiares hydrargyro inesse uires, quib. præcipuè cerebrũ ac dẽtes oblædat. Natiua nãq; & cõgenita pharmacis quibusdã, insitaq; facultas est, qua certa mẽbra, uelut ipsis dicata, lædãt, aut iuuẽt. Sic eupatoriũ epati affecto, myrobalanos & asplenium lieni, betonicam & saxifragam renibus mederi experimur. At leporem marinũ, Indici æquoris animalculum, solum pulmonẽ: & cantharides solam uesicam, cæteris interaneis illæsis, exulcerare uidemus. Et perinde ac rha

Galen. lib. 1. de compos. med. gen. & de ther. ad Pis. ac Nic. in alex. Diosc. li. 2. & 6. Auic. sexta quarti tract. 2. cap. 4.

rha barbaricum choleram ab epate, agaricus pituitam à pulmone, congenita proprietate, per inferna alui uiſcera expurgat: ſic pariter hydrargyrũ inunctũ externè, à membris & ulceribus pituitoſos ichores ad collum, fauces, adenes ſaliuales, ac dẽtes & gingiuas regerit, perq́ illorum poros ſupernè expurgat, & ad dẽtes ac pulmonem protrudit. Vnde aliptæ Hiſpanorum & Italorum, ex hydrargyro, ceruſa & minio unà maceratis, fucum præparant: qua cum mulieres earum genas quacunque inunxerint, his dentes breui marceſcunt, anhelitus malè olet, fronteq́ corrugata, oculi caligant, & ſeneſcẽtes aſthmate pereunt. Nil igitur mirum, quorundam fontium hauſtu, qui ex metallorum montibus ſcaturiunt, dentes excidere: quippe, teſte Victruuio, ex his montibus, in quibus argentum, aurum, & horum parens hydrargyrum latet, uberrimi ſcaturiunt fontes, & herboſo ceſpite uirẽt. Nam qui ſolerti induſtria horum uenas ſcrutant͂, manè mẽſis Maij ſereno nebulas in uerticè mõtium emergentes, ac inſtar lanæ uel cotti goſſypij, ſupra ceſpitem pendulas, uelut fontium ac metallorum indices, dedita opera obſeruant, ibiq́ argẽti uiui uenas ſub eſſe cõijciunt. quandoquidẽ aquarum ſcaturigines per metallorũ uenas, ac præcipuè in alpibus erumpũt. Has uiroſa metallorũ qualitate dentib. noxia, imbui, credere par eſt. Vnde Plin. ſcribit, in Germania trans Rhenum, caſtris à Cæſare Germanico promotis, maritimo tractu fontẽ fuiſſe, cuius potatoribus dẽtes intra bienniũ dociderent, cõpagesq́ in genibus ſoluerentur. Et Victruuius: Suſis, inquit, quæ erat Perſarũ metropolis, fonticulus erat, ex quo qui bibebant, dentes amittebant. Diximus pauloantè, hydrargyrũ nõ modò pituitã ab infernis partib. ad colli glandulas & caput regerere: ſed etiã cõgeſtã in capite, ad partes capiti ſubiectas, ceruicẽ, gutturp̃cipitare. Hinc, q has hydrargyro medicatas bibũt aquas, ijs chœradib. & bronchocele, tumore à gutture ad

Noxius mulierib. ex hydrargyro fumus.

Victr. lib. 8. c. 3.

Plin. lib. 25. c. 3.

Victr. lib. 8. c. 5

ad pectoris furculam ferè pendulo, collũ turget. ob idq; Victruuius eruditè mehercule, ex membratura & habitu corporis incolarum pulchro uel deformi, naturas aquarum illius regionis explorare præcipit. Vnde in Senensi comitatu, ac Lucam, celebrem Italiæ ciuitatem, uicio aquarum incolis in collo scyrrhos, scrophulas, & strumas nasci tradunt. Et Victruuius auctor est, Equicolis, olim bellicosis Italię, de natione Medullorum prope alpes, populis, guttura bronchocelis turgere. Nil certè mirum, quum Alpes metallorum uenis, per quas aquarum scaturigines emanant, abundent: earum accolas gutturosos fieri, præcipuè Noricos, ultra Saltzpurgium, Oenospontem, & Curiam Rhœtię oppidum, ac eos qui Styriam & Carinthiã incolunt, quondam Carni & Taurisci à Tauro monte appellati: quorum montes etiam nostro ęuo ferri, auri, argenti quoq; mineris, & olim quoque fuisse locupletes, Aeneas Syluius tradit. Nec id tantum illic natis incolis uernaculũ est uicium, sed etiam aduenis: qui si collo etiam anserino graciliore aduenerint, & aliquot annos de his fontibus potauerint, guttura eos, ueluti taurorum colla, quibus palearia dependent, referre uidebis. Et quod omnem superat admirationem, nec hoc corporis uitium tantum homines, sed ligna etiam siue uirgulta in fontes quosdã projecta afficit: quibus, uiribus aquarum, intortis, tubera uelut in oleis arboribus, adnascuntur. Cæterùm id tumoris genus quondam in collo tãtum concreuerat. At nostro æuo Florentinæ mulieri, cui nomen erat Oline, struma pondo sexaginta librarum, coxę innascebatur, cuius pondus quum progressum defatigaret, mulier totum quinquennium in lecto decumbens, tandem industria Antonij Beneuenij medici, arctissimis ligaturis, & ferro cãdenti, curata fuit. Struma quoq; haud multo minoris ponderis, Ambergę, superioris Palatinatus me-

Victru. li. 8. c. 4.

Plin. li. 3. ca. 20. Noricos, Carnos, & Rhetos, côterminos alpium accolas tradit esse.

Incredibile auris fabri & Florentinæ mulieris strumæ põdus.

y tropoli,

tropoli, circa genu Michaelis aurifabri (qui cum auro argenteam supellectilem obduceret, non semel hydrargyri uapore fuerat læsus) concreuerat: sed is mortem subire potius, quàm cum cauterijs & sectione curam ferre, maluit. Postremò illud quoque, tanquam parergō, in Epistolæ huius colophone addere libuit: bronchocelem, id est gutturis herniam, longè diuersum à struma fuisse ueteribus tumoris genus. est namque Cornelio Celso struma, tumor, in quo subter concreta quædā ex pure & sanguine, quasi glandulæ oriuntur, quæ præcipuè medicos fatigare solent: quoniam & febres mouēt, nec unquam facilè maturescunt, siue ferro siue medicamentis curentur. nam plerunque circa cicatrices ipsas iterum resurgunt. Nascuntur maximè in ceruice, sed etiam in alis, inguinibus, & in lateribus. In māmis quoque fœminarū se reperisse, chirurgus Meges auctor est. Has Græci χοιράδων, petris è mari prominētibus, & porcis natantibus, dū capite eminent, similibus, aut ἀπὸ τῶν χοίρων, id est scrophis & porcis, qui hoc malo circa adenes colli frequenter affliguntur, Chœrades: Latini uerò ab eodem animali multipari, Scrofulas, dicunt. At bronchocele, pendulus circa guttur tumor, à bocīj uentrosi poculi similitudine, bocium appellatus, inter cutem & asperā arteriam, auctore Celso, increscit: in quo modò caro pituitosa, modò humor aliquis melli, adipi, aut pulti similis membranula includitur: interdum etiā pili minutulis ossibus mixti reperiūtur. At quū prestet uiuere moribus præteritis, ac uti uerbis præsentib. consuetudoq; dicendi magistra ita inoleuerit, bronchocelen & chœrades, strumas quoque appellari, parum refert: modò de substantia rei nobis bene constiterit. Vale.

Struma quid, Cor. Celsus li. 5. ca. 28.

Quid brōchocele, Cor. Celsus li. 7. ca. 13.

DE

DE PLVMBEIS AQVAEDVCTVS CAnalibus, & aquæ salubris indicijs. Epist. XLIIII.

LAetor ex animo, commilito fidissime, quis Achate mihi charior: principem tuum, de quo uniuersa Christianorum respublica spem maximã concœpit, non desidia & compotationibus uires corporis eneruare: sed opportunis, pro temporis ac negociorum ratione, uenationis & aucupij exercitijs & oblectamentis, animum, corporisq; robur reficere. id quod erat olim peculiare Persarum regibus institutum. Accepi namque à tabellario tuo, Principem tuum, omni uirtutis splendore illustrem, generosis aulæ suæ proceribus concomitatum, sub hoc Caniculæ æstu, mane sereno intra montes, qui stadijs uix tribus à castro suo distant, in ualle quadam, arboribus uarijs, riuulis pisculẽtis, concentuq; auium amœna, deambulare solitum: in qua alios turturum scrutari nidos, alios sciuros de arbore in arborem desultorios iaculari, hos mira canum sagacitate lepores circa uineta inuestigare, alios infixis hamo lũbricis pisciculos inescare: defessos tãdem, suoq; defunctos officio, non adeò procul à Principe sub umbrosa quercu considere: & tandem singulos suam uenationis prædam, ut milites bellorum imperatori spolia, principi offerre: quarum partem archimagirus cocũ opiparè præparare iubet, alteram uerò in penu frigidũ & siccum refert. Et quod reliqua oblectamenta longè superat, aiebat, circa hanc quercum, non ex loco palustri, musco & iuncis obsito, sed ex petra uersus orientem, fonticulum leni susurro ubertim scaturire: cuius aqua limpida, pondere leuis, & omnis qualitatis gustu uel ofactu perceptibilis, expers, adeò defecata, ut in uersicoloribus lapillis, per quos ebulliret, nihil limi relinqueret: & quę hausta, nec circa prę cordia moraretur, nec

Salubris aquæ indicia hæc Gale.li.1.de Salubrib. lib.5.aphor.26. & 3. regi.acut. Auicen. fen.2. primi. doctri.2. ca.16. & 17.

nec ea inflaret. Affuiſſe quoꝗ tum cocum dicebat, qui ſitulam ex ære Corinthio conflatã, ea aqua plenã in culinam detulerit, eãꝗ celeriter calefactam, ocyus ob tenuitatem deferbuiſſe, & legumina queque, præcipuè piſa, citius (ut aiunt) aſparagis decoxiſſe: nullamꝗ in uaſis ærei fundo uel maculam uel limum apparuiſſe. & cum ſingula ſalutaris aquæ indicia in ea apparerent, tum principem, ſolertem in rebus naturalibus cauſarũ exploratorẽ, accerſitis ſuis architectis ſeuerè edixiſſe, ut hãc per elices ac euripos, quos Græci σωλῆνας appellant, ex ſalubri materia præparatos, & firmiter ſibipſis inſertos, in culinam deriuarent. Tum, aiebat tabellarius, ingentem inter architectos fuiſſe obortam contentionem. alios, canales ex ære aut plũbo conflatos: alios, ex pini arboris trunco, torno excauatos: plures uerò, fictiles tubulos, à plaſte bene uitreatos, prętuliſſe. Addebat poſtremò, me hac in re clementiam & beneuolentiam tanti principis maximè demereri poſſe, ſi meam ſententiam illi explicarẽ: quam ob id te non celabo. Cõſtat ſanè, ſulphur & hydrargyrum eſſe primogenia metallorum omnium principia: quare ſingula eorum uirus pro gradu perfectionis reſipiunt. aurũ namꝗ calore naturali exactius concoctum, & à ſulphure depuratũ, magna tamen eius cum hydrargyro ſympathia in deaurandis poculis uidetur. Proinde Albertus: Verum eſt, inquit, de omni metallo, quod propter ſulphuream ſubſtãtiã, aliquid habeat acuitatis: ꝗuis ſapor in plũbo & ſtanno id minimè indicat. probat tamẽ per illud, quòd aqua quæ diu currit uel ſtat in fiſtulis plũbeis, aut ſtãneis, efficitur inteſtinorũ ſiue uiſcerũ excoriatiua. unde Galẽ. lib. de Medic. general. ſeptimo, τὸ ὕδωρ διὰ τῶν μολυβδίνων σωλήνων ὀχετευόμενον, φευκτέον. ἰλύματα γάρ τινα τοῦ μολύβδου κατὰ τοῦτο περιέχεται, διὸ καὶ οἱ πίνοντες ὑποστάθμην τοῦ τοιούτου ὕδατος δυσεντερικοὶ γίνονται. id eſt: Aqua quæ per plũbeas ſolenas deducitũ, fugiẽda. ſordes nãꝗ & limus plũbi, his adhęrẽt, ob id, qui illius ſubſiſtẽtiã bibũt, dyſenterici

Hæc de aquę bonitate experimenta ponit Victru. li. 8. ca. 5. in principio.

Albert. li. 3. de Metallis, tract. 2. cap. 4.

Gal. li. 7. de Medi. loco affecto appropriatis.

ſenterici fiũt. Vnde Vitruuius ait: Aqua per plumbũ ducta, ideo uidetẽ eſſe uitioſa, ꝗ ex ceruſa fit, & naſcitẽ. Ceruſa nãq;, Græcis ψιμμύθιον dicta, auctore Nicãdro, pota, ac dentib. & gingiuis, quas albo colore inficit, impacta, linguã & pariſthmia aſpredine exulcerat, tuſsim ſiccã & ſingultum commouet, & ex uentriculo nauſeabundo pernicioſum halitum eructat. ea caligine oculos ſuffundit, corpus ueterno algere, membraq; & crura torpere ac uacillare cogit: & quum ſoboles parentis referat uitia, & plumbum ceruſam, dum aceto infunditur, euaporet, aut cum ſulphure decoquitur parturiat, quis plũbum eadem ceruſæ uirulentia participare negabit? cuius ſolo uiroſo uapore, dum funditur, artifices plumbarios pallere, artus & ſanguinem exuri, Victruuius aſſerit. Proinde Plin. Dum plumbum, inquit, coquitur, muniendã ſunt ſpiritus foramina: alioquin plũbi è fornacibus halitus noxius ſentitur, & peſtilẽs, ac canibus ocyſſimè. Quare tã præclaris teſtimonijs & ratione fretus, fiſtulas aut ſiphones ex plumbo, ad aquæductus non probo: ſed fictiles tubos, à plaſte diligenter uitreatos, ne aquarũ limus illis adhæreat, longè præfero. At ij ſi defuerint, aut ſuperingeſtam terræ molem ferre nõ potuerint, tum præcipuè, ſi ſub terra defodiendi erunt, canales ex pini arboris trunco torno oblongo excauatos, ob inſitam illis reſinam, qua ipſorum & aquarum putrefactioni reſiſtunt, non improbarem. Hæc ut ad principem tuum diligenter referas, obſecro: cui omnem meã operam animumq; ſpondeo. Vale.

Victru. hæc in fine lib. 8. Pallad. lib. 9. ca. 11.

De ceruſa hæc Nicãder in Alexiph. Dioſc. li. 6. ca. 22. Aet. li. 13. ca. 77. Raſis ad Almanſ. lib. 8. cap. 43.

Pli. li. 34. ca. 17.

DE VENTRICVLI IN NEPHRITIDE *anatropa, & crurum ſtupore.* Epiſt. XLV.

AEſtate pręterita, dum Sirius flagraret ęſtu, ac Cæſar Carolus, eius appellationis quintus, uiſurus comitia Auguſtæ imperij proceríb. indicta, Spiram appuliſſet, ac illuſtrẽ principem Fridericum, Comitem Palatinum,

num, sacri Ro. Imperij electorẽ, uarijs cõflictari morbis intellexisset: tandemq; sacræ Cæsareæ maiestatis iussu, de tanti Principis morbis consulturi, in templo Deiparę uirginis conuenissemus: benignè rogabas, ob quamnam colligantiam uentriculus renibus, calculo, arena, phlegmate uiscoso, aut sanguine grosso obstructis, tanta ἀνατροπῇ, id est subuersione stomachi compateretur, ut omnem fastidiret cibum, & ingestum eructaret. Deinde, quã nã lege consortij, in omni diuturna nephritide pes aut crus reni affecto κατὰ ἴξιν, id est è directo subiectum, stupore torperet. Verùm in hoc de uarijs morbis colloquio, tantam esse tuam in re medica eruditionem, singulari experientiæ, sed non citra rationẽ & prudens iudicium, coniunctam, cognoui, ut hæc te latêre suspicari non possim. Sed cum præclara doctorum hominum ingenia, pleraq; ita cõparata esse uideam, ut quæ ipsi probè nouerint, aliorum suffragio approbari uelint: & quum has renum cũ uentriculo & cruribus colligantias & sympathias, uulgo medicorum ignotas animaduertam, ut illorum studio subueniam, paucis explicabo.

Stomachi anatropa, Gal. de Cõp. medi. locis affect. app. lib. 8.

Primùm operæprecium est scire, uentriculum duab. tunicis uario fibrarũ plexu contextis cõstare: ac tertia, omnibus à peritoneo, interiori epigastrij membrana natis, crassiore, & ab eodem in cõfinio diaphragmatis, qua id stomachus penetrat, prognata, ueluti operculo, ab elatiori uentriculi ostiolo, ad piloron usq; uestiri, in quã omnes à uena portę, & à magna arteria, uentriculi uenæ & arterię, acà sexto neruorũ cerebri pare, nerui eius primũ propagãt: quib. uentriculus fouet̃ & incalescit. Deinde uerò renes serosum ac biliosum sanguinis humorẽ, lotiũ p uenæ chilis ramos illis insertos emulgẽtes, quẽ colatũ per οὐρητῆρας, neruosas urinæ elices illis agnatas, in uesicã ꝑcipitãt, ultra ilia proximè sub iecore & liene, alteral tero tamen paulò altius, infra sẽptũ trãsuersum uertebris spinæ accũbẽtes, duab. quoq; uelari tunicis, quarũ inter

De tribus uentriculi tunicis Gal. lib. 5. de Vtil. par.

Tertia uentriculi tunica à peritoneo orta.

De duabus renum tunicis.

na tenuis, illis cognata, nullis uenis, nulla deniq; pingue dine obsita, sexti paris neruorũ ramulis, sub costarũ radi cib. enascẽtib. intexit. Externa uerò tunica multis uenis & arterijs instar omẽti referta, à peritoneo, qua infernã diaphragmatis circa extremas costas partẽ ambit, nata, ueluti pingui inuolucro renes circũuallat: unde nõ ineptè renũ fascia uulgo dicit. Accipis'ne modò, excellens mi domine doctor, uẽtriculũ ob mutuã per peritoneum colligantiã, renũ affectib. cõpati oportere? Vtrunq; enim uiscus, pãniculis ab eadẽ ferè peritonei parte productis uestit, qui ab eodem sexto pari neruorũ ramulis implicantur. Quare renib. aut horũ ureteris, his neruosioribus, arena, calculis, aut quouis lẽto & grosso humore infarctis, necesse est humorũ alluuione panniculos renũ distẽdi: quo dolore nõ ferẽdo, quo & uẽtriculũ uelut in coli cruciatu uellicari, ac ad uomitum prouocari, Hippocrates & Galenus in Epidemijs, his uerbis testãtur: ἡ διὰ τῆς ἄνω γαστρὸς ἔκκρισις, ἢ γίνεται κοινόν τι σύμπτωμα τοῖς κῶλον πάσχουσι καὶ νεφρόν. καὶ γάρ τοι καὶ συνεχῶς οἱ νεφροὶ τῷ κώλῳ, καὶ τὸ κῶλον τοῖς νεφροῖς συνάπτονται αὐτὰ τοῦ περιτοναίου. id est, Per uentrem superiorẽ excretio aut uomitus, cõmune colicis ac nephriticis symptoma. nam renes colo intestino, & colon renibus cõtinuè, mediante peritonæo, adaptãtur. Cur autẽ nephriticis pedes aut crura ac coxæ narcotico dolore torpeãt (νάρκη τοῦ μηροῦ κατ' ἰξύν, inquit Hippocrates) in prõptu causa est. id enim fieri Gal. tradit, ob magna uenæ chilis descẽdẽtis, ac arteriæ magnæ uasa, spinę dorsi substrata. à quib. insignes rami primũ in renes ac lũbos, tãdẽ in coxas & crura multifariã diuaricãt: quorũ repletiõe, quæ obstructis renib. ureteris, uenis emulgentib. accidit, neruos & musculos, spirituũ sensitiuorũ meatus quoq; obstrui, uel saltẽ coarctari necesse est. Atqui, cũ renũ dolores, podagricis longè atrociores, ex sanguine grosso in uenis renũq; pãniculis coacer uato, cum phlegmone & urinę difficultate crebrò coin cidãt,

Externa renũ tunica à peritoneo orta.

Renũ & uentriculi colligãtia.

Gal. cõmentario 1. in sextũ Hippoc. Epid. librum.

Quare stupor pedes & crura nephriticorũ infestet: Aetius lib. 2. cap. 4. & Mõtegnana cõsilio 182. Cõstãt. Viatici li. 5. cap. 12.

Renũ cũ coxis & crurib. colligantia: Gal. in 6. Epidem. Hippoc. libel.

† Hip. 6. Epid. & Apho. lib. 6. ac 7. Apho. 48.

cidãt,ad detergẽdas illorũ oppilatiões, ac exhauriẽdas uasorũ repletiões, sectionẽ uenarũ poplitis,aut iuxta talos, multis nominib. utilẽ Hippocrates cẽsuit: excrementorũ quoq; cibi euacuationẽ dolores renũ cõpescere,& calculos ad exitũ promouere,docuit. Proinde non satis admirari possum quosdã nostri seculi medicos,in curanda renũ obstructiõe ennematũ usum dãnare. Sed de his oblata occasione uberius agemus. Modò uerò uicissim te,ob tuũ erga me amorẽ,obtestor,ut quæ sit uesicæ cũ uẽtriculo colligãtia, mihi declares. Nã aliquã esse nõ dubito,cũ Cor. Celsus, medicorũ alter Cicero,orto in uesica cãcro sæpe affici stomachũ,cui cũ uesica quoddã cõsortiũ sit,scripserit:ex quo fieri,ut neq; retineatur cibus, neq; si qui retẽtus est cõcoquat̃,neq; corpus alat̃,ideoque nec uulnus purgari aut ali posse: quæ necessariò mortẽ maturare ait. Sit sanè iste qualiscũq; stomachi cũ uesica cõsensus,maius tamẽ & arctius illi cũ renib. affectis esse cõsortiũ experimur:quippe uesica lithiasi laborante,nec stomachus adeò subuertit̃,& cibũ nauseat:ac cũ calculus in sinu renũ,qui sensum obtusum habet,delitescit. Sic affectos plures,plus q̃ annuo ciborũ fastidio tabescere uidi,nec unq̃ esuriisse: in quorũ cura,cum alij medici uẽtriculi imbecillitatẽ,alij uenarũ mesenterij & epatis,siue splenis,nihil acoris in stomachi orificiũ effundẽtis,obstructiones causarẽtur:nihil aliud assecuti sunt, q̃ q quotidiano medicaminũ insipidorũ usu & fastidio nauseã stomachi adauxerint, & ægros ex atrophia corporis marasmo penè confecissent. Quos ego pharmacis lithotropis,aut frequenti haustu aquæ fontis natura acidi,calculis dissipatis,ac tandẽ à renib. expurgatis,pristinę sanitati,Deo auspice(qui te à crudeli hoc calculorũ tormento liberum, diu Cęsari nostro semper Augusto incolumem conseruet) feliciter restitui. Vale,

Clysteria in calculo competere.

De uesicę cum stomacho colligantia, hæc Cor. Celsus li. 7. cap. 27. Vesicę tunicas à periton. nasci Gal. quoq; lib. 5. de Vtilit. part. fatetur.

Ex nephritide diuturnũ cibi fastidiũ & atrophia.

Aquam acidi fõtis calculos dissipare, Victruuius lib. 8. cap. 3. docet.

De

DE ARDORIS IN VRINAE *stillicidio causis.* Epist. XLVI.

SCribis Antoni philiatrorũ amãtiss. nuper tibi epistolæ meę de uẽtriculi in nephritide nausea, & eius cum renib. colligãtia, factã fuisse legẽdi copiã: quã oẽs docti, qui tũ aderant, cõcordi suffragio approbassent: tibiq́ datũ negocium, ut ob quam causam præcipuè senes à Pleiadũ occasu, dum hybernũ ingrauescit frigus, ardore & stillicidio urinæ discoquerent: aliorũq́ uesicæ symptomatũ & affectionũ causas perscrutareris, de quorum catalogo est Stranguria, latinis urinæ stillicidium dicta, quam hac hyeme uterum ferentibus, & puerperis, ob recti intestini & uteri phlegmonem crebrò accidere uidi. unde rectè Hippocrates li. 5. Aphor. 58. inquit, recto intestino aut utero inflammationem patiente, & renibus purulentis, urinæ aduenit stillicidium. quod etiam fit, dum ob uesicæ ex frigida discrasia imbecillitatem, urina guttatim defluit, aut ob eius acrimoniam, & in collo uesicæ ardorem sensim destillat, quæ ob uarias causas, & humorum affluxum, exardescit. Primùm quando, teste Galeno, ob mẽbrorum concoctionis discrasiam, sanguis nimium serosis ac uitrosis humoribus permixtus conficitur, quos cũ renes per uenas emulgentes attraxerint, & per ureteras in uesicam manauerint, fit ut lotium his exacerbatum, uesica ad maturũ excretionis tempus ferre non possit, sed continuè guttatim etiam sese excernere satagit. accidit id quoq́ ob acredinem puris, quod à suppuratis renibus per poros uretides, aut à rupto iecoris abscessu per uenas emulgẽtes à renibus attractum: aut etiam ab empyemate, purulenta pulmonis uomica, per lenem arteriam in sinistrum cordis sinum, & inde in magnæ arteriæ descẽdentis ramos, qui renibus inseruntur, in ipsos & uesicam destillãs, sua mordacitate eam adeò uellicet,

Primam ardoris urinę causam docet Gal. lib. 5. de utili. partic.

Secunda ardoris urinæ causa, Gal. li. 6. de causis sympto. Aetius li. 11. & Paulus.

Hos saniei ex epate & pulmone meatus declarat Gale. li. 6. de locis affect. ca. 4. & li. 2. prog. cap. 6.

ut ad lotij, cum hac sanie exactè commixti, excretionẽ intempestiuam proritet: quod Diocles medicorũ paucis secundus, his uerbis testatur: καὶ τὰ ἐν θώρακι ἐμπυήματα τὰ ὄξη, ὅτε συῤῥηγνύμενα εἰς τὴν ὠδῖ νεφροὺς καὶ κύστιν φέρουσαν ἀρτηρίαν, ταύτῃ ἀποκρίνεται σὺν τοῖς οὔροις. Vnde non

Gal. de introductiõe Medi. Hippocr. li. 7. Aphor. 54.

temerè inquit Hippocrates, quibus intra uentriculum & septum pituita reposita est, his per uenas pituita in uesicam uersa, morbus soluitur. Natura enim siquidem robusta fuerit, per meatus sensui reconditos, ac non rarò per ipsa ossa expurgationẽ molitur. Quis obsecro crederet, nisi uenæ in temporibus sectæ sterilitatem facerent, genitale sperma per tãtos arteriarum & uenarum anfractus, à cerebro ad testiculorum uariciformes chremastiras deriuari posse? Nunquid pariter à cerebro, præcipuè senum, serosos pituitæ humores per uarios uenarum meatus ad uesicam defluere, eamq́ ad urinæ stil

Tertia ardoris & stillicidij urinæ causa, ex Hippoc. lib 2. de Morbis.

licidium, pituitæ salsedine lacessere, in hyeme præcipuè experimur? nam tum frigore hyberno caput incalescit, pituitaq́ calore dissoluta facile ad uertebras spinę, lumbos & pectus diffluit. Vnde Hippocrates: Vrinæ, inquit, multum emingitur, ubi caput nimium incaluerit,

Cerebrum hyberno frigore incalescere.

liquescit enim in ipso pituita, & liquefacta secedit partim ad nares, & coryzam facit: partim ad guttur, & brõchum, ac tussim, ac raucedinem efficit: partim per uenas ad pudendum defertur, ac stillicidium urinæ cum ardore commouet. incalescit autem, inquit Hippocrates, caput à cibis, & sole, & frigore, & laboribus, & febrili calore. Hic certè meritò quispiam inertem quorundã de schola medicorum ignorantiam detestetur, qui ca-

Falsa de catarrhis Arabũ ratio, ex cómét. 12. Gale. in tertiũ lib. Aphor. Hippocratis accepta.

tarrhos à cerebro ideo hyeme frequẽtius & affatim in subiectas capiti partes destillare nugantur, quòd tũ coarctatis externo frigore cerebri membranis, pituita uelut per manus complicatas à cerebro exprimatur: quũ tanto ad cerebri panniculos penetrante frigore, pituitã potius cõdensari quàm liquescere par esset. Sed quid multis? nec hanc panniculorum cerebri coarctationem

citra conuulsione fieri posse, in confesso est. Proinde lõgè uerò similius est, id quod Hippocrates tradit, quòd obstructis pericranij à frigore poris, nec calor exhalare posit: ut uentres hyeme calidiores fieri, ita quoque cerebrum incalescere credamus, & pituitam cerebri calore eliquari. Vnde homines in hyeme frequentius tussire, ac catarrho laborare, frigidisq; & pituitam fluxilem ingrossantibus curari experimur. Horũ quoq; omniũ, aut etiam singulorum acrimonia uesicam exulcerari, ac purulenti lotij acredine, in quo sanies cruenta non exactè commixta est, ad stillidicium irritari, nihil mirũ. unde Hippocrates: Si, inquit, sanguinem aut pus mingat, aut renum aut uesicæ ulcerationem significat. Verùm cum senes nitrosa humorum acredine natura abũdent, eos quoq; stranguria citius quàm iuuenes corripi: sed etiam ęgrius curari uidemus. Proinde mi Philiater, quum iam tacito pede tibi obrepat senectus, ab omnibus quæ humorum salsedinem adaugẽt, tibi cauebis. Habes hic igitur magis reconditas ardoris & stillicidij urinæ causas. Alias uerò uulgares, quæ ob arenularum asperitatẽ, & lapidis qui in uesica concreuit, con fricationẽ incidunt, ut tibi notas, libens prætereo. Vale.

Quarta ardoris urinæ causa

Hippoc. lib. 4. Aphor. 75.

Senum stranguriam ægrè curari.

EX CANTHARIDVM POTV STRANGVRIA, *& earum uirulentia & usus.* *Epist.* XLVII.

Petis mi Philiater, ut tibi historiã de Galli amatoris strãguria conscribã: quam ut ueram, ita quoq; non illepidã, ut acciderit, ita paucis accipe. Erat Bononiæ ex Gallia adolescens diuitijs & stemmate nobilis, gallo quouis gallinaceo salacior: qui puellam non adeò longè ab æde diui Dominici habitantem deperibat. quæ quum illi noctem condixisset, illius amore inescatus, consilio sui commilitonis, ne in Veneris conflictu succumberet, ad coitus illecebram can-

De amatore Gallo, historia uera.

tharidum puluerẽ in iuſculo quodam abſorpſit. poſtea quum ad primam noctis facem pruritum circa pudenda ſentiret, lætus, ac ratus eſſe libidinis ex pharmaco tẽtiginem, amicam adijt. in concubia uerò nocte, quum punctionibus corpus uellicaretur, & in ore cedrini picis ſaporem perciperet, nec mente ſibi probè conſtaret, ac animæ defectu & uertigine penè concideret, triſtis, auxilij & cõſilij inops, domum redijt. ubi cum cruento urinę ſtillicidio ac ardore cõtinuo diſtorqueretur, deûm hominumq́ꝫ, & præcipuè Ludouici de Leonib. mei in re medica præceptoris, opẽm implorauit. quẽ quum eius ex Gallia conterranei noctu conſultum acceſsiſſent, (nempe cui noctu egredi, ob quorundam Bononiæ factionum inſidias, tutum non foret) mihi accerſito negotium uiſendi ægrum dedit: iuſsitq́ꝫ, ut dato ad ſorbẽdum oleo, uomitum prolicerem: uentrẽ clyſteri ex merçuriali, maluarum, radicis altheæ decocto, in quo caſsia addito liliorum ac uiolarum oleo, diſſoluta eſſet, eluerẽ: & ut ſingulis horis plenum lactis caprini aut bubuli cyathum patiens ebiberet. Quod ſi hoc deeſſet, lac ex nucleis pinearum ac melonum & cucurbitæ ac papaueris ſeminibus contuſis, cum ſtillaticio maluarum ac halicacabi liquore, aromatarium per colum emũgere iuberẽ, ac id loco ueri lactis patienti, etiamſi in ſolio aquæ calidæ deſideret, affatim potandum præberem. Poſtquam iſtis remedijs Gallus ſanitatem recuperaſſet, & tam temerarij conſilij auctor, ſupplex culpam deprecatus, medicinæ adminiſtrationem in perpetuum abiuraſſet: tum omnes qui tum aderant, uno ore quærebant, quæ'nam eſſet tam atrocis & ſæui cantharidum uirus cauſa, ut cæteris interaneis corporum uiſceribus non adeò multũ oblæſis, ſolum ueſicam exulceraret, & cruentæ urinæ ardore emaceraret? Quibus tum reſpondi, congenitam eſſe quibuſdam pharmacis à forma ſpecifica proprietatem, qua ut ferrum in compaſto pendulum, magnete confuca-

Hæc ex potu cantharidum accidentia tradit Dioſc. li. 6. Raſis li. 8. ad Almanſ. Auicen. libro 4. fen. 6. tract. 2. cap. 4.

Cantharidum alexipharmaca Dioſcor. li. 6. ca. 1. Hippo. lib. 1. & 2. de Morbis mulie. Auic. li. 4. fen. 6. tract. 2. ca. 4. Raſis ad Alm. li. 8. & Aetius lib. 13. ca. 49.

Deleteria quare certis uiſceribus plus ſint noxia. Gal. li. 1. de cõp. medic. gen. & de theriaca ad Piſonem.

innata facultas

confucatum, poli arctici sidus: sic illorũ uirus, certa corporis uiscera, quasi illis per sympathiam naturalem ex cœlesti influxu dicata, peteret: idq́ non solum intra corpus assumpta, sed etiam foris applicata. Nam & Barthol. Montegnana, non uulgaris Italorũ olim medicus, refert, quendam Franciscum Braccam, ciuem Paduanũ cum genui cantharides applicuisset, plus pondo quinq́ librarum sanguinis eminxisse. Idem quoque accidisse, qui eas ad unguium leprosarum ψῶραν uel scabriciem tollendam, pollici pedum applicuissent. Sic pariter crebrò expertus sum, quum sordidis in genu ac iuxta talos ulceribus, Mercurij præcipitati puluerem paulo frequẽtius insspargerem, illius uirus, cęteris membris illęsis, ad dentes penetrasse, & os ac pharyngas, diurno nocturnoq́ saliuæ effluxu maduisse. Ex his certè constat, cantharidibus non temerè, ut uulgus medicorum assolet, esse utendum. Tradit nempe Plinius, Cosinum Romanum equitem, singulari amicitia Neroni principi deuinctum, lichene, peculiari olim Aegypto morbo, correptum, à medico ex Aegypto per Neronem Cæsarem accersito, potu cantharidum interemptum. Ego uerò potius Cosinum externa cantharidum applicatione, quæ sua uirtute caustica lichenas, psoras, lepras, & duros atq́ callosos in plantis pedum & digitorum clauos extirpare solent, interijsse, quàm interna cantharidũ potione, quæ nihil ad lichenis curam prodest, suspicarer. † Cæterùm in qua corporis earũ parte uirus illud uesicę noxium lateret, teste Plinio, nec inter antiquissimos medicos conueniebat olim. Hippocrates quippe in libro de Mulierum morbis, ad proritandum menstruorũ effluuium, ex solo cantharidum corpore, addito thure & myrrha, pessaria conficere docet: & ad excutiendos fœtus in utero emortuos, ac contra sterilitatem & hydropa, ex solo cantharidum uentre, ablatis capite cruribus & alis, ac tribulis marinis, potionem conficere docet.

Cãtharides genu applicatæ sanguinis per urinam profluuium excitarunt. Montegna. consi. 182. cap. 10.

Mercur. præcipitatus ulceribus inspersus, dẽtes lædit, & pituitã per os expurgat.

De Cosino equite, hęc Plinius lib. 29. ca. 4.

† Rectus cãtharidarũ usus ueterib. ignotus. Gal. li. de sim. med. 11. & li. 4. de uictu acut. utrobique in fine.

Hipp. alas cantharidũ, & Rasis quoq; li. 9. ca. 73. abiecit.

Alæ ueneni cãtharidũ alexiphar, Pli. li. 29. ca. 4. Diosc. li. 2. cap. 53.

Gal. li. 3. de Tẽper. & de Sim. med. lib. 3. 4. & 11.

cet. Non defuerunt medici, qui abiecto illarum uentriculo, solis pedib. & alis utebantur: quas esse illarũ malefici uirus alexipharmacũ crediderant, unà cum Dioscoride. At Galenus noster integras pharmacis miscuit, quæ illarũ uirus obtũderent: sicq; eas innoxiè tradi posse, paßim docet. Ego uerò illarũ ex adustione puluerẽ, addito cerasorũ gũmi, ut magis salutarẽ, ita minus noxiũ in electuarijs diureticis, cũ apozemate morbo cõueniẽti dissolutũ, crebrò expertus sum. Verùm nusq̃ illarũ usum cõmodiorẽ cõperi, q̃ si crudũ illarũ puluisculũ pomis, aut prunis, ficubus, persicis quoq; uenustiorib. ab ima arbore pẽdulis inserueris, fissuráq; reducto putamine celaueris: quę si pomorũ fures decerpta degustauerint, intolerabilis urinæ ardor & stillicidiũ, furtum illorum redarguit, & grauitate supplicij cõpensat: ut hoc remedio, melius Lãpsacenorũ deo, fures pomorum ab amœnißimo horto tuo in suburbio arcere & deprehendere poßis. Id te celare nolui. Vale.

Puluere cantharidũ fures pomorum deprehendi.

DE HYDROPE ET QVARTANA febre, & huius encomium. Epist. XLVIII.

Miraris Nicolaum fabrum ferrarium, uicinum tuum, ut fidum, ita quoq; officiosum, hydrope à quartana laborantẽ, ita breui tẽpore humanis exceßisse: quum Phauorinus febrem quarto quouis die reducẽ, ut salutarẽ, argutæ orationis lepore collaudauerit: eiusq; declamatiõis thema, Platonis testimonio, qui à quartana conualescentes, recuperatis uirib. cõstantiori ualetudine dixerat uicturos, corroborauit. & deinde nõ illepido Grecorũ adagio approbauit, ἄλλοτε μητρυιὴ πέλει ἡμέρη, ἄλλοτε μήτηρ. id est, *Ipsa dies quandoq; parens, quandoq; nouerca est.* Ita hanc quartanam febrem biduo sanitatis medio interuallatam, eo ait esse fortunatiorem, q in ea esset μία μητρυιά, δύο δὲ μητέρες: id est, una nouerca, duæ uerò matres,

De febre quartana, hæc Gel. lib. 17. cap. 12.

Dies quandoq; parens, quandoq; nouerca.

tres,

tres. At mi Patrocle, non ita facilè Gellius, tuus amasius, exercẽdi ingenij gratia hac ἀδοξοτάτῳ de febre quartana ὑποθέσει, Phauorinũ lusisse, mihi persuadebit, quin seriò id eum censuisse credã: quum multis ante Phauorinum & Platonem annis, Hippocrates, alter medicorũ Apollo, statuerit, hanc febrem natura sua esse securissimã, & ob exacerbationis intercapedinem toleratu leuissimã, quæ noxios depasceret humores, ac plerosque à magnis, Herculi etiã ineuincibilibus morbis liberaret. quod in sexto Epidemiarum libro, his uerbis luculenter quoque affirmat: οἱ ὑπὸ τεταρταίου ἁλισκόμενοι, ὑπὸ τῆς μεγάλης νόσου οὐχ ἁλίσκονται. ἢν δὲ ἁλίσκονται πρότερον, καὶ ἐπιγίνεται τεταρταῖος, παύσονται. id est, Qui quartana corripiuntur, à magno epilepsiæ morbo nõ infestantur: si autẽ hoc primùm corripiuntur, si quartana superuenerit, tũ cessat. Vterque enim morbus ex atra bile, aut lẽto & frigido humore, in cerebro aut splene coaceruatis, frequẽter oritur: quare, quod alter in alterum degeneret, & alterius materiam insumat, nihil mirũ. Proinde scitè Galenus inquit: Melancholici magna ex parte comitiali morbo afficiuntur, & contrà epileptici fiunt melancholici. Cęterùm si quartanæ malè curatæ hydrops accesserit, ęgros ea cõmoueri, Galen. crebrò uidit: quod & uicino tuo cõtigit. & tũ maximè accidere solet, si ęgrotus in uictu aberrauerit, & intẽpestiuo frigidæ potu caloris lenimẽ quæsiuerit: quo humores ingrossati obstructiões & scirrhũ in epate ac liene pariũt: & tũ pręcipuè, si deiecti in paroxismo particulari, caloris putridi exhalationem externo quęsito frigore cohibuerint, quia impulsus utrũque hypocõdriorũ uiscus adurit & indurat: & quãdoquidẽ splẽ sit quartanę febris, & ex ea hydropis, domiciliũ, & altera sanguinis pficiẽdi ac depurãdi officina: ideo animalia exãguia splene quoque carẽt: & uitiato à quartana splene etiã, primogenia affectiõe subnasci aquã intercutẽ, & in omẽtũ defluere, Hip. lib. de Mul. mor. attestatur.

De quartana hæc Hip. lib. 1. & 6. Epidem.

Melancholici fiunt epileptici, & uicissim.

Galen. li. 3. de loc. affect. ca. 6

De scirrho epatis & splenis hæc Galen. 13. Methodi.

Hydrops ex splene.

Hippoc. lib. 2. de Mul. morb.

Si,

Si, inquit, mulier, splene ipsius aqua turgente, aqua intercutem laborauerit (quod tum accidit, cum febris hominem detinuerit, & patiens aquam affatim ingurgitauerit, & eam non reuomuerit, nec per uesicam aut sudorem excolatur) tum splen rarus & spũgiformis, à tergo uẽtriculi situs, eã attraxerit, q̃ repletus & intumescẽs per uenas in omentũ effundit. At si epar primaria affectiõe, ex aquę niuis aut glaciei liquore uiciatę potu: aut per cõsensum ex uentriculi, renum, pulmonis, lactiũ meseraicarum, habituali intemperatura frigida uiciatum, uel obstructum fuerit, tum aqua intercus ex epate non in omentum, sed intra peritoneum in lumborum & iliũ caua prorumpit & distillat. quòd Galen. in septimo Aphoris. Hippoc. commentario, apertè his uerbis declarat: Si, inquit, aliquando contingit hydatidas, uesicas epatis aqua plenas, disrumpi, effunditur aqua ad locum membranæ abdominis interioris epigastrio respondẽtem, in quo etiam hydropicorum aqua cõgregatur. ad omentum enim, quod est instar marsupij, solidum & firmũ undiquaq;, nisi uersus epar arrosum fuerit, effluere ab epate non potest: nisi ex uentriculo, colo, ac liene, à quibus partibus enascitur. Ex hoc humorum & uaporum flatulentorum ab utroq; uiscere intra peritoneum & omentum defluxu, duas hydropis species nasci uidemus: alteram ab utris similitudine asciten, alteram uerò à tympani tympaniten dictam. hæc flatulenta, illa uerò humida ra. Sed ascitis à splene uitiato eadem esse accidẽtia cũ illo quæ ex epate affecto enascitur, Hippocrates lib. de Morbis quarto fatetur, dum inquit: Manat potus ex gula in uentriculum, quo expletus splen de ipso sugit: claiculæ, collum, pectus ac brachia, quibus, obstructis uenis, alimentum irrogari non posit, extenuãtur: ac humor aqueus per uenas in omentum & in decliue ad crura, tibias, pedes uergit: quibus morbo inueterato ruptis, aqua instar roris destillat, qua scrotum adimple-

Locus aquæ hydropicorũ intra peritoneũ, & in omẽto.

Gale hæc lib. 5. de locis affe. cap. 6. & 7 Aphor. 55. & li. 4. Aphor. 11.

De omẽto, hęc Auicen. 13. tertij, & 14. tertij tract. 4. ca. 5.

Ascitis à splene & epate, cadẽ accidentia.

adimpletum, fit instar uesicæ aqua refertæ perlucidum. unde herniæ species Græcis, & Cor. Celso hydrocœle, ab aqua dicta, enascitur, pueris & senibus cachecticis communis morbus. Vnde Hippocrates: Pueris hydropes in testiculis & ostheo fiunt, quamdiu parui fuerint, deinde in ætatis progressu euanescunt. id quod pueris nuper genitis etiam in bimatu atque trimatu crebrò accidere uidi. Sed horum causæ symptomatum sunt omnibus obuiæ. At istæ non æquè, ob quas nempe hydropici sicca tussi & anhelitus difficultate, pulmone illæso, torqueātur, & maiori siti quàm apud inferos Tantalus ille excrucientur: adeò ut quo plus sunt potæ, plus sitiātur aquæ, quibus totus uenter tumet prius. Tussis quidem, aridæ & difficilis spirationis in hydrope causam, rectè in pulmonis & diaphragmatis à substrata tumidi iecoris splenisque mole, coarctationem rectè referimus: quæ cum, uentriculo flatibus pleno, præcordijs incubuerint, tum æquè ac in saturis & obœsis, pulmonē, spirationis follē, à thoracis musculis & diaphragmate ad aerem hauriendum distendi non posse, quiuis conijcere potest. Quare plerique sedentes, non nisi recta ceruice spirare coguntur. dorso enim incubantes, facilè suffocarentur. Hanc præcordiorum & septi angustiam, pulmo uoluntario & naturali motu percitus, tussi excutere laborans, dum nihil promouet, aut ex pulmonis cauernulis excreare potest, tussire quoque cunctatur. Vnde Hippocrates: Quibus, ait, à iecore aqua intercutem oboritur, tussire quidem desiderant, sed nihil effatu dignū excreant. Verùm quum sitis sit appetitus frigidi & humidi, & in hydrope uniuersi corporis habitus, ac præcipuè epar intemperatura frigida & humida laboret & langueat, ipseque uenter tanquam uter, humore frigido distentus, ueluti aqualiculus sesquipede prostet: quæ sit intolerabilis hydropicorum sitis causa, exactiori scrutinio eget. Primùm, quàm sitibunda insit sali siccitas,

[Marginal notes: Cels. lib. 7. ca. 18. — Hippoc. in lib. de Aere & aq. — *Difficilis spirationis & tussis in hydrope causa.* — Hippo. & Gal. in princip. li. 2. Prognost. & fine lib. 2. de locis affect. — Hippoc. lib. 2. Prognostic. — Sitis hydropicorum causa: ad Alex. lib. 1. Proble. 79. explicatur.]

uel ex hoc conijcere potes, quòd plerięꝫ nautarū æquoris salsi aquam bibentes, inexplebili siti interierint. Modò constat, omnes secundæ digestionis in epate splene ac uenis humores, & illorum excrementa, ut sudorē & urinam, salem resipere, ac indigestos facile putrescere. Atqui cū in hoc morbo uenæ peritonei, omenti, & quę à porta in splenem uergunt, ac fundū uentriculi, eiusqꝫ orificium, sitis subiectum, multifariam amplectantur & nutriant, his humoribus refertissimę sint, necessariò illorum salsedo in uentriculum resudabit: quorum etiam uapores putridi, interna uiscera ac uentriculi osculum, æquè ac uini ueteris, uel in quo dipsas serpens submersa fuit, siccabūt, & lethali siti excruciabūt. Accedit ad hoc, quòd cum aeris inspirati refrigerium, sitim quoqꝫ alleuiet, ut ob impeditam & coarctatam in hoc morbo inspirationem, cor & pulmonem siti quoqꝫ æstuare oporteat. Ex his quoqꝫ haud obscurè causam elicere possis, quare mulieribus, ut Hippocrates ait, ὑδατουνόσῃσιν, id est hyposcarca, aut cachexia laborantibus, mensium effluxus cunctetur, uel sistatur: quippe cum sanguinis conficiendi officium in epate infrigidato uel obstructo lāgueat, nec nisi sanguis aquosus, crudus & uiscidus generetur, qui suo lentore uenas uteri potius obstruere, qꝫ erumpere possit. Atqui quum hæc omnia tam sæua accidentia in hydrope ex quartana coincidere possint, nil certè mirū, ægrum in tam uiolenta huius morbi spiratione, animam quoqꝫ efflare. Sed magis quispiam fabri uicini tui socordiam mirabitur, qui cum præsentissimū indurati splenis remedium, quotidie in officina sua ferro ignito conficeret: quòd eo in morbi principio uti neglexerit, quod Cor. Celsus in lienis morbi cura his uerbis summopere laudat: Potui, inquit, ieiuno dari debet absinthium incoctum, & post cibum aqua à fabro ferrario, in qua candens ferrum subinde tinctum sit. Hæc enim uel præcipuè lienē coercet. Quod animaduersum est in

Causas corruptæ sitis Galē. lib. 4. de caus. symptomatū. & li. 2. Microtech.

De dipsade hæc Alex. Aphor. in fine li. 2. probl. Dios. li. 6. c. 49. Gal. de thiriac. & Nicād. in Ale.

Menses hydropicis sisti, Hippoc. li. 6. Epidem. tradit.

Aquam in qua candēs ferrū extinctū, spleneticis mederi Cor. Cel. li. 4. cap. 19. docet.

eſt in his animalibus, quæ apud hos fabros educata, exiguos lienes habent. Hac ſola aqua, & capparorũ eſu, Anton. Beneuenius Florentinorũ ciuẽ ſeptẽnio ſplenis ſcirrho laborãtẽ, ſe curaſſe gloriatur. Qua ſi dextrè uſus fuiſſet, forſan auxiliares fidelis uicinus manus adhuc tibi porrigeret. Sed fata nos ſuſcꝗ deꝗ ferre oportet. uale.

DE STERILITATIS SCRVTINIO, *& ueteri obſtetricum officio.* Epiſt. XLIX.

Conquereris mihi duabus epiſtolis, non certè perfunctoriè ſcriptis, quę acre tuũ oſtendunt ingenium, te ob uxoris ſterilitatem, ſine liberis uitã degere: qui tibi ſilicernio, ut ciconiæ parentibus eorum ſenio eneruatis, ſuſtentaculum præberent, & ἀντιπελαργοῦσιν, gratam beneficiorum remunerationem referrent, aut alimoniæ θρεπτήρια redderent. Deinde quòd uetus obſtetricum officium in republica ueſtra exoleuerit. arsꝗ illarum unà perierit, quæ non modò ægrè parturientibus opem ferebant, ſed ut peritus agrorum colonus, qualem agrũ quoduis ſemen poſcit, optimè nouit: ſic illę tanꝗ pronubę in cõficiendis nuptijs, in cõfœderãdis cõiugijs, quã cuiꝗ ad generoſæ prolis procreatione iugare oporteret, optimè callebãt: quarũ officium eo nomine inſtitutũ fuit, quũ crebrò in aliquo ſtẽmate, ad quod ſacerdotij uel regni dignitas ſpectabat, hæres deſideraret ob uxorũ ſterilitatẽ, ne tãta dignitate ſtẽma illud priuaret, facto diuortio, aliã cõiugem fœcundã in ſterilis locũ ſufficiebant. Verùm quòd liberis te carere cõquereris, temerè id quidẽ illorũ hominũ more facis, qui nũquã ſua ſorte contẽti uiuũt. Nã ſi ex uxore tua liberos ſuſtuliſſes, neſcis, ut inexpertus, quãta ſollicitudinũ mole obrutus fuiſſes. primùm, ut enutritos rectè educares, educatos honeſta dote elocares: deinde, ne ab auita ſtẽmatis tui uirtute degenerarẽt, & lenocinio cõ-

De ciconiarũ pietate & gratitudine, Aelianus de Var. hiſto. Ambroſ. in hexam. Petrõ. Arb. in Satyr.

De ueteri obſtetricum officio, hæc Plato in Theæteto:

Galẽ. lib. 5. Aphor. 59.

Ex liberis ſolicitudo & ærumnæ.

gerronũ seducti, paterna bona multo sudore parta obligurirent. & mille alia incommoda, quæ prudens prætereo: ut Euripidem rectè dixisse fatear, carere liberis bonũ esse incognitum. quod Automedon hoc lepidissimo epigrammate approbauit:

εὐδαίμων πρῶτον μὲν, ὁ μηδενὶ μηδὲν ὀφείλων.
εἶτα δ᾽ ὁ μὴ γήμας, τὸ τρίτον ὅστις ἄπαις.
ἢν δὲ μανεὶς γήμῃ τις, ἔχει χάριν, ἢν κατορύξῃ
εὐθὺς τὴν γαμετὴν, προῖκα λαβὼν μεγάλην.

Felix quidẽ primũ, qui nihil debet: deinde, qui uxoris expers: tertiò, qui sine liberis est. Quod si quis insaniens uxorem duxerit, gratia illi cõtingit ingens, si statim uxorẽ humauerit, et dotem acceperit uberẽ. Deinde scias, alterã obstetricũ officij partẽ exoleuisse: artẽ uerò nondũ nobis subductã, sed eruditis Hippocratis ac Arist. monumẽtis concreditã extare. Nam quæ uteri muliebris uitio steriles sunt, has diuinus Hippoc. suo oraculo ita perstringit: Quæcunq; frigidos & spissos uteros habent, & quæcunq; præhumidos uteros habẽt, nõ cõcipiunt: extinguitur enim in eis genitura. & quæcunq; siccos, & magis adurẽtes. nam ex defectu alimẽti corrumpitur semen. quecunq; uerò ex utrisq; mediocrẽ habẽt temperaturã, hæ fœcundæ sunt. Vides ne Hippocratẽ eisdẽ rationib. matricis fœcunditatẽ, quib. agricola sui agri fertilitatem, metiri? Nam ut seminis fœcunditatẽ frigiditas, & agri spissitudo, ut emergere nõ possit, coercet: sic per angusta frigore inspissati uteri uasa, ad incrementum embryonis nõ nisi sanguis serosus perlabi potest, quibus nec secundæ aut cotyledones cum umbilico fœtus firmiter adnasci possunt: & perinde in uteris humidis genitura, ut in palustri solo cerealia semina extinguuntur & suffocantur. Et ut in agro sicco & calido defectu alimenti semẽta marcescunt, sic arida matricis caliditate prolifici seminis humorẽ insumi & aduri par est. Necessaria igitur est ad fœcunditatem commensurata

Vteri qui steriles sint.
Hippoc. libr. 5. Aphor. 62.

Vterus agro assimilatur:
Hippoc. in lib. de sper. & fœt.

rata materni uteri & uirilis seminis temperatura. Nec tamen inficiamur, dispares in qualitatibus utriusque coniugis intemperaturas, mutua actione corrigi, & fœcundi[t]ati non obstare. Vnde crebrò uiduas in primo coniugio steriles, alijs uerò maritis nuptas, leporibus (ut aiunt) fœcundiores uidimus. At quibus signis hæ sterilitatis causæ in mulieribus explorentur, Aristoteles, & ante eum Hippocrates, ea non celauit: qui mulierē pannis undiquaque circumseptam thuris, storacis, silphij aut cyphei, delicatissimo deorū in templis Aegyptiorum suffumigio, desubter suffire, in Aphorism. suis iussit: & si odor tum uideatur per corporis meatus internos, ad nares & os penetrare, tum mulierem id ex se ipsa, non sterilem esse, approbare. Et in lib. de Sterilibus, netopum ungentum, lana exceptum, obstetricem uti pessum utero imponere iubet: ac si subditi odorem per os manè olfecerit, mulierem fœcundam fore, & concipere posse affirmat. Aut (inquit) caput allij derasum et depurgatum, integrum ad uterum apponat: & si per os postridie olfecerit, cōcipere poterit. Atqui cum oculi spermaticis à cerebro poris affines, qui adeò coitu alterantur, afficiunturque, ut genituram emissuri plerique conniuere uel nictari cogantur: quid obstare poterit, ut illitis eorum cum unguēto ex croco angulis, fœcunditatē, & an seminales pori obstructi sint, experiri non possimus? id quod certò fieri posse, Plin. naturalis historiæ autor testatur, dum ait: Fœcunditatis in feminis prærogatiuam accepimus, inunctis medicamine oculis saliuam infici. At Aristoteles hæc de oculis, in libro de Animalium generatiōe, cum uberius ac apertius declaret, ac in latina Theodori uersione, uerbum Extremum, pro Excremento, falso uel interpretis, aut potius chalcographi errore scriptum sit, libuit uerba Aristotelis græca adscribere: τὰς δὲ γυναῖκας βασανίζουσι τοῖς δὲ προσθέτοις, ἐὰν διϊκνῶνται αἱ ὀσμαὶ πρὸς τὸ πνεῦμα θύραθεν κά-

Hęc fœcunditatis signa Hippoc. lib. 5. Aph. 59. de morbis mul. lib. 1. & in lib. de sterilib.

Ex oculis inunctis fœcunditatis examē. Pli. libro 7. cap. 16. Hippoc. lib. de superfœt.

Obscurus Plinij locus illustratus.

Aristot. lib. 2. de gen. anim. cap. 5. quę Gentilis sen. tertia tertij Auic. canonis, tract. 1. cap. 1. repetit.

τωθεν ἄνω, καὶ τοῖς ἐγχρίστοις ἐπὶ τοὺς ὀφθαλμοὺς χρώμασιν, ἐὰν χρωματίζωσι, τὸ ἐν τῷ στόματι πτύελον. ταῦτα γὰρ οὐ συμβαίνοντα, δηλοῖ τὸ σῶμα τοὺς πόρους, δι' ὧν ἀποκρίνεται τὸ περίττωμα, συγκεχομένους ἔχειν, καὶ συμπεφυκότας. ὅ, τε γὰρ περὶ τοὺς ὀφθαλμοὺς τόπος, σπερματικώτατος τῶν περὶ τὴν κεφαλήν ἐστι. δηλοῖ δ' ἐν μὲν ταῖς ὁμιλίαις μετασχηματιζόμενος ἐπίδηλος μόνος. καὶ τοῖς χρωμένοις πλείοσι ἀφροδισίοις, ἐνδεδύκασι τὰ ὄμματα φανερῶς. αἴτιον δ' ὅτι ἡ τῆς γονῆς φύσις ὁμοίως ἔχει τῇ τοῦ ἐγκεφάλου. Id eſt, ut Theodorus uertit: Mulierũ fœcunditatis probatio ſuffitu fit, ut odores ſubeuntes uterũ, efferant ad locũ ſpirãdi, & afficiãt halitũ. atq; etiã illitu: ut colores oculis impoſiti, ſaliuam oris inficiant. nam niſi hęc ita fiant, meatus corporis, per quos † excrementũ decedit, cõcluſos, obſeptos & obcæcatos eſſe ſignificat. ſedes enim oculorũ maximè omniũ capitis locorũ ſeminalis eſt: q̃d patet, cum ſola ipſa per coitum uenereum manifeſtè immutetur, & immodico rei venereę uſu oculi apertè langueãt & ſubſideãt. Cauſa eſt, quòd natura geniture ſimilis cerebro eſt: aquoſa enim materia eius eſt, & calor aduentitius. Et ne tibi moleſtus ſim, multa utriuſq; ſexus ſterilitatis ſigna conſultò pretereo. unum tamen adhuc de galbano, pro colophone huic epiſtolæ adijciam: quem ſi igni emollitum, ſericoq; incluſum, muliebris uteri ſtomacho nocte indideris, & caput mulieris purè lotum, linteolo & reticulo, inodoratis tamen, obligaueris, manè ſi uertex mulieris galbanum redolet, mulierem probè purgatam, & eſſe fœcundam ne dubites. Sed iurè dubitare poſſes, per quos nam meatus odor illorum ex utero ad olfactus organa & capitis uerticem ſpiraret. Et mehercule, niſi axungia porci genibus illita, uel alligata, ſapore, eius os ita imbueret, ut exſpui uideretur, & hydrargyri uirus etiam per ſe, & cuius axunxia poteſt eſſe uehiculum, cruribus aut plantis pedum inunctum, ad os & cerebrum regurgitaret: odorem aromatum à uirtute ſpecifica, quæ in rebus dubijs eſt commune medicorum

[Margin notes:]

De oculis hæc uberius Ariſt. ſect. 4. probl. 2.

Sperma utile tertiæ digeſtionis excrementum, & maior pars eius à cerebro.

† *Aldi litera habet* Extremum, *ſed malè, pro excremēto*

Ex galbano fœcunditatis ſignum. Hippo. de ſuperfœtatione & ſterilibus.

De axũgia hęc Pli. li. 28. ca. 19. *Axungia hydrargyri uehiculum in unguentis.*

corum aſylum, petere caput aſſeuerarē. Sed hos meatus, ueluti in Dedali labyrintho, imperſcrutabiles, anatomiæ peritis explorandos relinquamus. Illud tamen plus quàm centies expertus ſum, in hyſtericarū & quauis uteri affectione, uerticem capitis, prope ſuturam coronalem, qua glaciei frigus & pondus ſe ſentire fatentur, utero affecto, lege quadā conſortij cōdolere. Quod ſi obſeruaueris, ad diſcernendum, quādo caput per matricis conſenſum doleat, tibi plurimum proderit. Vale: & de his omnibus ſecurè periculū facere ipſe poteris, & obſtetricum opera in conſiderandis coniugijs melius carere potes: quarum officium quòd deſierit, partim culpam in mulierum pudorem, partim in ſordidam magiſtratuum ſtipendiorum parcitatem refero. iterum uale.

Vertex capitis matrici affectæ condolet.

DE VETERI BALNEARVM FAbrica & uſu. Epiſt. L.

DIſpeream, ſi Romanorū luxus & deliciæ ullo in opere magis & clarius ſpectent, ꝙ in magnificis balnearū fabricis: ob quas olim conſules, ædiles, & Cæſares ꝗꝙ, totos & ſolidos excauarunt montes, ut tam ferventē ꝙ gelidā aquā, per tubulos et eurypos in balnea deriuarent: quorū pauimenta uitreatis teſſerulis, uerſicoloribus lapidū cruſtis, cemento aut maltha cōpactis radiabāt, quæ Græci à uariegato lapillorū colore lithoſtrata, & ꝙ cœnæ analecta nō ſcopis cōuerri, ſed manu colligere, ac ſpōgia detergi oporteret, ob mundiciē aſarota appellarūt. Parietes ſectili & omnifario marmorū genere, Phrygio, Caryſtio, & Porphyrite incruſtati, ac ſtatuis ex ære Corinthio conflatis, inſertis ꝗꝙ gemmis adornati fulgebāt. Hęc pauimentorū pigmēta (ut prona ſunt luxurię uitia) M. Agrippa ędilis, ꝙuis uir ingenio ſubruſticus, ut uulgi gratiā demereret, in cameras ſuarū thermarum tranſtulit: Vitreas dubio procul (inquit Plinius) facturus, ſi uitri uſus tum repertus fuiſſet: & ne

De lithoſtratis

Nonnus poeta in Euangelio Iohannis.

Hæc Plin. li. 36 cap. 15. & 25.

& ne in amœna prospiciendi locus deesset, porticus triplices miliarias, marmoreis suffultas columnis, & ad pilæ ludos trigona quoque balneis astruebant. Quid uerò tibi argentea balneorum uasa & epistomia commemorem? quibus Ethruscum ciuem Romanum sua adornasse balnea, Papinius ita scribit:

Statius Papin. libro primo Syluarum.

Effulgent cameræ, uario fastigia uitro.
Nil ibi plebeium: nusquam Temesæa notabis
Aera, sed argento felix propellitur unda:
Argentoq; cadit, labris nitentibus instat.

Victru. li. 5. ca. 10. Pallad. li. 1. tit. 39.

Qua uerò industria balneorum fabrica, pilis, columnis, cameris, apodyterijs, hypocaustis, præfurnio, miliarijs, uaporarijsque caldarijs, & additis ad natandum piscinis, olim cōstruebatur, Victru. in sua Architectura, & Palladius in sua Agricultura, ita obscurè uerbis depingūt, ut ne Dædalus, quāuis Vulcano adiutus, aut quātūuis nostrę ætatis ingeniosus faber, q̄ uis balneorū in Gallijs & Romę fragmēta, & uetus etiā illud in Hispanijs Granati, regū Mauritaniæ balneū, in arce Alhābrę uiderit, ad illorū normā construere posit. Taceo, quod ægrè uel architectū aut grāmaticū reperies, qui Suetonium intelligat, dum scribit, Neronem Cæsarē nouā ædificasse domū, tāta laxitate, ut porticus triplices miliarias haberet. Et q̄uis iniuria tēporū & bellorū hæ balnearū ædes cōciderint, ita ut de illarū fabrica potius diuinare, q̄ exactè tradere aliquid quispiā posit: ut tamē p̄cepta ueterū medicorū de balneis & gymnasijs melius asseq possimus, illorū partes & uasa tibi utcūque describā. Fuerant olim non in balneis modò, sed etiā in porticib. ac diuitū areis colūnæ positæ, nō tantū ut ædificiū sustētarēt, sed etiā decoris & necessarij usus ergò cōstructæ: qualis erat aurea in capite Romani fori sub æde Saturni columna, miliarium aureum dicta, cui omnes Italię & Romanæ urbis ad singulas portas, numero 34. uiæ erant insculptæ. Et C. Gracchus postquam uias incussis lapidibus, &

Balneū Maurorū in Alhādra Granati.

De hac miliari colūna Pli. lib. 3. ca. 5. Sueton. in uita Otthonis, Plutarch. in Galbæ uita.

& sabuli aggeribus inspersis strauisset, teste Plutarcho, dimenso uiarum spacio singulis miliarijs, quæ octo ferè stadijs constabant, columnas lapideas, spacij signa præferentes, constituit: unde columnas nihil sustentantes, miliarias dictas arbitror. quales etiā olim in balneis prope solia, insertis ex ære aut plumbo tubulis, ut in horum anfractu, aqua substratæ fornacis feruore incalesceret, construebantur. Vnde Palladius: Miliariū plumbeum, cui ærea patina subesset, inter soliorum spacia forinsecus in balneis statuere iussit, fornace tamē subiecta. In quē usum, facere (inquit Seneca) solemus dracones & miliaria, & complures formas, in quibus ære tenui fistulas struimus, per decliue circumdatas, ut sæpe eundē ignē ambiens aqua, per tantum fluat spacij, quātū efficiendo calori sat est. Frigida igit intrat, effluit calida. ita quoque Empedocles, thermas igne sub terra cooperto incalescere credebat. in quib. uero balnearia sine igne calefiunt, spiritus in illa feruens loco æstuanti infunditur: hic per riuos lapsus, nō aliter quàm igne subdito parietes & uasa balnei calefacit. omnis enim frigida transitu mutatur in calidā: nec trahit uaporē euaporatio, quia clausa perlabitur. Veteres enim nec ignem, nec ad exitū fumi spiracula in cubiculis, sed conclauia zetas à ζέω, id est ferueo, dicta habebāt: quib. hypocaustū suberat, in cuius pauimentū calida aut frigida pro tēporis ratione aqua diffusa, illius uapor per meatus & tubulos parieti inclusos zetas calefaciebat. Vnde Paulus iurisconsultus, tubulos esse definit, per quos paries torretur. Habebant enim in domibus iuxta columnas balnearia, & præcipue Lacones, ad sudandum hypocausta, ἀπὸ τοῦ ὑποκαίειν, id est, succendere dicta. Habebat enim hypocaustum sub pauimento locum uacuum, in quo ignis succensus, calidis uaporibus sudorē eliciebat. cui ex uno latere præfurnium, parua fornax adstructa erat: in quo ignis inclusus, partim hypocaustum calefaciebat, partim aquas. su-

Miliares columnæ unde dictæ.

Calefaciendi aquam & balnea modus.

Seneca lib. 3. Quæst. natur.

Antiquorū uaporaria, zetæ: de quib. Lāpridius in Heliogabalo.

Victru. hæc li. 5. ca. 10. & Cornel. Cel. lib. 2. ca. 16. de Laconico sudoris balneo sicco.

Hypocausti structura, & præfurnij uasa, uide Pli. li. 5. in epist. ad Apollinarem.

† In cellarum alueolos defluebat.

pra quam tria ænea uasa diuersis graduum fastigijs, ut aqua ex uno in alterum defluere posset, collocata erant. In superiori fastigio erat frigidarium, ex quo frigida: in medio tepidarium, ex quo tepida: postremò caldarium, ex quo aqua calida† hauriebatur. quantum enim aquæ calidæ à caldario exibat, tantum ex tepidario in caldarium, & ex frigidario in tepidarium influebat. Vnde Cicero: In balnearijs, inquit, hypocausta, in alterum apodyterij angulũ promoui: propterea quòd ita erãt posita, ut eorum uaporarium, ex quo ignis erumpit, esset subiectum cubiculo. Erat apodyterium conclaue, ante balnei aut hypocausti ingressum, situ, ἀπὸ τοῦ ἀποδύειν, id est, exuere dictũ, quòd balneaturi in eo uestes exuerẽt. Erat & aliud in balneis hypocaustũ temperati caloris, unctuarium dictũ: quòd in ea homines ante & post sudorem & lotionẽ, pro diuersa corporis habitus ratione, inungebantur. Erat in publicis quoque balneis locus, à triquetra uel triangula figura Trigon, qui hyeme temperato calore tepebat, ne homines ad trigonalis pilæ ludum exuti rigerent, aut ludendo exerciti minus æstuarent. Pilæ uerò mentio, me quoque admonet pilarum, quas Victruuius & Palladius in balnearum structura describunt, quas alij esse sphæras ex stupa pice sulphure illita cõpactas contendunt, quibus in hypocausti præfurnium coniectis, ignis succenderetur, uel extinctus repararetur: quum tamẽ uterque auctor pilas balneorũ laterculis argilla cum capillo subacta construi, non ex pice, iubeat. Proinde ego pilas fuisse puto, in superna uaporarij parte casulas, aut uasa concaua, in qua flamma à succensis piceis pilis, unde nomen obtinuerũt, reflecteretur. Quare uel utrumque significare, non negauerim. unde Statius de Ethrusci balneis inquit:

Apodyterium in balnearijs.

Hypocaustum unctuarium.

Trigon in balneis ad pilæ ludum.

Pilarum in balneis descriptio.

Quid nunc strata solo referam tabulata? crepantes
Auditura pilas, ubi languidus ignis inerrat,
Aedibus, & tenuem uoluunt hypocausta uaporem?

Cameræ

Cameræ enim siue testudines alueolorũ ex cõmuni hypocausto calefiebant:nouo quodam inuento, ut Seneca ad Lucilium testatur: Quædam, ait, etiam nostra demum prodijsse memoria scimus: ut suspensuras balneorum, & impressos parietibus tubos, per quos circũfunderetur calor, quo simul ima & summa fouerentur æqualiter. Sed maior certè luxus in conficiendis piscinis à Romanis impẽdebatur, quas balneis æstiuis ad septentrionem spectantibus astruebant. has Græci à natando κολυμβῆθρα appellarunt: qualis piscina fuit Hierosolymis illa probatica, sed diuiniore usu ad curam ægrorum quinque porticibus uallata. At in istis inenarrabili impendio, marmore Thasio ac porphyrite constructis, & circũseptis, corpora natando exercebant, ac multa sudatione languida reficiebant, & corroborabãt, quæ Paulus Aegineta ψυχρόλουτρα, Sidonius à mergendo Baptisteria appellat. Vnde Plinius ad Apollinarem inquit: Apodyterium balnei laxum & hilare excipit cella frigidaria, in qua baptisterium amplum & opacum ingredior. In has piscinarias cellulas, ex fontibus, riuis, ac lacubus, per uarios euriporum anfractus & ductus, ueluti per mæandros, aquam per fistulas unguenta & crocum redolẽtes deriuabãt. Vnde Seneca ad Lucilium inquit: Vtrum sapientiorem putas? qui inuenit, quemadmodum in immensam altitudinem crocum latentibus fistulis exprimat, & qui euripos subito aquarum impetu implet, aut siccat? & Aelius Lampridius refert, Heliogabalum in euripis uino plenis nauales ludos circenses exhibuisse, nec unquam nisi unguento nobili aut croco piscinis infectis natasse. & Orosius Neronem tam effrenatæ luxuriæ fuisse prodidit, ut frigidis & calidis unguentis lauaretur. Et ut paulo clarius intelligatur, miliariũ fuisse uas instar columnæ rotundũ, altum, & angustum, ad quod fistula frigidaria dirigebatur, & ab hoc ad solium similis magnitudinis fistula procedebat,

Sen. lib. 14. epistola 90.

De piscinis bal. & psychrolutia. Plin. lib. 5. ad Apollinar. & lib. 2. ad Gal.

Paulus Aegineta li. 1. ca. 51. Pollux lib. 7. & Gal. lib. 3. salub. de psychrolutris.

Seneca li. 14. epist. 90.

De unguen. & croci balneis usu.

Clarior miliarij notificatio.

Pallad. cap. 10. lib. 1. & lib. 5. ad fin.

cedebat, quæ tantum calidæ duceret interius, quantum fiſtula illi frigidi liquoris intulerat: in fine hic, de balneorum apparatu, corolarij loco uerba Palladij de enecandis aut capiendis inter aluearia papilionibus aſſcribam: Vas æneum, inquit, miliario ſimile, id eſt altum & anguſtum ueſpere inter aluearia collocemus, & in fundo eius ponamus lumẽ accenſum. illic papiliones conuenient, & circa lumen uolitabunt, & anguſtia uaſculi ab igne proximo interire cogentur. Et ne quid balnearũ delicijs deeſſet, Sergius Orata primus pẽſiles excogitauit balineas: quarũ illecebra, & lectulis penſilibus, quorũ leni ſuccuſsione uel morbos alleuiarent, aut ſomnũ allicerẽt, Aſclepiades medicus ægros ſibi deuinxit. at olim Troiani belli heroes & Romani conſules, dum habenas totius terrarũ orbis moderarentur, non in tam magnifico balnearũ apparatu, ſed in pyelis & aſaminthis, id eſt labris & ſcaphis ex lapide aut ligno excauato factis, corpora labore feſſa lauarunt. unde Homerus inquit:

Plin. li. 9. cap. 54. & lib. 26. ca. 3. Macrob. 3. Satur.

Odyſs. ρ.

ἐς δ᾽ ἀσαμίνθους βάντες ἐϋξέστας, λούσαντο.
τοὺς δ᾽ ἐπεὶ οὖν δμωαὶ λοῦσαν, καὶ χρῖσαν ἐλαίῳ.

Vnde & Scipio, terrificum illud Aphricæ fulmen, fertur corpus ſuũ ruſticis & militarib. laboribus ſqualidũ, in Lintherno, ſua in Campaniæ uilla, in exili balnei ergaſtulo abluiſſe. Et quũ olim in ergaſterijs Tyrrheni uniuerſas corporis partes pilis obſitas raderẽt, ac Abantes, gẽs bellicoſa, Euboiæ incola, ne capiendi anſam hoſtibus crine præberẽt, primi ſinciput abradere inſtituiſſẽt, unde Curetes dicti: Romani tamen, quum primũ pſilothris, unguẽtis depilatorijs, pro nouaculis uterẽtur, ſerò tamẽ, nẽpe ab Vrbe condita anno 454, tõſores admiſerunt, quos tum P. Ticinius Mena ex Sicilia primùm Romã adduxit. Cogitarunt ſanè, barbã uiros decere, hirtaſq; in pectore ſetas. Tandẽ uerò auctis Romanorũ opib. balneorũ quoq; luxus et delicię unà creuerũt, quibus uirile animorũ robur eneruabãt: ſed corporis habitum

Athen. lib. 12.

Plutarchus in Theſeo.

Plin. lib. 7. ca. 59.

Vetus balneorum uſus.

habitum pedotribæ, gymnastæ, his & palæstræ exercitijs, adhibitis frictionib. apotherapiæ inũctionib. olei & unguẽtorũ in bona ualetudine cõseruare, & per insensilem pororũ euaporationẽ expurgare, & quaslibet corporis lassitudines curare apotherapia studebant. Est namq; Apotherapia, & erat olim, omnis exercitationis probè peractæ pars postrema, quæ frictione & olei inunctione antè & post balnei ingressum fiebat: cuius duo erant scopi, nẽpe excrementa corporis per halitum expurgare, et corpus à lassitudine leuare, prçcipuè quæ exercitijs successisset. cuius præcipua pars erat balneũ, quo rectè administrato ab exercitio, frictione sudorẽ & puluerem gymnasiorum eluebant, artus corroborabãt, induratos laxabãt. Vnde Homerus speculatores à Troia redeuntes, laboreq; fessos, sudorem aqua marina abluisse, corpusq; oleo unxisse ait:

Gal. lib. 2. & 3. salubr.

αὐτὰρ ἐπεί σφιν κῦμα θαλάσσης ὑδρῶ πολλὸν
νίψεν ἀπὸ χρωτὸς, καὶ ἀνέψυχθεν φίλον ἦτορ
ἐς ῥ' ἀσαμίνθους βάντες ἐϋξέστας, λούσαντο.
τὼ δὲ λοεσσαμένω, καὶ ἀλειψαμένω λίπ' ἐλαίῳ
δείπνῳ ἐφιζανέτην. Vnde nouerunt, inquit Athenæus, Troiani belli heroes λουτρὰ εἶναι ἄκη πόνων παντοῖα: id est, lauacra esse omnifaria lassitudinum pharmaca: quas aqua marina, quæ neruis maximè est accõmoda, soluebãt, ac musculorũ distẽsiones ἐμβάσεσι, lauacri insessione laxabãt. postea ne aquarũ aspergine corpora rigerẽt oleis & unguentis acopis inungebant: in quorũ catalogo unguentũ gleucinũ, irinũ, amaracinũ, & abietinũ cẽsentur, & nobile illud ex nardi spicis unguentũ, cuius librã diua Maria Magdalena in sacrosanctos Christi pedes lotos effudit. Eadem ratione frigida loturi, ante balnei ingressum frictione, & olei inunctione (oleũ enim corpus à frigore munit) & post exitũ balnei curabãt. Sed annis uiginti quatuor natu minorib. psychrolusia uti, id est frigida lauari, nõ licebat. Ob id meritò Galenus grauiter Germanos & Celtas increpat (qui, teste Strabone) matris

Iliad. κ. & Athen. lib. 1. Dipnos.

Gal. lib. 3. & 4. salub. & lib. 2. sim. med. Cels. li. 1. ca. 2. & 3. Dioscor. li. 1.

Gal. lib. 1. salubr. Strabo lib. 5.

tris

Galenus lib.1 salubr. Strabo lib.5.

Legitimi partus Rheno probati.

tris pudicitiam exploraturi, infantes nuper editos in Rhenũ frigidũ, uelut adulterij uindicẽ mergebant, cuius uorticibus spurij suffocabantur: legitimo uerò thoro conceptos Rhenus, intemeratæ pudicitiæ testis, tranquillo suspendens alueo, in tremulas genitricis manus subuehebat. Vnde apud diuum Gregorium, Nazianzi episcopum, Nicobulus cecinit:

ὡς νόθον εὐγενέος ῥήνου κριθέντα ῥεέθροις. id est,

Lacedæmonicum ceroma.

Vt spurium generosi Rheni iudicatum fluentis. Nec hi tantũ, sed & Lacedæmones quoq; aqua frigida, quod Lacedæmonium ceroma appellabant, puerorum corpora ad tolerandos æstus atq; algores obdurabant. Vnde Virgilius cecinit, — *Natos ad flumina primùm*
Deferimus, sæuoq; gelu duramus, & undis.

Victru.lib.5. ca.10. Cel.lib. 2.ca.16.

Quatuor balneorum casæ.

Gal.lib.10. Meth.Pli.lib. 5.epist.ad Apoll.

Id quod Lacones, id est Lacedæmonios fecisse, Seruius tradit: qui & balneũ sudatoriũ ab eis Laconicũ dictum asserit, quod erat testudo siue fornacula ad hemisphærij rotũditatẽ ex tegulis mãmatis, argilla tomẽtoq; cõpactis cõstructa, quæ incluso igne per spiracula parua calefiebat, in qua (ut Celsus ait) sicco calore sudor eliciebatur, & in qua clypeus æneus catenis pendebat, cuius reductione & demissione (ut Victruuius refert) sudationis tẽperatura perficiebat. At post Asclepiadẽ mutata medẽdi ratione, sub Antoninis imperatorib. dũ Galenus medicinã profiterer, hæc balnearũ publica ædificia, excepto apodyterio, quatuor casulis cõstabant: in prima

Error Auicennæ lib.1.fen.2. doct.2.ca.19. de bal.

Prima.

Gal.lib.9 de simp.Med. & 3.salubr.

nõ frigido, ut Auicẽna tradit, sed ingredientes calido aeri tẽperato obuersabantur: qualis erat Cypri in metallorũ scaptensulis, ubi (inquit Galenus) ἐν ἁπάσῃ δὲ τῇ καταβάσει θερμασία χλιαρὰ παραπλησία τῇ κατὰ τοὺς πρώτους οἴκους τῶν βαλανείων, οὓς οἰώθασιν προμαλακτήρια καλεῖν. id est, Erat in uniuerso descensu caliditas tepida, similis calori primis in domibus balneorum, quas Promalacteria appellant. Primæ calore domus, corporis humores calefacti liquescebant: at adæquati, ut sub cute rarafacta euaporare

rare possent, deinde uncti & detersi, in calidā secūdæ *Secunda.*
domus aquā descēdebant, qua corporib. macilētis uti-
lem madorē ingerebant. ab hac in frigidā tertiæ casulæ *Tertia.*
aquā ingrediebātur, qua totū corpus refrigerare, & cu-
tim densare, uiresq́ firmare studebant. in quarta do- *Quarta.*
mo corpus per sudores expurgabant, & eos citra refri-
gerationis noxā, frictione & oleis detergebant. Habes
mi fide Achates, ea quæ de ueteri balneorū fabrica, ex
ueterū lectione & usu, coniectura assequi uerius, quàm
demōstrare potui. Quem uerò in marasmo, & febribus
tam putridis quàm ephemeris, curandis usum præstare
posit, in aliud tempus differemus: quando & medica-
tas thermarum uires, & à mineris scaturigines conscri-
bere, nobis animus est. Vale.

DE VETERI PALAESTRAE, ET IN EA BALnearum structura, ac olei & strigmentorum usu. Epist. LI.

ID quod omnibus architectis, mi cōpater, accidere solet, qui ædificiorū amœnitate capti, uel ea instaurare, aut noua illis annectere nō cessant: aut dū unum instaurant, alterū collapsum præter spē reficere cogūtur: id quoq́ mihi accidit, qui dum ueterem balnearū fabricam meditor, en mox hac nedum absoluta, altera ueterum palæstrarum structura, medico certè scitu æquè necessaria, sese offert: quam tibi, quantum calamo assequi possum, libens depingam. Scis nēpe, principium omniū artiū esse rude: at tēporis successu & experiētia adaugeri, & excoli. quòd certè Medicina, omnium mortalium uoto expetita, ac toties immutata, indicat. Hanc antè & sub Troiani belli temporibus Aesculapius, & tandem eius liberi Machaon & Podalirius, ac celebris ille Achillis præceptor Chiron, uulnerum medelis & pharmacia exercebant: solisq́ his duabus partibus, nempe Chirurgia & pharmacia, tum medicina constabat: quarum alterā,

Medicæ principium, incrementum, ac partes.

Cor. Cels. lib. 1. in procem. Pli. lib. 29. ca. 1. Gal. ad Erasist.

nempe

Strab.lib.15. Hippocr.lib.1. de uictu acut. & de Diæt. lib.1.

nempe pharmaciam, sapiētes Indorū medici, ut maleficā despuebant: ac tertiā eius partem διαιτητικὴν dictā, quæ salubri uictus ratione absoluebat morbos, impēse obseruabant, quam ætate Homeri & apud ueteres Asclepiadas non fuisse adeò excultā, Plato & Hippocrates testantur. Nam, inquit, de diæta ueteres medici nihil memoratu dignū scripserunt, & tam magnā medicinæ partē prætererierunt. At Hippocrates ex Coo insula natus, succēso in Epidauro Aesculapij tēplo, in quo pharmaca morborū longo usu cōperta, inscripta erant, sibiq; cognita, hæc uelut è tenebris eruta, & ab igne uindicata inuulgauit, & his diætetice, reliquasq; medicinæ partes locupletauit: ac lecto decūbentiū medicinā, Clinicē dictā, instaurauit. Gymnasticē quoq; salutarib. præceptis breuiter, primus uerè cōscripsit: quāuis Plutarchus Homerū in sua rhapsodia oēs medicinæ partes insinuasse cōtendat, Galenus tamen gymnasticæ artis nomē Homeri ætate nō extitisse, Thrasybulo indicat. Hæc exercitijs omnifarijs, frictionib. apotherapia, balneis, inunctionibus, inculpatū corporis sani habitū, quē Græci εὐεξίαν appellāt, conseruare, aut defectū instaurare, lassitudines curare, & corpus ab excremētis subtercutaneis & musculorū expurgare docuit: nō certè postrema salubrioris medicinæ prophylacticæ, id est sanitatis cōseruatricis parte. Nā ut medicus coco salutaria præscribit fercula, sic gymnastes pædotribis et athletis exercitij, frictionis balneorūq; modū dictabat olim. Hāc post Hippocratē ætate Pōpeij Magni, blandiori balnearū pēsiliū frictionū ac gestationū lenocinio, Asclepiades adauxit, mutata ueteri medēdi ratione. Et ne qd ad sanitatis cōseruationē reliq fieret, primū Græci, deinde Romani, illorū in delicijs æmuli, incredibili impēdio palæstras construxerūt: intra quarū duplices porticus, in medio Ephebeū, id est exedra amplissima erat, in qua rhetores philosophi, et alij liberalib. studijs addicti, sedētes disputabāt huic

Plutarch. in uita Homeri.

De gymnastæ officio Gal. ad Thrasyb. & li. 2 & 3. salub.

Cels. lib. 2. ca. 13. & Plin. lib. 26 ca. 3.

Palæstrarum structura, ex Victru. li. 5. ca. 11.

Ephebeum.

huic à dextro Coriceum, deinde Conisterium, ab exuẽdis uestib. apodyteriũ dictũ. ab eo in uersura porticus erat, frigidarij cella, λουτρον Græcis dicta. Proximè uerò ad sinistrã Ephebei erat Eleothesiũ, & alypteriũ gręcis, unctuariũ Latinis dictum, in quo aliptæ athletas ungebant, constructũ. Hoc cõtinuo ordine excipiebat frigidariũ alterũ, à quo erat iter in propnigeũ hypocaustũ, & eius prefurniũ, in quo carbones accensi hypocaustũ calefaciebant. At eregionè frigidarij introrsum erat concameratum sudatorium collocatum, duplo sua latitudine longius, quod habebat in uersuris ex una parte Laconicum balneum, & ex aduerso Laconici calidum lauacrũ. Præterea erat in palęstra porticus amplissima Xystus dicta, in qua athletæ hyberno tẽpore sub tectis stadijs exercebantur. & ne aliquid amœnitatis luxui deesset, erãt quoq; intra duas porticus uiridaria ex platanis, lauro, buxo, acantho, roremarino, hedera & alijs arbusculis, opere topiario in uarias animalium ac nauigiorũ effigies graphicè detortis, consita: quæ quoq; xysta dicebantur. Vnde Plin. ad Apollinarem: Ante porticum, inquit, xystus uiolis odoratus, & concisus in plurimas species, distinctusq; buxo erat. At propè xystum & porticum duplicem, erant hypęthræ, id est sub dio deambulationis loca designata, quæ Græci περιδρομίδας appellarunt: in quæ per hyemem sereno cœlo ex xysto athletæ prodeuntes exercebantur: quos prius frictione præparatoria, quæ modicè calefaciẽdo, tenues corporis meatus recluderet, excremẽtaq; intercutanea fluxilia redderet, solidasq; corporis partes olei unguine emolliret, ad colluctandum aliptæ præparabant. Exercitatos uerò in balnearum cellulas demittebant, egressos in alipterio frictione apotherapia curabant, quæ pluscula olei pinguitudine administrata, corpora humectabat: distẽta relaxabat, & frictione uapores in habitu corporis detentos in halitum digerebat: & postremò, ne corporis robur nimium difflaretur, corpora athletarum psychro

Coriceum.
Conisterium.
Apodyterium.
Frigidarium.
Eleothesium.
Alipterium.

Victru. li. 6. ca. 9. Pli. li. 2. & 5. epist. ad Gallum & Apol.

Viridaria palæstræ xysta quoque dicta, in neutro & masc. genere.

Peridromides deambulatiõis
Hypæthræ loca sub dio.

De duplici frictione Gal. li. 2. Salubrium. Cel. li. 2. ca. 13. & Paul.

Cur exercitati ungebãtur oleo, docet Gal. prope finẽ lib. 2. de simplici. medic. & li. 4. de loc. affect. ac Plutarch. in uita Homeri.

De gymnastis officio, Plato in 7. dialog. de repub. & Gal. de bono corporis habitu.

lusia in frigidario, aut baptisterijs, uel piscinis astringebant. Et nõ athletas modò, sed quosuis labore, uenatione, peregrinatione fessos, ideo ea ratione curabant, quoniam exercitijs membra similaria exiccarentur, & colliquescerent: & ne uapores intra cutem & musculos coaceruati, lassitudinem aut musculorum distensiones parerent, aquæ dulcis lauacro & lubrica olei frictione corpora humectabant, & subtercutaneas excrementorum reliquias euaporabant. His remedijs gymnastes non macilentos modò habitiores reddebant, sed paulo obœsiores, pro sanitatis ratione, macilentiores facere nouerant. Ad id Græcia solers, & omnis luxuriæ auctor, magna industria ex oleo & terrarum puluere ceromata conficere docuit, & unguenta acopa, lassitudinum expultricia excogitauit. At nõ ex quauis terra, sed utplurimum ex alba illa fullonum cymolia dicta, aut illa pertenui ex Albano agro allata, aut Baiano puluere, qui iuxta ardentem mõtem Vesuuium colligebatur, cõstabat. his enim corpora fieri ad tolerandos æstus & algores firmiora, arbitrabantur. Profectò non uulgarẽ esse unguinis ex oleo uirtutem, id celebre Romuli Pollionis responsum testatur, qui à diuo Augusto Cæsare rogatus, qua ratione uictus, illum corporis decrepiti ac animi uigorem centum annos illæsum conseruasset? respondisse fertur, intus mulso, foris oleo. Et Democritus consultus, qua ratione quis sanus perseueraret? respondit quoq;, si interna uiscera melle, externa uerò oleo irrigaueris. auctor Pli. li. 22. ca. 24. Athenæus li. 2. Diphn.

De olei & pulueris mixtura, hæc Hippo. li. 2. de diæta. Pli. lib. 15. cap. 4.

Alindesis in puluere.

Hippoc. lib. 3. de diæta.

Oleo. n. utebãt, q natura mẽbra tepore foueret, & cõtra algores muniret, & ad agilitatẽ artus redderet lubricos. oleo uerò terrarũ puluis, teste Hippocrate, admiscebat, ut suo frigore & siccitate olei ęstũ & humiditatẽ tẽperaret. Vnde erat & Grecorũ corporis exercitiũ, ἀλίνδησις dictũ, quo oleo delibuti in puluere se uolutarent. Proinde nõ temerè Patrobius Neronis libertus, magnis

impensis

impēsis tenuissimā Nili arenulā ex Aegypto, ad cōficiē da athletarū ceromata, Romā asportari curauit. Ob hūc luxū Plinius excādescens: De terrę usu in ceromatis, inquit, nō Hercules magis dicturus sum, quibus corpora nostra iuuētus exercēdo, uires animorū perdidit. Sagina quidē corporis, athletarū ingenij acumē obtūdit. unde Gale. Thrasybulo scripsit, γαστὴρ ἡ παχεῖα τὸν νοῦν οὐ τίκτει λεπτόν: id est, Venter crassus ingeniū nō parit subtile: nisi, inquit, puluis solus sapientiā athletis donasset. aut quis suspicetur, lutū in quo uolutātur, sapiētiæ esse opificē: uidēs & sues in luto diuersari. Peractis itaq; in palæstra exercitiorū ludis, ceroma de corporib. athletarū oleo illitis, unà cū sudore & cœno cōcretum, in balneis sudoriferis, strigili destringebatur. Vnde hæ balnearū sordes strigmēti appelationē obtinuerūt. est.n. destringere, lacinia, aut incuruata fricātis manu, uel strigili, sudorulētas corporis sordes detergere. Et quāuis Hippo crates mauult spōgia quàm strigili sudores in balneis abstergi, Menelaus tamē, alijq; Græcorū heroes, & Romanorū proceres, cōuiuia ingressuri, corpus prius inunctū & lotū strigili ex auro uel argēto facta, expurgabāt. Nā & Aristot. ait, ἀπρεπὲς γὰρ ἦν, ἥκειν εἰς τὸ συμπόσιον, σὺν ἱδρῶτι πολλῷ καὶ κονιορτῷ. id est, indecorū erat sudorulētos & puluere cōspersos cōuiuiū ingredi. Vnde Persius ait: *I puer, & strigiles Crispini ad balnea defer.*

Et Strabo refert, Indos, & eorū reges, corpora strigili ex hebeno facta abstersisse. Veteres quoq; medici, sollicíti morborū exploratores, sudorē in balneis cōcauitate strigilis excipiebāt: ex cuius colore & sapore, qualis esset humorū, in uenoso uasorū genere miscella, facilè dinoscebāt. Nec adeò mirū, hęc olei in balneis, gymnasiorū parietib. & statuis coaceruata strigmēta, magistratus ludorū octingētis sestertijs uēdidisse, quū illorū usus in depellendis morbis nō esset uulgaris. Calefaciūt.n. (inquit Dioscor.) q̄ in balneis colligūt olei strigmēta: molliūt, discutiūt, ani ragadię & cōdylomata his utiliter inunguntur.

Pli.li.35. ca.13.

Crapula pinguē parit mineruam.

De strigmētis balnearum.

Strigilis in balneo usus.

Hippoc. lib.3. reg. acut.

Ante cōuiuia lauabāt, & sordes destringebāt: Athen. li. 4. Dip. Hom: Odyss. Δ.

Strab. li. 15.

Ex sudoris sapore & colore morbi cognitio: Gal. lib. 5. de locis affect. & li. 3. de causis sympt. & li. 10. de sal. med.

De pcio strigmentorū, & usu, Pli. li. 35. ca. 13. Dioscor. li. 1. cap. 28.

ungũtur. quę uerò ex palæstris cõcretũ puluerẽ habent, cõcretis in digitorũ articulis nodis, coxẽdicisq; dolori, malagmatis uice imposita, ꝓsunt. At quę in gymnasiorũ parietibus, & illic statuis, unguinis sordes adhęſerũt, panos ægrè suppurabiles disijciunt, desquãmatis & inueteratis ulceribus quoq; accõmodãtur. Erat præterea in palæstris terra athletarũ & deambulantiũ pedib. cõculcata, sudoreq; illorũ uel olei aspergine irrigata, *κονίσαλος* dicta, quæ ferè eũdẽ cũ strigmẽtis usum in molliẽdis & discutiẽdis bubonũ & lactãtiũ uberum, & alijs tumoribus præstabat. Cæterũ quũ rarò aliquod ædificiũ sine podij ad ꝓspiciendũ appẽdice absoluatur, libuit & nostræ de balneis fabricæ, & hypocaustis, ex Plinio iuniore appẽdicẽ addere: unde clarius reliqua balnearũ ędificia ꝓspici possint. Erat nẽpe hypocaustũ in thermis locus cõcameratus, cui pręfurniũ (Gręcis propnigeon dictũ) annexũ erat, in quo succẽso igne hypocaustũ incalescebat: percuius spiracula, ueluti per fenestras, calor pro tẽporis ratiõe etiã per tubulos & intra parietes fornaceos in cubicula, sudatoriũ, uaporariũ, & balnei cellas, subibat. Vnde Pli. ad Apollinarẽ: Cohęret, inquit, cubiculo hypocaustũ, & si dies nubilus est, immisso per angustas fenestras calore, uicẽ solis supplet, & suppositũ calorẽ, ut ratio tẽporis exigit, aut effũdit, aut retinet. Erãt autẽ parietes fornacei, ex terra, & fornacũ modo intra duas tabulas infarcti lateribus crudis, ex albicãte & cretoso solo in uere cõpactis circũsepti, imbrib. uentis igneq; incorrupti, omniq; cemẽto firmiores, per quorũ tubulos illis insertos ex hypocausto in ædificiorũ cõclauia calor penetrabat. Erãt in balneis tres, ut accepisti, cellę, frigidaria, tepidaria, & caldaria: qua sola olim utebãtur, donec Anto. Musa, Cęsaris Augusti medicus, & eius frater Euphorbius, instituerunt, à balneis calidis, quas thermas appellabant, corpora in baptisterijs, piscinis, frigidiq; lauacro rursũ astringi & corroborari. Vnde Pli. Thusculi & Laurẽtinę uillę delicias Gallo suo prædicans:

De terra Conisalo Gal. lib. 10. de simplic. medic.

Podium, eyn außlade, erker.

De hypocaustis appendix, ex Pli. ad Gallum & Apol.

De parietibus fornaceis, Pli. li. 34. cap. 14.

Ordo ædificiorum in balneis.

dicãs:Inde,inquit,à cubiculo,balnei cella frigidaria,ſpaciosa,& effuſa:cuius in contrariјs parietib.duo baptiſteria,uelut eiecta,ſinuant,abũdè capacia,ſi nare in proximo cogites.adiacet unctuarium,imò hypocauſtum:adiacet & propnigeum: mox duæ cellæ magis elegantes, quàm ſumptuoſæ.cohæret & calida piſcina mirifica,ex qua natantes mare aſpiciunt.nec procul abeſt ſphæriſterion,in quo pila trigonali ludebant. His,mi compater, arbitror ſingula ueterum balneorum ædificia,& ueluti membra,abſoluta:in quibus ſi ueterum more,in hyeme hora planetarum inæquali & diurna,nona,in æſtate uerò octaua laueris,poſtea ad ueſperam mihi conuiua lautus eris:ubi tandem lactuca ex acetariјs, & ouis ſorbilibus,uinoq́; ſaturum te mollis excipiet lectus. Vale.

Sphæriſteriũ.

Quibus horis diei ueteres balneũ indixerint. Plin.li.3. Epiſt.1.

QVIBVS TRIA ILLA APVD HIPPO- *cratem exercitia,acrochiriſmus,chironomia, & crocimachia, & alindeſis conſtabant. Epiſt. LII.*

FRuſtra quidem miraris, mi Nicobole,tam ſalutaria cõſeruandæ & reparandæ ſanitatis exercitia deſiјſſe, cũ in horum uſum magnis impẽdiјs parata ædificia etiã corruerint, ut horũ uix nobis relicta ueſtigia,illorũ uerò nomina nõ facile agnoſcamus. quotus enim quiſq; ,obſecro te, medicorũ eſt, qui hæc Hippocratis de diæta uentriculi plus æquo calidi & humidi exercitiorum nomina ex integro intelligat? dũ ait: ἀλλὰ τρῖψις μὴ πολλὴ προσαγέσθω, ἀλλὰ ὀλίγη, μηδὲ πάλη, ἀκροχείρισις, καὶ χειρονομίη, καὶ κωρυκομαχίη, καὶ ἀλίνδησις ἐπιτήδεια, ἀλλὰ μὴ πολλή. id eſt, Sed ne frictio multa applicetur, ſed modica:acrochiriſis, & chironomia, & corycomachia, & alindeſis ſunt accõmodata,ſed non multa. De horũ nominibus quid mihi perſpectũ ſit,te non celabo. Erãt enim acrochiriſtæ, athletæ, qui citra corporis complexum, ſummis tantum apprehenſis manibus, concertabant.

Hippoc. lib.3. de Diæta.

bãt. Veteres Græci & Hippocrates, à ſcapulis ad extremos digitorũ ungues, brachiũ, cubitũ, & ipſã manũ, χεῖρα ſimpliciter appellabant. & id quod à cubito ad extremã digitorũ apicẽ protẽditur, ἀκροχεῖρα, id eſt extremã manum dicebant. inde ἀκροχειρίζεσθαι, eſt conſertis tantũ manibus certare. Vnde Poſsidonius libro Hiſtoriarum 23. κελτοὶ, inquit, ἐνίοτε παρὰ τὸ δεῖπνον μονομαχοῦσι. ἐν γὰρ τοῖς ὅπλοις ἐγερθέντες σκιομαχοῦσι, καὶ πρὸς ἀλλήλους ἀκροχειρίζονται. id eſt, Celtæ Galli aliquando à cœna ſingulare certamẽ commitunt, aut inarmati umbratili pugna congrediuntur, & inuicem ſummis tantum manibus concertant.

Gal. li. 3. Anat. & Hip. de Fracturis.

Verba Poſsidonij repetit Athenæus lib. 4. Dipnoſoph.

Celtarum monomachia & acrochiriſmus

Erat & alia corporis exercitatio, à Cicerone palæſtra, ſed Græcis à manuũ geſtu chironomia dicta, qua præceptores & pędotribę ingenuos pueros motus geſtusq́ corporis docebãt, ne ſtatus corporis indecorus, aut manus & brachia inepte proferrent, & ne caput & oculi ab alijs corporis partib. diſsiderent, & pedes appoſite proferrentur. Horũ ignaros apalæſtritas nominabant. Hac geſtuũ induſtria Perſas, generoſæ indolis pueros exercuiſſe plurimũ, & eorũ corpora quaſi formaſſe, Xenophõ auctor eſt. Nec Cicero hãc geſtuũ & pronũciationis ſolertiã ab Aeſopo & ſuo Roſcio tragœdis diſcere erubuit, quẽ adeò attẽte in theatro agentẽ ſpectabat, ut etiã in oratione ſua populũ Ro. obiurget, ꝙ Roſcio geſtum agente tumultuarit. Hũc L. Sylla dictator aureo annulo donauit, cuius tanta apud ædiles fuit gratia, ut mercedẽ diurnã de publico mille denarios, ſine gregalibus ſolus acceperit. & Aeſopus ex pari arte ducẽties ſeſtertiũ filio reliquiſſe tradit. Verùm cũ hęc potius oratorũ q̃ medicorũ interſint, alterã chironomiæ ſpeciem perceſeamus, quę læda ſaltationis ſpecies, à uaria & uerſatili manuũ geſticulatiõe, chironomus quoq; dicebat. quã Hiſpanorũ mulieres, in earũ chorea, dũ digitorũ ad pollicem alliſione obſtrepunt, referre uidẽtur. Sed qualis lucta Hippocrati fuerit corycomachia, non ſatis liquet.

Chironomia.

Quintil. lib. 9. ac 12.

Xenoph. in Cyropæd. & rep. Perſ.

Macrob. lib. 3. Satur. ca. 9.

Altera chironomiæ ſpecies. ſaltatio.

Corycomachia.

liquet. Si Hesychio creditur, tũ corycidiũ fuit olim cõ-
cauũ ex pellib. scutũ uel inuolucrũ, quod sagittãtes sini-
stro cubito apponebãt. Erat & corycos cistula pãnaria, Corycus.
aut uasculũ, utri uel folli simillimũ, ex pellib. cõsutũ. Fu
isse quoq; nauiculã, & lanceã, pleriq; testantur. Verùm
ut credã fuisse follem grandẽ, qua in coryceino balnei ę-
dificio colluderent, ueluti pila, uerbis Galeni adducor.
Superest, inquit, ut de exercitijs dicamus, quę celerita-
te peragũtur, citraq; robur & uiolentiã. id genus sunt,
cursus, & umbratilis armorũ meditatio, & cũ duo sum-
mis manib. concertãt, ἀκροχειρισμὸς Græci uocãt, tũ quæ
per corycum & pilã exercitatio fit, utiq; cũ à distãtibus
& currẽtib. administrat. Alindesin uerò fuisse in pul
uere uolutationẽ, prius diximus. Vnde & loca pulueru
lẽta, in quib. equi se uolutabãt, ἀλινδήθρα Græci nomina
bãt. Si plura exercitiorũ palæstræ genera, & illorũ no-
mẽclaturas ac cõmoda scire desideras, Iuriscõsultorũ de
his in Pãdectis cõscriptas leges, & Galeni De salubri ui
ctus ratione, & Plutarchi aliorũq; historias legito: qui-
bus si te exercueris, ea corporis excrementa per insensi-
lẽ ex poris halitũ digeri, robur mẽbris accrescere, calo-
remq; naturalem, omnis concoctionis opificem, adau-
geri percipies. Vale.

DE ORIGINE ALCHIMIAE, DISTIL-
lationis aquarum, & olei modis, ac illorũ usu. Epist. LIII.

QVas tuus tabellarius nudiustertius
attulit literas, fronte hilari excepi: q̃
impendiò ꝓbabãt, q; omne bonarũ
artiũ principium esse rude dixerim.
Sed cur nõ in nostro hoc tã p̃claris Ob quas causam artes incre
omnifariæ eruditiõis ingenijs fœcũ menta non su-
do seculo expolirentur, q̃rere uide- scipiant.
bant. Quibus facile respondere possum, esse quosdam
uentricosos lurcones, nescio quib. Bacchi sacris initiati,
qui ueluti ignaui fuci mella apibus, sic isti stipendia
eruditis

eruditis preripiunt, & cum suis meretriculis obligurriũt: de malis quidẽ loquor, bonos omni honore dignor. Deinde cũ cõtraria in eodẽ cõsistere subiecto non possint, nil mirũ, quosdã inertes aulæ proceres, doctos ferre nõ posse. Deinde ꝙ uulgus, sollicitus futurorũ explorator, & percũctator, ac auidus lucri auceps, eas accepta tartes, quæ tã infirmis fulciũtur fundamẽtis, ut nihil duraturũ diu, superstrui possit: quales sunt uatidica illa astrologia, & spe diues alchimia. quorũ prima rudimẽta, Aegyptij primi omniũ artiũ auctores excogitarũt: ad quos ob id Pythagoras & Plato nauigarũt, & quib. nõ inepto ænigmate Moses Aegyptũ egressurus, populum Israel aurea & argentea uasa, id est reconditos scientiarũ thesauros surripere iussit. Magnas nẽpe arte chymica opes sibi parauerant. Vnde Diocletianus Cæsar, postq̃ Achillem Aegyptiorũ ducẽ octo menses in Alexandria Aegypti obsessum profligasset, omnes chymicę artis libros, diligẽti studio requisitos conflagrauit: ne reparatis opib. Romanis repugnarent. Nec sanè chimia, χημεῖα quæ metalla cruda in meliora transformat. adeò noua ars est: nec temerè poetæ finxerũt, Iasonẽ à Pelia patruo ex Thessalia cum Argonautis ablegatum in Colchos, ad afferẽdum δέρας, id est aureum uellus, ab igniuomis draconibus custoditũ, nauigasse: quod Medeæ astu acquisitum, in Thessaliam attulit. non erat sanè δέρας uellus aureũ, sed liber, ut olim fieri solebat, δέρασι, id est pellibus cõpactus: in quibus ars cõficiendi aurũ conscripta fuit. Huius artis beneficio, metallorum formas substantiales, chymeutica quadam admirandà metamorphosi transmutare satagebant. Ad id, illis aquis causticis, ex calcantho & sulphure oleis, ex metallorum mineris, salibus, & plerisque alijs empyreumatis, sicco calore eliquatis, opus erat, quibus metalla dissoluerent, & fluxilem Mercurij substantiam fixam sisterent, ac elixir suum ab omni feculentia expurgarent. Cogita, obsecro, quan-

Aegyptij astrologiæ & alchimiæ inuẽtores.

Aegyptiorum aurea uasa. Exod. 2. Hiero. in Epist. & Euseb. de Præpa. euang.

Bellum Diocletiani.

Diocletianus libros alchimiæ cõbussit. auctor Suidas. Oros. lib. 7. ca. 16. & Paul. Diacon. in eius uita.

Aureum Colchorũ uellus, alchimiæ liber δέρας dictus. Suidas.

quanto uel hodie sublimationis studio et impendio, ex optimo uino & omnibus terræ nascentibus, quintam essentiã, quam suum appellant cœlum, Mercuriumq́ uegetabilem, elicere per alembicũ laborant: quam tandem, ut lento putredinis calore defæcatior reddat̃, in torto uitrei uasis inuolucro, aut pellicano Hermetis uase exceptum, in acinorum aceruos, uel olearum recrementa, aut si dijs placet, in fimo diutius quàm mensem recondunt. Tali quidem chymistarum artificio pleraque pharmaca, aquas salutares & causticas, ex aromatibus olea odorifera, leniterq́ edaces ex hydrargyro pulueres, putridi ulceris sordes abstergẽtes, quibus momento auri addito, temerè pestis uirus expiare audent, & pleraq́ alia magni in cura morborũ usus, confici posse non abnego. Sed cur stillaticij per alembicũ aquarum liquoris usus, tam serò à Græcorum & Arabum medicis acceptus sit, admiratione non caret: quippe quòd ego sciã, primus, sed ferè etiã postremus Græcorum medicus Actuarius, aquę rosarũ meminit, dum ait: Stillaticij rosarũ liquoris, quem Rhodostagma nominant, libra una, cum sacharo ferueat, donec euanescat. At inter Arabes Mesue, sublimationis aquarum absinthij & rosarũ meminit primus: Aqua, inquit, sublimatiõis absinthij, fit sicut aqua rosata, & similia, quæ fiunt in uasis sublimationum. At postquam Rasis, Serapio, & Auicenna, alchimiæ animum adiecerũt, tum illarum usus serò quidẽ, sed propè nimis citò dixissem, in medicinam ideo irrepsit, quòd stillaticius ille ex herbis, stirpibus, radicibus, & alijs terrænascentib. liquor, longè à suorum parentum uirtutibus ideo degenerat. Certum enim est, terrænascentia cuncta ex diuersis & ferè insectilibus elementorum frustulis, uelut atomis, esse coadunata: ac in illis diuersas & contrarias, sub una tamen totius compositi forma residere uirtutes. Vnde illa decantata rhei barbarici radix aluum laxat, eandẽ

De quinta essentia, Ra. Lullius.

Ex alchimia pleraq́ pharmaca utilia.

Mercurij præcipitati puluis noxius.

Serus distillationis aquarũ usus, & eius causa.

Mesue & Actuarius primi aquæ rosarum & absinthij meminerunt.

Rasis libr. 7. ad Almans. cap. 5. & Auenzoar arg. uiui sublimationem docent.

In diuersis uniꝰ subiecti partibus uirtutes contrariæ.

astringit, & epatis obstructiones tamen aperit. En rosarum succus uentrem à cholera expurgat, quem illarũ aqua & sicca substantia astringit. sed uicissim illarũ in unguibus amaritudo reserat, pulmonisq; ulcera consolidat. Nunquid externa urticæ superficies prurit, & urit: internus uerò eius succus arterijs applicitus, febrilẽ cordis æstum infrigidat? nũquid & quotidie uidemus, ex eadem uenæ subterraneæ minera in furnibulo diuersa plumbi, argenti, uel cupri & auri simul eliquari metalla? quorum tamen nõ parua pars in fumum resoluitur. Quum igitur fæculentiores partes in fundo alembici subsideant, aereæ uerò in spiritus fathiscant, ac humidiores cooperculi frigore ingrossati, ex illius alueolo in subiectum uasculum guttatim destillent: nihil certè mirum erit, in stillaticio aquarum liquore aliarum partium uirtutes, odores quoque, & sapores, paucis exceptis, desiderari, ac immutari. unde Mesue: Aqua, inqt, rosarum, per sublimationem facta, multũ roborat: nec tamen ut illarum succus, uel per infusionem recentium dilutum purgat, quia subtilis earum caliditas est igne dissoluta: adde quod recondita formæ specificæ uirtus, ut in magnete, colocinthide, et scammonea, & alijs, per totam æqualiter sui subiecti substantiam diffusa, dispereditis aliarum subiecti partium uiribus, suum robur retinere non potest, quin illius actio quoq; dispereat. unde aqua per alembicũ de colocinthide aut rheobarbaro extracta, aluum subducere nequit: quum tamen illarum dilutum, in quo saltem aliquot horas macerantur, id facilè præstabit. Non certè quælibet forma, sua uirtute illæsa, in quouis mixto & κράσει, aut temperatura subsistere potest. Nil igitur mirum, aquas, præcipuè sicco empyreumatis calore destillatas, à suorum parentum uirtutibus degenerare. Quod certè plus doctos quàm imperitos terruit medicos, effecitque ut illarum usum serius acceptauerint, alij uerò, ut illarum defe-

ctum

De mixtura cõpositorũ, lege Aristot. libr. 4. Meteor. & Alexand. Aphrod. in lib. de mixt.

Hæc Mesue de simplic. cap. 12.

Quare aqua laxatiuorũ distillata nõ purgat.

Vitiato subiecto, & eius formæ uirtutes uitiantur.

ctum resarciret, uarios per uaria organa distillandi modos excogitarint. Est enim distillatio, humoris per calorem in uaporem resoluti, ac frigore rursum inspissati eliquatio. Si enim absque calore solis, ignis, aut putrefactionis, fit, nempe per licium, penicillum, spongiam, uas figulinum crudum, humoris expressio, aut per cyssimbium, uasculū ex hedera factum, relicta intus aqua, uini per poros resudatio, non proprie distillatio appellatur: sed dum ex uase uitreo super arenam posito, ac floribus referto, aprico solis calore in aliud oblongum humor elicitur, hunc tum distillare recte dicimus. Si uerò de uase fictili, stanneo, aut uitreo, supra furnibulum posito ac fundo eius arena uel cinere ita circumsepto, ut collum eius instar cucurbitæ oblongum, capitello rostri oblongi simili naso resimo coopertum promineat, ignis succensi calore uaporulentus humor extenuatus, & rursus frigore capitelli & aeris ambientis ingrossatus, in ampullam rostro capitelli appensam guttatim defluxerit, id quoque distillationem appellamus. Sed habenda est ratio uel maxima, ne ignis de lignis semiputridis graueolentibus, aut prunis in scrobe suffocatis, aut carbonibus de terra erutis, quos λιθάνθρακας appellant, succensis, suò uirulento uapore uasa distillationis inficiat, & liquores coinquinet. Quàm noxius enim horum uapor sit, cubicula, & hypocausta, & balnea his calefacta testantur: quæ in his diuersantes, non ferendo capitis dolore affligūt, uomituq; & lipothymia prosternunt: id quod in balneis Oenosponti ipse cum illustrissimo principe Palatino grauiter expertus sum. Vnde Galenus meritò redarguit Erasistratū, qui ob aeris densitatem aut subtilitatem perire arbitrabatur inhabitantes, τοὺς ἐν χαρωνίοις βαράθροις, καὶ τοὺς ἐν τῇ νεώστι μεχρισμένῃ οἰκίᾳ τιτάνῳ, καὶ τοὺς ἐξ ἀνθράκων ὀσμῆς. id est pestiferos in Charone baratros, aut

Distillationis definitio.

Cyssiū uas hederaceum, per quod uinū desudat: author Cato.

Florum calore solis distillationis prima species.

Secunda per ignis calorem distillatio.

Carbones fossiles Misnæ & in Aquisgrano habentur.

Gal. libro 7. de util particularum hæc.

Caloris ignei differentias Macrob. in fine lib. 7. Saturn. recenset.

Empyreuma in aquis stillatitijs relinqui.

aut domos nuper calce óblitas, aut carbonum odores: quum potius noxia horum qualitate uaporis interirēt. Verùm in hoc distillationis genere, etiamsi ea quæ natura sunt frigida, solatrū, intybus, lactuca, & id genus, distillentur: empyreuma tamen, id est calorem siccum accidentarium, uelut adusta concipiunt. de quibus Galenus ait, τελέως δὲ ψυχρὸν οὐδὲν τῶν καυθέντων ἐστίν. ἐγκαταλείπεται γὰρ αὐτοῖς, οἷον ἐμπύρευμά τι· ὃ καὶ οὕτως προσηγόρευεν ἀριστοτέλης. id est, Adustorum nullum perfectè est frigidum: relinquitur enim in eis igneitas quædam, quam Aristoteles empyreuma appellauit. Sic atra bilis quoque, quāuis terrestris & natura frigida, quæ ex sanguine adusto gignitur, caloris nō est expers: æquè ac cinis, & acetū. quare peritiores chymistæ, ut ille caloris feruor mitescat, & quasi mulcebrior fiat, minusq; uires euaporent, uasis in aquam feruentem suspensis, quā balneum Mariæ uocant, distillationem hanc moliuntur, quam à priscis Græcorum myropolis didicerūt, qui ob easdem causas olea, unguēta, ex nardo, spica, lasere, aut folio odorifera, in diplomate, etiā sub dio sereno, lignis ἀκάπνοις, id est non fumantibus, & carbonib. prius incendio purgatis, leniter decoquebāt. Qua ratione etiā medicamenta arteriaca, & stomatica, quæ uulgus Arabicè Loch appellant, quoq; olim decoquebant. q̊d Galenus scitè his uerbis, quæ ob Atticismi lepôrem adscribam, inquit: διὰ διπλώματος ἑψῶν, ὅπερ ἐστὶν ὡδὶ ἀγγείου διπλοῦ, καθάπερ μυρεψοὶ τὰ μύρα σκευάζουσιν, εἰς μέγαν τινὰ λέβητα θερμὸν ὕδωρ ἐγχέοντες, δεύτερον ἐνιστάντες ἔχοντα ἐν αὑτῷ τὸ ἑψόμενον φάρμακον, εἶτα προδιακεκαυμένοις ἄνθραξιν ἢ ξύλοις ἀκάπνοις ὑποκαίοντες. Est & tertia quoq; distillationis species, quæ fit uasis distillatorijs medicamento refertis, & in acinorū aceruo aut olearum recrementis, uel fimo obrutis. Horum enim calore putredinali, de medicamentis diu in uase aliquo olei uel uini ardentis liquore maceratis, chymistæ suam quintam depurgant

Gal. libro 9. de simpl. med. Arist. libro 2. de partib. animal. ca. 2. circa finē.

Atra bilis, cinis & acetum, calore participant. Gal. li. 6. de caus symp.

Balneum Mariæ, & decoctio in diplomate.

De coctiōe in duplici uase, hæc Gal. lib. 7. de cōp. phar. part. & lib. 4. salubr.

Loch in diplomate coquēda.

Tertia distillatiōis species calore putred.

gant essentiam, ac salutares instaurandæ iuuentutis & prorogandæ uitæ aquas, & nescio quæ nõ depultricia pestis ac ueneni pharmaca alexiteria elicere promittunt: quib. ut ab auro nomen imponunt, ita auro quoque compensari ea uolunt. Hanc uerò distillationis rationem, pleriq; medici eruditione & rerum peritia clari, ob caloris putredinem & fœtidam fimi euaporationem, qua pharmaca infici uerentur, abhorrent: quippe ἀεὶ γὰρ ἀλιτήρια τὰ δυσώδη, id est, fœtida esse semper perniciosa. Verùm hi non perpendunt, ea de uasis putrefactionis exempta, dum tandem per alembicum destillantur, ab hac putredinis contagione expiari, cũ ignis calor ueneno resistat, & id corrigat. Nam & Hera ex Cappadocia medicus, medicamenti sui stipticitatẽ correcturus, id tres menses sub terrã defodit, & quasi computrescere sinebat: eo ingenio medicamẽti substantiã fieri λεπτομερέστερον, id est, subtiliorum partium, credebat. Hæc uerò destillationum genera, ob uaporum in sublime ascensum, Sublimationes rectè dicuntur. At est alia apud chymistas, per descensum Alberto dicta destillatio, qua olla uitreata, in scrobem terræ defossa, huicq; alia medicamentis referta, in fundo foraminib. pertusa, inseritur, terraq; obruunt: supra quã lignis siccis (ἀκάπνοις) accensis, medicamenti liquor per ollę fundi foramina in ollam inferiorem destillat & descendit: qua ratiõe pleriq; oleum ex assulis lignorum iuniperi, & aliorum, conficiunt. Ferè iam colophonem huic epistolæ addidissem, nisi prius hoc problema explicandum occurreret: nempe ob quam causam iura caponũ, & alia pinguia, quum sint fluxilis & aereæ substantiæ, ægrè sublimentur? An quòd pinguedo supernatans, humori subiecto pelliculam inducit, per quã subditus humor uix euaporare potest? sic oleum uino aut aquis odoratis affusum, ea exhalare non sinit: & raphanus quoq; oleo comestus, de uentriculo eructatiões, quas solet,

Adagium Galeni, ex secũdo in tertiũ Epid. Hippocr. librũ commentario.

Distillationis per calorẽ putredinis correctio.

De medicamẽto Heræ, Gal. de comp. med. part. & gener.

De distillatione per descensum, Albert. in lib. de recta alchym. semita.

Quare pinguia ægrè sublimantur.

Raphanus cũ oleo non eructuat.

ſolet,ciere non poteſt. Ita tibi, quàm breuiſsimè potui,uetuſtam diſtillationis & alchymiæ originē recenſui:cuius artis perfectionem ſi quæſiueris, eius miniſtri utplurimum fugitiui,pro carbonibus cineres, pro metallis & auro cinerū fauillas micantes, tibi in furno relinquent. Vale,& caue.

Alchymia imperfecta.

DE SIRIASI, FEBRILI CAPITIS INFANTIUM ardore,& cordis à cerebro æſtu & refrigerio.

Epiſtola LIIII.

CAudeo certè ex animo,optime Patrocle,patronorū meorum uerè gloria & decus præcipuū, & gratulor, ex eleganti uxore tua elegātiorem tibi natum eſſe puerum Theodorulum,id eſt Dei donum : quem tamē ſiriaſi contabeſcere conquereris. Itaq; ne inſcitia empericorū, & obſtetricū temeritate, tam præclarū coniugij pignus pereat,quid ſit, & unde naſcatur ſiriaſis, & quibus remedijs extirpetur, paucis declarabo. Hic morbus, etſi nō rarò poſt pleiadū occaſum,cū capita deſtillatiōib. pituitę exercent, præcipuè tamen ſirio ardentis leonis aſtro effulgente,& (ut Statius ait)dum calido latrauit Sirius aſtro,infantiū corpora infeſtat,inflāmatione circa cerebri membranulas,ex putreſcēte illic coaceruato pituitoſo ſanguine oborta, cui ſubeſt leuis febriculę feruor quē Plin. ob id capitis infantiū ardorē rectè appellat,græcè uerò σειρίασις (ἀπὸ τοῦ σειριάομαι,id eſt,inflāmor & exiccor)dicta,cuius ſymptomata ob eius feruoris ſiccitatem, ſunt, ſincipitis & oculorū cauitas,pallor,& totius corporis ariditas et cū inſomnijs,uigilia, ac ex cholerę impetu per feruorē ex acerbitate diarrhœa. Noſti ſanè,in capitib. puerorū largiorē coaceruari pituitā, quæ æſtu recaleſcens, mēbranas cerebri feruefacit,ſomniferosq; diſsipat uapores. Vnde Alex. Aphrod. uerus ille à philoſophia medicus, ait:

Stat.lib.1.ſylu.

Plin.lib.20.c.3

Paul.Aeg.li.1. cap.13.

Alex.Aphrod. lib.1.probl.96.

ait: ἡ πύρωσις δὲ διὰ τῶν ἀρτηριῶν κατιοῦσα πρὸς καρδίαν, καὶ ἐκπυρῶσα τὸ ζωτικὸν πνεῦμα, πυρετὸν ἐξάπτει, τ χωρὶς σήψεως. καὶ ἐκχολούμενα δ' ὑπὸ τοῦ πυρετοῦ διαῤῥίζεται λόγῳ φθορᾶς. id est, ut Theod. Gaza uertit: Feruor deinde per arterias descendens ad sedem cordis, & spiritũ uitalẽ feruefaciens, febrem sine putredine accendit. At uerò bilis per febrẽ adaugeri solita, aluũ mordẽs, profluuiũ uẽtris mouere potest. Causam enĩ et originẽ mali esse in cerebro, inde accipimus, ꝙ omnia infrigidantia, ut oxyrhodinũ, succus solatri hortẽsis, cucumeris, sincipiti, frõti, tẽporũq; arterijs, cũ otthonijs applicati, hunc siriasis feruorẽ extinguunt: id q̊d & cucurbitæ ramenta, domesticę præcipuè, præstant. Vnde Diosc. κολοκύνθης, τὸ δὲ ξέσμα αὐτῆς παιδίοις σειριῶσιν ὠφελίμως κατὰ τοῦ βρέγματος καταπλάσσεται. id est, Ramenta cucurbitæ cõtra capitis infantiũ ardores, quos siriasim uocant, utiliter emplastri modo syncipiti imponunt. Hunc uerò feruorẽ à capite per arterias ad cor defluere, id certiss. argumento est. Nutrici prius diæta frigida & humectante indicta, postq; urticas in mortario cõtusas, addito momẽto unguenti διὰ αἰγείρου, q̊d populeon uocãt, arterijs temporũ ac metacarpij applicuerã: singulis uerò quaternis horis innouarã, ille siriasis feruor plus minus biduo extinguebatur citius. Quandoquidẽ his argumẽtis & Alexãdri testimonio, Galenus cõuinci potest, cor ipsum cerebri feruore incalescere, uidemus q̊q;, cũ pituita aduẽtitio cerebri calore liquefacta, supra corporis molẽ destillat, febrẽ ephemeram in spiritib. cordis succendi. Proinde dic quæso Galene, quid obstare possit, q̃uis cerebrũ ut sacra Palladis arx, ingenij & sensuũ domiciliũ, in sublimiori corporis loco, uelut in specula, ob sensuũ organa collocatum, longo interuallo à corde distet, ut non congenito eius frigore, etiam natiuum cordis calorem temperare posit? Quippe quum calor naturalis, cuius cor est infurnibulum, opera naturæ promouere non posit, nisi

Diosc. li. 2. cap. 120. & libro 4. cap. 65.

Vrticæ succus siriasim puerorum curat.

Gal. li. 8. de usu part. reprehendit Aristot. dicentẽ, cerebrũ ob cordis refrigerium esse factum.

Aristotelis à Galeni calumnia defensio.

niſi pro formæ ſpecificę ratione contemperatus fuerit: Natura,inquit Ariſtoteles, idcirco aduerſus cordis ſedem & calorem cerebrum molita eſt,quod calorem feruoremq; cordis moderatur, & temperiem affert. Non quidem hæc ſcribo,ut tanti medicorum principis autoritatē eleuare uelim, ſed ut ueritati patrociner: ſimulq; oſtendam, neminem in omnibus, nec horis omnibus, ſapere. Galenus certè mihi non perſuadebit,aerem per pulmonem inſpiratum, aut per arterias pulſatiles cordis diaſtole attractum,quouis tempore & in quauis regione ſuo refrigerio, niſi & cerebri tepor cōſpirauerit, cordis æſtum ſatis contēperare poſſe. Ideo cum in macrocoſmo terra quoq; ſolis calore ſiccata & calefacta, ſolo ex aere uentorum flatu refrigerari non poſſet:à natura in ſublimi conſtituta eſt media aeris regio gelida, quæ uapores de terra & undis in altum ſublatos.ſuo frigore in pruinam aut imbres cōgelaret, & harum aſpergine terram irrigaret,& nocturno lunæ frigore refrigeraret:ita quoq; natura,ſapiens omnium,& præcipuè in humani corporis fabrica, architectrix, in capite cerebrum frigidum, ueluti lunam, in ſublimi collocauit, ut alteratis ſuo frigore ſpiritibus per arterias cordis,ueluti luna & media aeris regio, ſolis æſtum: ſic quoq; cordis feruorem in microcoſmo temperaret. Sed de his ſatis,ſuperq;. Noui quidem,quàm indecorum ſit mortuis conuiciari. Græcorum enim adagium eſt,οὐχ ὅσιον φθιμένοισι λοιδορεῖν. & Plancum tradunt Pollioni reſpondiſſe,cum mortuis non niſi laruas luctari. Solon quoq; lege cauit, ne quis in defunctos maledicta conijceret. Ego quoq;, quantū fert ueritas,nec uiuis niſi coactus, uel laceſsitus,obtrectare ſoleo.Noui tamen quoq; eſſe ſanctum & pium,pro iuſtitia,pietate & ueritate, ac ſalute proximi, tanquam pro aris & focis depugnare. Proinde miſeret me puerorum,& tui Theodoruli, qui ſolo uagitu & lacrymis ſupplices medicorū & matris opem

Hæc Ariſt.li.2. de partib. animal.cap.7.

Scita lunæ & mediæ aeris regionis in macrocoſmo,cum cerebro in microcoſmo comparatio.

Ariſtot.libro 2 Meteor.

Mortuis non maledicendū, Plin. uterque: hic in prologo,ille in 1. epiſtola libri 8.

Plutarch. in uita Solonis.

opem implorant: quos medicorum auxilio destitui, uel eorũ ignorãtia perire, esset quidẽ facinus flagris dignũ. Ne id accidat, Auicennę de puerorũ siriasi errorem detegere cogor. Vtinam uerò (quod & Galenus noster optat) ne quis nisi propria inuenta, & à se experta, conscribere auderet: tum profectò Auicenna nec uastũ illum canonem aliorum inuentis, nec quidẽ ab eo, nedũ ab eius interpretib. intellectis, ex Rase, Galeno & Aegineta locupletasset: nec salutarium herbarum descriptiones, cum lethaliũ miscuisset, & permutasset: aut omnia apostematum genera pestifera, cum minus noxijs, illorumque curas & nomina, magno mortalium periculo cõfudisset. qui omnia à Rase & Paulo Aegineta de infantium siriasi conscripta, in capitulum de Erysipelate cerebri ad uerbum congessit, ac erysipelas in cerebro esse definiuit. Sed quis nescit, Siriasim capitis ardorem cum erysipelate ex diametro pugnare? Siquidem est erysipelas ex flaua bile circa ceruicem, uterum, crura, & alias quoque corporis partes, cum inflammatione abscessus, aut ut Græci dicũt, ὄγκος ἐκπυρῶν μετὰ φλογώσεως. qui si partem affectam exulcerauerit, tum & nomen naturamque herpetis est hiomeni sibi uẽdicat, & cum febre ephemera non rarò coincidit. Verùm si cerebrum, ut Auicenna arbitratur, obsederit, febre ardentissima corpus affliget: & ut cerebri sphacelus, id est morticinium, tertio ægrotum die perimet utplurimùm. quorum singula siriasi non competunt. Nam siriasis longè est erysipelate mitior capitis morbus & ardor, qui sanguine pituitoso, uel ipsa pituita circa panniculos cerebri putrescente, ac spiritus in arterijs inflammante, cum leui febricula, ut plurimum in æstatis feruore, infantibus accidit: adultis uerò his, quibus, ut Alexãder Aphrodiseus ait, ἢ κεφαλῇ φλέγμα ἢ ξανθὴ χολὴ βραχὺ σωρευθῇ, ἤδε σαπείη, ἢ διὰ τὴν ἀπνοίας δὲ καὶ τὸ πυρῶδες ἀὴρ τὰ πνευματικὰ ἐκπυροῦται. id est, Accidit etiam firmæ ætati siriasis, cũ pituita

Ga.li.8.anató.

Auicenna salutaria cum lethiferis cõfundit.

De erysipela cerebri, Auic. li.3. fen.1. ca.5. ubi siriasim esse cerebri erysipelam falsè docet.

Gal li.14. Method. & ad Glauc.

Hip.li.7.Aph. 51.

Alex.Aphrod. li.1 problẽ.96

redundat in capite, aut flaua bilis parumper colligitur, uel etiam putrescit, & per inspiratione aerei feruoris, spiritualia calore febrili incenduntur. Sed uideo quid tibi obster, quo minus mihi assentiaris: nempe quòd ea remedia, quibus Dioscorides & Paulus Aegineta siriasis feruorem extinguunt, cum frigida sint & humida, erysipelati morbo calido & sicco, æquè censes profutura: ob idq́ eundem quoq́ esse morbum suspicaris. Sed falleris, certè falleris. Ratione enim concoctionis morbi, quæ (ut Galen. ait) est alteratio faciens cessare putredinem, remanente substantia, eadē exigunt medicamēta: si sanè frigida prædicta sincipiti, arterijs temporum, & metacarpij ac frontis, in quarum conceptaculis calor siriasis delitescit & feruet, tum extincto uel alterato in pāniculis cerebri & arterijs calore externo, qui putredinē incendere potuisset, certè eam iam prohibuisti, & morbum concoxisti. Hoc idē eisdem remedijs in erysipelatis cura præstare poteris. Sed quantum ad causam & morbi substantiam spectant, longè diuersis opus est remedijs: quæ morbi substantia, & interna illius causa, tibi indicabunt. Atq́ utinam hæc neoterici nostri seculi medici, qui de puerorum morbis scripserunt, quos Auicēna suis errorib. implicuit, perpendissent: tum fortasse puerorū saluti, & tuo Theodorulo melius cōsultū foret: quē Deus tibi, ut spero, breui sospitem reddet. Vale.

An eadem sint Erysipelæ & Siriasis remedia.

Gal. li. 3. artis paruæ.

AN PRANDIVM COENA FRVGAlius esse expediat. Epist. LV.

Quid Romani imperij proceres in Augustanis cōmitijs, de Magdeburgensium expugnatione decreuerint, nondum diuulgatum est. Verùm illud te latêre nolo, plerosq́ ducum ac Cæsareæ maiestatis archiatros illic apud pharmacopolam Schellcberger conuenisse, & cum datis dexteris alter alterum pluri-

ma salute impertijsset, tum unus illorum infit: Dextræ iunctę amicitiã spondent. & quãdoquidẽ cõuiuium esse amicitiæ philtrum, à teneris audiui, expedire ad amicitiæ cõfirmationẽ, ut collatis symbolis, unà apud pharmacopolã cœnaremus. Tũ alius, ut unà potius prande-remus, suadebat. nam tolerare, inquit Auicẽna, famem, stomachum malis replet humoribus. Tum ego: Prãdendum quidem sobriè, cœnandũ uerò esse liberalius, aiebam. Tum omnes, Auicennam & Conciliatorem Petrum de Appano aliter statuisse, uno ore testabãtur. At ego id eos contra Hippocratis & Galeni decreta, & uetustißimam nec minus salubrem heroũ Troiani belli uictus rationem, præcipere aiebã. Verùm quibus testibus & rationibus id asseruerim, paucis accipe. Nempe si Philemoni creditur, Troiani belli temporibus Gręci experrecti utebantur manè ἀκρατίσματι, id est ientaculo, frugi quidem, quod à surgẽdo διανιςησμόν appellarunt. Deinde uerò ab ortu solis hora diei tertia ἀρίςῳ, id est prãdio. ad uesperam uerò ἑσπερίσμαλ, id est merẽda. deinde post solis occasum δεῖπνῳ, cœna utebantur: quam etiam ἐπιδορπίδα nominabant, quoniam δόρπῳ, prandio succederet. Hæc ueteres. Præterea cœnam ita frugi instituerunt, ut in acratismate solo pane in mero macerato uescerentur. Nam teste Athenæo, acratisma dicitur, διὰ τὸ ἐν ἀκράτῳ βρέχειν ψωμός. Athletæ quoq;, palæstritæ, pancratiastes & pugiles, à Græcis βαρεῖς dicti, quamuis omnifarijs palæstræ exercitijs, & ualentioris alimenti uictu, obœsiorem corporis habitum & robur sibi comparare studerent, interdiu tamen à uarijs ferculis, quorum natura & concoctio dissideret, sibi cauebant: & in prandio solum panem coliphium edebant. At in cœna liberius Genio indulgebant: & præcipuè carne suilla, quia copiosè nutriret, uescebãtur. Horum panis ex flore tritici siligineo, addito fermenti momento, modicè pistus, habebat panis

Auicen. fen.3. lib.1. Conciliator differ. 121.

Athen. lib.1. & Suid.

Quatuor Græcorũ comedendi tempora.

Acratisma, iẽtaculum.

Aristos, prandium.

Hesperisma, merenda.

Dipnos, cœna.

Victus athletarum.

De coliphio paneathletarũ qui dicebãtur βαρεῖς, Gal. li.3. & 5. Salubr. & li.1. de alimẽt. ac Iuuena. sa.1.

Varia fercula obsunt: Macr. li.7. Satur.

De panis speciebus, Athẽ. lib.3. Dipn.

colibi teretem & instar passa *li* oblongam formam. Sic ientaculum & prandium quoque antiquorum solo pane & modico uini cōstabat. Proinde Cor. Cels. ait: Hyeme plus esse conuenit, sed minus & meracius bibere. Si prādet aliquis, utilius est exiguum aliquid, & ipsum siccum sine carne, sine potione sumere. Et Iulius Capitolinus refert, Antoninum Pium Cæsarem, senē iam & silicernium, manè antequā salutatores uenirēt, solo pane sicco robur uirium sustentasse. Est certè tam præsens panis alimentum, ut solo eius recentis ex furno odore Demetrius Cydonius multorum dierum famem facilè tolerauerit: & eius, ac mellis odore cocti, Democritus iā moriturus uitā, donec thesmophoria Cereris sacra finirentur, prorogarit. & Aristoxenus perhibet, Pythagoricos non aliud quàm panē cum melle Attico prandere solitos. Erat nēpe placentę genus, quod ex butiro, semidale, & melle conficiebatur: gratū palatui obsonium. At apud Homerum Eumæus, quamuis subulcus, Vlyssi aduenienti, & nondum cognito, duos mactat porcos, & carne suilla in ueru tosta illi cœnam, addito optimo uino, instruit: ex quibus constat, ueteres longè maiori ferculorum apparatu, & magis oppiparè cœnam quàm prandium instruxisse. Nouerant sanè æthereo Apollinis & Veneris, solis pedissequæ, ac Mercurij spiritu & radijs, qui manè nostrū obsident hemisphęriū, nostras quoque ingenij uires illustrari: quapropter antelucana solis & diluculi tēpora ingeniorū exercitijs, & sapientiæ studijs dicata, sobria esse uoluerūt, ne crapula ingenij acies obtūderetur. Est nāque σωφροσύνη πάντων τῶν καλῶν χορηγὸς, idest, sobria uictus ratio est omniū uirtutis bonorū dispēsatrix. Animus quippe adipe & sanguine suffocatus, inquit Galē. nihil cœlesti meditari potest. Vnde sacer ille uates, & omnipotētis Dei tuba Dauid, nunquam uesperi, sed semper manè & in diluculo Deū in cithara ac psalmis collaudare præcipit. Nam ut mēs ingenijque acumen

[Marginalia: Cor. Cels. lib. 1. cap. 3. — *Antonin. Cæsar pane sicco uescebatur manè.* — Demetrius & Democritus odore panis & mellis uiuebāt Athen. li. 2. Arsenius, & Laertius in uita eius. — *Pythagoricorum prandiū, panis.* — De hac placenta Galen. lib. 5. Salubrium. — De Eumeo subulco, Home. Odyss. 3. — *Mane ingeniū uiget.* — *Præclara temperantiæ, & sobrij uictus laus.*]

acumen manè est longè expeditius, ita nocturna fercu orũ cœnæ concoctio est diurna longè uegetior, & mul tis nominibus magis exacta. Primùm, ratione nocturni & humidi lunæ splendoris, quod his uerbis Daphnus apud Athenæũ medicus scitè declarat: ὠφελιμώτερά ἐστι, φίλτατε, τῷ παντὶ σώματι τὰ νυκτερινὰ δεῖπνα. τὸ γὰρ σελήνης ἄστρον πρὸς τὰς τῶν τροφῶν ἁρμόττει πέψεις, σηπτικὸν ὑπάρχον. κατὰ σῆψιν δὲ, ἡ πέψις, εὐσηπτότερα γοῦν τὰ νύκτωρ θυόμενα, τῶν ἱερείων, καὶ τῶν ξύλων τὰ πρὸς τὸ σελήνιον κοπτόμενα, καὶ τῶν καρπῶν δὲ πλεῖστοι πρὸς σελήνιον πεπαίνονται. id est: Conducibiliores sunt, ô amice, omni corpori nocturnæ epulę. nam lunæ astrum ad cibariorum concoctiones multum confert: est enim putrefactiuum. concoctio enim quædam putrefactio est. Victimæ sanè noctu in sacrificijs mactatæ, sunt digestibiliores. nam & ligna ad lunæ splendorẽ cæsa, citius putrescunt: & fructus quidam maturescunt. Deinde plura & ualentiora alimenta in cœna, quàm in prandio, ratione caloris naturalis, qui concoctionis opifex, nocturno frigore & somno augmentatur, esse offerenda, aduersarium hac ratione conuincemus. Nam perinde ut integer annus proprio solis per duodecim zodiaci signa motu dimensus, quatuor qualitatibus discreta habet tempora: sic pariter naturalis dies, motu solis per duodecim animalium circuli signa commensuratus, quatuor quoque dispária habet tempora. Aurora quidem leni tepore uernat, meridies solis æstu incalescit, crepusculum instar autũni qualitates aeris euariat: deinde nox, altera hyems, frigore torpet, quo pori corporis, ne calor naturalis diffletur, constringuntur: qui diurnis uigilijs, corporis, ingenij, sensiumq; laboribus dissipatus, à solis occasu, ingrauescente frigore, interna præcordia & uentriculum, primariã cõcoctionis officinam, subit. Quare rectè Hippocrates inquit: Ventres hyeme & uere natura calidissimi sunt, & somni longissimi. quare per ea tempora alimenta copiosiora sunt exhibẽda,

Quare noctu cibus melius digeratur.

Luna cõcoctionem promouet. Athe. li. 7.

Quid sit ualẽs alimẽtũ, Cor. Celsus li. 2. ca. 17. declarat.

Tẽporũ anni cum diei partibus collatio.

Hip. li. 1. Aph. 15. & Gal. De doct. Hipp. & Plat. li. 8. Arist. sect. 24. Probl. 13.

da. Etenim tum calor innatus plurimus est: unde & pluribus egent alimentis. Atqui cum nox, somno dicata, frigore hyemi correspondeat, quis ad noctem copiosius cœnandū esse, q̄ prādendū, inficiabitur? Nemo. Accedit ad hæc somnus, q̄ ut interna omnia magis calent, uirtutes quoq; & spiritus naturales plus uigēt: quæ etsi nullas habēt ferias, tamen cū uirtutes & spiritus animales, ex his nati, suo fungūtur officio, in uigilijs magis dissipātur. Ad exactam quoq; cœnę digestionē, temporis lōgitudo ab ea ad prandiū usq; plurimū cōfert: quippe quæ duplo, prādij ad cœnam usq; interuallum superat. Vnde Galenus de Conualescētium uictu: Semper, inquit, studebimus, ut ualentius alimentum uesperi exhibeamus: quoniam non solū quies & somnus, sed etiam lōgius tēpus, naturalē huius cōcoctionē excipit. rationabile est igitur, ut ualētiores ciborū hoc tempore offerātur. Quod athletę omnes, ratiōe & experiētia edocti cōprobarunt. Ex his clarè perspicis, hanc prādendi, uberiusq; cœnādi uictus rationē, ut sanis & à morbo cōualescentibus salutarem, ueteres medicos, pædotribas, ac gymnastas summopere approbasse: nisi à teneris alia edendi cōsuetudo, quæ ualidas & nullo modo neglígēdas indicationis diętæ uires habet, obstitisset. Qualis uerò ægrotis uictus ratio competat, patientis uires, natura & tempora morbi apertè indicabunt. Quorum diæta, in hoc uno cum sanorum conspirat, q hi dū corpus quiescere posit, illi dum morbus quiescit, remittit, uel dat aliquas inducias, commodè cibari ac uires reficere possunt. At in ualetudinarijs lōgè diuersa est uictus ratio, q̄ in sanis. Sunt nāq; ualetudinarij quidā, quorū uentriculus ob imbecillitatē, aut sensus neruosi eius orificij acuitatē, ἀσιτίαν, id est inediā non fert. Postq̄ enim epar & splen per uenas portæ & mesēterij ex eo chilū suxerint, tū ipse alimenti indigus, ieiunijq; impatiens conuellitur: aut per easdē uenas de præcordijs rursum noxios

Hæc Gal. lib. Meth. 7. copiose docet.

Cōsuetudinis in diætādo uires, Hip. lib. 2. Regimin. acu. declarat.

Hip. li. 1. Aph. copiose docet.

Alia prandēdi cœnandiq; ualetudinariorū quàm sanorum ratio.

Qui inediam ferre non possunt.

xios in sinū suum humores allicit, quorū ad cerebrū exhalatione uertigo, scotomia, aut nisi tempestiuè pastus fuerit, ob stomachi cū cerebro cōsensum, epilepsia accersitur. Sic Diodorus grāmaticus, si irasceret, aut ludi literarij negotijs aut forēsi actiōe occupatus, paulo diutius inediā sustineret, morbo comitiali corripiebatur: donec Galenus illi suasera t, ut ad roborādū stomachū quouis mane ἀκρατίσματι, iētaculo, scilicet pane in uino subacerbo macerato, uteretur: q̄ stomachi subsidio, uir ille 20 annis integra inculpataq; ualetudine uitā trāsegit. Et q̄b. uēter imbecillis & frigidus copiam ciborū concoquere noctu nō poterit, si postero die uētriculus cibariorū odore eructauerit, & hypochōdria flatu suspēsa turgent, Hippocrates his diu ob humorū cruditatē dormire, ac corpus straguli tepore fouere ac exerceri, & plus meri bibere, parciusq; isto die cœnare suadet. Et quib. ob uenarū in uiscerib. obstructiōes alimētū non distribuit, ac cibi recremēta in stomacho relicta, humida & cruda p aluū deijciūtur, hos panē bene in furno tostū, ac uino intritum comedere, & uinum bene temperatū bibere, ac μονοσιτεῖν, semel tantum comedere, uel uno tantum cibariorum genere uesci, & à cibo quiescere iubet. Quibus uerò semel, bis, aut crebrius in die parum uel plus cibi offerendum, id ualetudinis natura, anni tempus, edendi consuetudo, ætas, ac naturales hominis uires, medico perito facilè indicant. nam si hę imbecilles, ut in senio effœtis, & cōualescētibus extiterint, illis quidem crebrius, sed pro una uice parū cibi offeretur: quoniā in his calor naturalis exilis, cōgesta alimētorū copia, ut ignis coaceruata lignorū strue, suffocaretur, nec eā uentriculi uires conficere possent. Proinde Galenus à morbo conualescentes, ad recuperandas uires ter in die cibare consueuit. Sic Antiochus medicus, plus quàm octuagenarius, ter in die comedebat: nec tamen desidem uitam domi egit, sed quotidie in forum ad ciuiū con-

De Diodoro grammatico, hęc Gal. de cura per uenęsectio. & li. 5. De lo. affect. ca. 5.

Cruditate laborātiū dięta. Hip. in fine libelli de salub. dięta.

Has dietæ indicatiōes, Hippoc. li. 1. Aph. 17. & lib. 2. reg. acut.

De senū diæta Gal. li. 5. Salu. Paulus lib. 1. cap. 33.

Gal. li. 7. Met.

concilium,& ad uisendos ægros, ad trium stadioru͠ iter pedes conficiebat. si quò longius progrediendum erat, tum in sella deferebatur, aut in uehiculo uehebatur. postea, deiecta prius aluo, in aliquo fori loco, remotis arbitris, circa horam diei tertiam uel quartam, panem cum melle Attico edebat. Deinde aliquid legens ipse, aut cum alijs de rebus grauioribus communicans, usq; ad horam sextã diei in foro perseuerabat: deinde in balneo publico, frictione & exercitijs senili ætati opportunis curatus, domi mediocriter prandebat. primùm his acceptis quæ aluum laxant: post hæc piscib. maximè quos saxatiles uocant, uel qui in alto mari degunt, uescebatur. at in cœna à piscib. abstinuit, & aliquid boni succi, quod non facilè putresceret, ut alicam ex mulso, & auem iure simplici incoctam edebat, merumq; bibebat. Hac ratione uictus Antiochus in senio usus, sensibus illæsis, mẽbrisq; omnibus integris, ad extremũ uitæ durauit. At Telephus grammaticus, Antiocho ætate prouectior, centum annos natus, diebus quibus non lauabatur, circa tertiam diei horam, cum exigua fricatione oleo inunctus, mox mel optimum crudũ, alicę in aqua coctę permixtum, edebat: eoq; solo pro ientaculo contentus fuit. prandebat hora septima, aut paulo citius, primùm oleribus, deinde piscibus, aut auibus comestis. Vesperi tãtum panem uino diluto madidum edebat, uinumq; senilis ætatis nectar bibebat. Quamuis uterq; senex ferè magis sobriè cœnauerit, q̃ pransus sit: nõ tamen id euertit, q; sanis liberalius cœnare quàm prandere, salubrius esse dixerim. Non enim hęc sunt sanorum, sed ualetudinariorum uictus paradigmata. Nam, ut Aristoteles ait, senectus ipsa morbus est: & Græcorum parœmia τοὺς γέροντας δὶς παῖδας, senes bis pueros asserit. Decrepitos igitur, ut pueros quoq;, pauco alimento, sed crebrius reficere, instar ellychnij in lãpade oporret, quod frequẽtem exigit olei suffectionem: quam si confertim affuderis,

De Antiocho & Telepho senibus, hæc Galen. li. 5. Salub.

De senili uictus ratione, hæc Hipp. & Gal. li. 1. Aph. 13. & 14.

ris, ellychnium extingues. Sunt & in hac ualetudinariorum uictus classe, qui cerebrum infirmum, frigidius & humidius, quàm temperamentum exigit, habent. Cum enim, ut Aristoteles inquit, alimentum per uenas sursum respirat, excrementum eius, ob loci uim refrigeratum, fluxiones pituitæ mouet, quę illic instar imbrium in aere generant. Cum enim ex terra uapor exhalat, à caloreq; effertur in sublime, ubi supernũ aerem subierit, frigidum, consistit: denuoq; in aquã, propter refrigerationem, & in terram defluit. Aut si magna paruis conferre licet, quemadmodum in Chymica mineralium, aromatum & herbarum destillatione, illorum uapor ui ignis in sublime cooperculum effertur, & eius ac aeris ambientis frigore in liquorem condensatus, in subiectum receptaculum defluit: sic de uberiori cœna uapor per uenas in cerebrum sublatus, quem cum naturales cerebri uires ob copiam eius concoquere non possunt, illius excrementa frigiditate cerebri in liquorem condensatæ, ad oculos, aures, & in subiectas capiti partes destillant: unde ophthalmia, tabes, & mille ex catarrho morbi nascuntur: in quibus parcius cœnare quàm prandere, non dissuaderem. Habes modò, quæ obiter de ueteri prandij & cœnæ usu illis recensui. Illud tamen uelut corollarium cœnę adijcere, & te admonere uolui, ut ab amicis in cõuiuium accersitus, omni ab animo excusso mœrore, alacris intersis. Nosti sanè, uentriculi orificiũ, quadam lege consortij, per consensum cordis affectib. quoq; affligi: quod & ueteres, & nostrates quoq; uel hodie, ob id cor appellant. cum quibus & cerebrum, tertius huius fœderis collega, q̃q; conspirat. Vnde Diodorus grammaticus ira percitus, epilepsia corripiebatur: & tristes non fastidire modò cibum, sed acceptũ quoq; rursus euomere, uidi. Vale.

De catarrhi & pituitæ generatione, hæc Aristot. libro 2. de part. anim. cap. 7.

Vnde Cor. Celsus lib. 1. cap. 4 caput infirmũ habenti modicum uictum præscribit.

De Diod. hoc Gal. lib. 5. de locis affect. ca. 5.

F DE

DE SILIGINE, ET EX EO *pane, & azymo.* *Epist.* LVI.

TAbellarius tuus mihi retulit, te nõ tam quib. ferculis cœna illa à pharmacopola medicis condicta, opipare instructa sit, quàm quo ænigmatum ac problematum sale & lepôre à tam raræ eruditionis uiris fuerit condîta, scire magnoperè desiderare. nõ enim eos in tacita Pythagoreorum schola, aut cum Areopagitis (qui Athenis in tẽplo Martis tacentes iudicabant) cœnasse. Et quidẽ rectè arbitraris. nam silentium cubiculum, non conuiuium decet. quum eñ animus mœstus cibũ abhorreat, conuiuas esse alacres, ad cibi concoctionem non parum expedit. At uerba, inquit Macrobius, non minus quàm uini dulcedo exhilarare conuiuium. unde nobile illud uinum Nepenthes, quod Helena propinauit Telemacho, præclarum mœroris pharmacum, non erat radice Oenopiæ ex Aegypto allatæ, uel aliquo aromatum ex India succo, sed lepida de heroum Troiani belli stratagematibus confabulatione conditum, qua mœrorem ex animo Telemachi sustulit omnem. Sic cœna nostra non tantum ferculorum apparatu, & aromatũ illecebra, pollucibilis: sed eruditorum uirorum colloquio iucunda. Quũ igitꝰ primùm esu nasturtij ex acetario stomachum languentem incitassent, & ferculis primę mensæ penè saturi, animumq; mero exhilarassent: his sublatis, symposiarcha noster mala cottonea, citria, arantia, illorumq; cortices, pira, mespila, condîta quidem, & uaria quoq; ex sacharo & melle confecta τραγήματα ac πέμματα, quæ Latini secundæ mensæ bellaria appellant, in phialis uitreis & argenteis apposuit. & ne illorum dulcedine lingua imbuta, uinũ insipidum appareret, Critobulus ex Thuringia medicus, panem ex purissima siligine confectum

Colloquiũ exhilarat conuiuium.

Macrob. lib. 7. Satur. Gellius lib. 13. cap. 11.

De Nepenthe Hom. Odyss. Δ

Macrob. lib. 7. Saturn.

De bellarijs hæc A. Gell. li. 13. cap. 11.

fectum popoſcit. Tum Grimaldus, ex Auſtria medicus: Nequaquam, inquit, ex ſiligine, ſed panem ex optimo tritico, quem robum appellant, in clibano piſtum, artopœus nobis afferat. Ignoras, inquit, Critobule, clariſsimos ex Hiſpanijs medicos nobiſcum diſcumbere, in quorum terris ſiligo non ſeritur, & qui ob id non atro ex ſiligine pane, ſed ex tritico tantum ueſcuntur? Tum Critobulus: Sanè, inquit, ô Grimalde, intelligo quid ueterib. ſit ſiligo, te planè ignorare. Veteres enim ſiliginem non modò alterā tritici ſpeciem, in quam triticum in uliginoſo loco ſatum, tertio anno degenerat, ſed eſſe quoque à furfuribus depuratiſsimam ex tritico εὐγενεῖ, id eſt generoſo farinam putarūt, quam Plin. tritici delicias appellat. unde Cornelius Celſus: Ex tritico, inquit, firmiſsima ſiligo. & idem Plin. ait, Ex ſiligine lautiſsimus panis, piſtrinarum opera laudatiſsima. Summa enim laus panis, ſiliginis bonitate, & cribri tenuitate cōſtat. Similago, inquit, ex tritico fit laudatiſsima, quæ Græcis σεμίδαλις dicit. unde Galen. ad Glauconem ait, ἔνιοι τῶν πυρῶν πλεῖστην ἔχουσι σεμίδαλιν, οὓς δὴ γεννὰς προσαγορεύουσιν: Quoddam triticū plurimam ſemidalim habet, quod generoſum appellant. ex hac exquiſitè à furfure depurata, panis piſtus ſilignitis: qui uerò parum ab illius puritate defecerat, ſemidalitis dicebatur, id eſt ſimila. Vnde uel hodie adhuc Lembergi, in meo natali Schleſię oppido, panis triticius ſemel appellatur. atq; hic inter genera panis primas obtinet. Vnde Pſellus inquit, panis ex polline tritici ſiliginaceus recens, odore omnes capitis ſenſus recreat, ſpiritus confirmat, & uires reficit infirmas. Conficiebatur & panis ex tota tritici molis exactius fracta ſubſtantia, non diſcretis cribro furfuribus, αὐτόπυρος à Celſo & Galeno dictus, ἐπειδήπερ ὅλος αὐτὸς ὁ πυρός, ἀδιακρίτως ἀρτοποιεῖται. Iſte quoque panis, ob farinæ cum furfuribus commixtionem, Dioſcoridi ſyncomiſtus dicitur:

Siligo ueterū, purior tritici farina: Plin. li. 18. cap. 8. & 10. ac 11. Celſ. lib. 2. cap. 17. De tritico hęc Columell. li. 2. cap. 6. & 9.

Gal. libro 2. ad Glauc. cap. de abſceſsibus.

Panis ſilignitis & ſemidalitis.

Pſellus libro 2. de uictus rat.

De his ex tritico panis ſpeciebus, Gal. li. 1. de facult. alim. & libro 2. ad Glauc. Celſus lib. 2. capite 17. Athen. libro 3. Dipnoſoph.

Ex tritici, ait, ſimilagine panis ualētius eo nutrit, à quo nihil furfuris cribro excuſſum fuerat, quem ſyncomiſton appellant. Sed panis qui ex trimeſtri tritico fit, leuior erit, & facilimè digeritur. Trimeſtre namq; triticū Martio menſe ſeritur, ruſticis pergratum: & tertio menſe metitur. Hinc apud Philillium comicū ſeruus inquit, αὐτὸς φέρων πάρειμι πυρῶν ἐκγόνους τριμήνων. id eſt, Ipſe adſum, afferens trimeſtris tritici ſoboles: id eſt, panes.

Trimeſtre triticum Sitaniū quoq; dicitur. Dioſc. li. 2. ca. 76. & Colum. ut ſupra. Pli. li. 1. cap. 8.

Concors certè eſt medicorū ſententia, panem ex pura tritici ſiligine, ſilignitim, plus alere, ſed meatus quoque obſtruere: ſyncomiſtum uerò, ut Triphon Alexandrinus ait, εἶναι διαχωρητικώτερον τοῦ καθαροῦ, id eſt, melius ſubducere aluum. Accipis ne igitur Grimalde, ait, claſsicos utriuſq; linguæ autores exquiſitè puram tritici farinā; & ex ea panem, ſiliginem, ſimilaginē, & ſemidalim dicere, unde panis σιλιγνίτης, id eſt ſiligineus conficiebatur? Tum Grimaldus reſpōdit: Si erraui, ignoſce. ſeductus à Platina, autore nō proletario, erraui. is enim, Siliginem (inquit) Aphricanam, cuius panem ueteres laudabant, nequaq; ſimilē huic crediderim, qua noſtra ętas ueſcit, cum nullū genus panificij hoc ſit inſuauius, & quod auiditatē edendi minus utiliter comprimat.

De trimeſtri tritico Pollux libro 6. ex quo fiebant panes ſitanij.

Epilogus.

Platina de honeſt. uolup. li. 1

Tum Critobolus: Non errat, inquit, Platina. ex Aphricana enim tritici ſiligine panis lōgè, q; ex noſtra illa uulgari Germanorum ſiligine, Italis & Hiſpanis ferè incognita, delicatior conficiebat: quam alij eſſe antiquorū typham, alij olyram contendunt. Theodorus Gaza, fidus Ariſtotelis ac Theophraſti interpres, ꝓ olyra ſubſtituit ſiliginē. At eſſe diuerſa, uel hac ratione conſtat. Triticum quidem, & ſiligo, ac hordeum, teſte Plinio, in area exterunt: zea uerò, cuius ſpecies eſt olyra, mola exteritur, & cum ſuis folliculis ſerit. noſtra uerò ſiligo à gluma, ut triticū, depurata ſerit. At olyrā Aphricanā eſſe ſiliginē, Plinius his uerbis affirmat: Ex ea dulciſsimus inquit, panis fiebat. ipſa ſpiſsior eſt q; far, & maior

Germanorum ſiligo.

Plin. li. 18. c. 7.

Olyra ſpecies zeæ, id eſt ſpeltæ. Dioſc. lib. 2 cap. 81. Gal. li. 1 de facult. alimentorum.

Plin. li. 18. c. 10, Aphricanam ſiliginem appellat olyram.

ſpica

ſpica eadem, & ponderoſior. rarò modius granorum eius non xvi libras farinæ adimplet. exteritur in Græcia difficulter, ob id iumentis dari Homerus tradidit. Hæc enim eſt, inquit, quam uocant olyram. Olyra uerò Italię copioſa, à Gallis arinca dicta, ipſis & Aegypto peculiaris. Vnde Herodotus lib. 2. ait: αἰγύπτιοι ἀπ' ὀλυρῶν ποιεῦνται τὰ σιτία, ἃς ζέας ἕτεροι καλοῦσιν. Olyrinis uerò panibus, ex olyra pōderoſa factis, poſt triticeos, deinde ex typha typhinis, dum adhuc calerent, præcipuā laudem ueterum palatus tribuebat. Eſt namq; typha, teſte Galeno, & ut Ruellius Pariſienſis medicus uertit, cereale frumentum: cuius granum gluma uelut triticum & hordeū ueſtitur, pinſituq; totū in panes denſat. color illi tritico flauior: corpus eius ſtrigoſum, tritico exilius, unde & paruum triticum Græci appellarunt. Grana typhę cum ſapa aut defruto cocta, adiecto ſalis momento, ut triticum manduntur: adeoq; eſſe ueſca conſtat, ut Homerus typham Hectora ſuis equis obtuliſſe tradiderit, cum reliquum triticum equis ualde noceat. Sunt enim, ait Theophraſtus, illa duo, ſemen & typha, tritico perquàm ſimilia. His perſuaſus, noſtram uulgarem ſiliginem potius eſſe typham, quàm olyram ſuſpicor. Tu uerò Grimalde, ſi quid rectius docere poteris, libenter tibi lampada tradam. Tum Grimaldus aiebat, hanc de frumentorum ſpeciebus diſceptationē ideo eſſe ualde ambiguam, quòd (ut Plinius refert) nō eadem ubiq; ſint frumenti genera: & ſi eadem, neq; tamen ubiq; iiſdem nominib. appellentur. & ideo ſe deliberaturum: ac ſi quid rectius inuenerit, id in proximo conuiuio ſe quoq; dicturum promittebat. Aderat tum quoq; Philotheus, Auguſtanæ urbis parrochianus, ſatis eruditus, qui: Appropinquat, inquit, ſolenne non Iudæis tantum, ſed etiā Chriſticolis uenerabile azymorū feſtū, ob angeli & Iudæorū ex Aegypto pertranſitū. quum enim angelus afflictionis uniuerſa Aegypti pri

De typha hæc Galen. lib. 1. de alimentis, & Theophr. lib. 7 cap. 4. & 9.

Plin. lib. 18. c. 8

De feſto azymorum, Exodi 12. Leuitici 23. Paul. 1. Cor. 5.

mogenita cæde lustraret, ac domos Israelitarum in superliminaribus sanguine agni immolati tinctas solùm præteriret, Paesah, id est transitus, uulgo Pascha dictũ est. Quod Moises & Aaron moniti Dei oraculo instituerunt, ut quotannis decimaquarta die mẽsis Martij, quem Nisan appellarunt, initiumq; anni statuerant, & qua die populus Israel duce Moise Aegyptij Pharaonis seruitutẽ egressus erat: ut ad uesperam singulæ domus, cuius incolæ ad esum agni sufficerẽt, agnũ immaculatũ & anniculũ, illæsis ossibus, mactarẽt: & tostum stantes calceati & baculis innixi hac nocte totũ celeriter ederent: & si quid relictũ foret, manè adurerent: ac unà cum lactucis amaris, nec alio pane usq; ad 21. Martij diem q̃ azymo uescerent. his enim diebus septẽ, fermentũ habere in ædib. nephas erat. Et addidit parrhochianus: Quamuis pascha nostrũ immolatus est Christus (ipse enim uerè est agnus, q̃ abstulit peccata mundi) uerùm quũ Paulus iubeat Corinthios, uetus expurgare fermentũ, ut sint noua cõspersio, & azymi sinceritatis: & nullus Theologorũ hactenus, quod ego sciam, docuerit, qua panificij industria panes azymi conficerentur, id (ait) à uobis medicis scire magnopere desidero, qui tam doctè de alijs panis speciebus disseruistis.

Macrob. lib. 1. Saturn. cap. 8. de mẽse Mart.

Tum Critobulus: Panes, inq̃t, illos infermẽtatos, quos Hebræi septẽ diebus in festo azymorũ edebant, de placentarũ censu fuisse bellaria, quæ Græci πέμματα uocant, suspicor. Verùm cũ in Germania nusquã locorũ, quantũ ego cõperi, ex melle, semidale, ouis, butyro, & casei detrimentis, placentæ, itria, lagana, rhyemata delicatius, ac panes quoq; in ueru tosti obeliti conficiant, q̃ in Schlesia: præcipuè omne ex melle, siligine, addito pipere & zinzibere liborũ genus: æquũ esse arbitror, ut Langius noster, ex Schlesia medicus, de his disserat. Tũ ego, ne asymbolus cœnasse iudicarer: Longè, inq̃, ô parrhochiane, illa Hebræorum agni paschalis cœna,

Placentarum genera.
Athen. libro 3. & 14.
Schlesia libis abundat.

haæ

hac nostra adijciali fuit sacratior, in qua lege Mosaica cautũ erat (teste Suida) ut omnes panis fermentati reliquiæ, hora sexta, diei mẽsis Martij decimæquartæ, qua festũ azymorũ auspicabant̃, & primũ clangor tubæ obstrepuisset, comburerent̃, & solis panib. infermentatis uescerent̃. Et recte, inq̃, sentis Critobole. panis nempe ille absq; fermẽto dulciarius, de genere placentorũ ex farina tritici caseo & melle in clibano, sub testaceo coo perculo coctus, inter Græcorũ pemmata censebatur. unde Galen. lib. 1. Alimentorũ: Quæcunq;, inquit, azymorũ pemmata in clibano coxerint, exempta statim in mel calidum conijciunt, ut penitus melle imbuantur. & hæc, inquit, de placentorũ genere sunt. & lib. de Alimentis boni & mali succi: πᾶν (ait) ἄζυμον ἐκ πυροῦ πέμμα, καὶ μᾶλλον ὅταν ἐπὶ τοῦ πυροῦ τι προσλάβῃ, παχύχυμον ἱκανῶς ἐστιν. id est, omne ex tritico pistoriũ sine fermento opus, pemma dictũ, præcipuè addito caseo, lentos crassosq; humores generat. Illud quoq; pemmatũ genus ueteres rei agrariæ scriptores libum appellabant, cuius compositionis exemplar M. Cato nobis tale præscribit. Libũ, ait, hoc modo facito. Casei pondo ij, in mortario bene distereat. ubi bene distriuerit, farinæ siligineæ libram; aut si uoles, tenerius esse, selibram similaginis solũ eodem indito, & permisceto cũ caseo bene. ouũ unũ addito, & unà bene permisceto. inde panẽ facito, folia subdito, in foco calido sub testa decoquito leniter. Nec Hebræi tantũ pascha celebraturi, sed etiã in pagis Græcorũ agricolæ sacris operaturi, pane azymo uescebant̃. unde Galenus libro 1. de Alimentorũ uiribus, ὅ γε μὴν τελέως ἄζυμος, οὐδ᾽ ἐνὶ χρήσιμος, εἰ καὶ τυροῦ προσλάβοι, καθάπερ ἐν τοῖς ἀγροῖς παρ᾽ ἡμῖν εἰώθασι σκευάζειν ἑορτάζοντες. id est, Panis exquisitè azymus, nec uni utilis, præcipuè si caseo participauerit: quemadmodum circa Pergamum agricolæ festa celebrantes, præparare solent. Fermentũ enim suo feruore mazam panis friabilem,

insum-

Suidas in dict. ζύμη.

De uaria panis azymi præparatione, Leuit. 2. Gal. lib. 1. de aliment. uirib. & lib. de bon. & mal. suc. al.

M. Cato de re rust. cap. 75.

Græci et rusticolæ in celebr. festor. azymis uescebantur.

De ferméti uiribus, Didym. in Constant. Cæs. geopon. lib. 2. Plin. li. 18 ca. 11. Galenus ut suprà.

insumpta eius uiscositate, efficit: illiusq; dum turget flatus, discutit, faciliusq; digerit. Quare saluberrimus est panis, qui plurimum salis & fermenti participat: cuius maza primùm manibus bene subacta, ac depsita, tandē probè in clibano aut furno decocta fuerit. at panis infermentatus, quamuis corpus impinguat, si bene digestus fuerit, quo & athletæ ob id saginabantur: uiscidos tamen humores generat, aluumq; & uiscera obstruit. Omnes tamen panes azymi, ut in Geoponico Didymus ait, *οἱ ἄρτοι ἄνευ ζύμης γινόμενοι, ἐνεργητικώτατοί εἰσι πρὸς τὰ ἀφροδίσια*, uenerem torpentem excitant.

Panis azymus ueneris incitabulum.

Sed quia iam, inquam, hesperus nostrum conscendit hemisphærium, his ferculis & panibus saturi, quisq; domū concedat, & symposiarches, uelim, ut à parrhochiano nullū symbolum conuiuij, hac cōditione exigeret, ut in proxima concione de panibus primitiarum ac propositionis, azymis quoq; (quibus Abimelech sacerdos Dauidem fugitiuum cibauit; quos sacerdotes edere tantum fas erat) nos certiores reddat.

De panib. propositionis, Exodi 25. & 1. Reg. 21. Matt. 12. Iosephus libro 3. Antiqu. cap. 9.

Ad hæc omnes, iam somnolenti, capite oculisq; annuebant: & accensis tedis, quilibet lætus domum redibat. Cæterùm de his conuiuij problematibus, quid tu quoq; sentias, proximè rescribere poteris. Vale.

DE PTISSANA, OMELYSI, ET POlenta. *Epistola* LVII.

QVVM saluberrimus ptissanæ cremor ab omnibus medicis in salubri uictus picrocholorum ratione, & acutorum morborū febriumq; cura decantet, adeò ut nulla sit in libris medicorū ptissanæ sorbitione magis protrita, & cuius præparatio sit magis ignota, & usus penè exoleuerit: quæris, qua caussa id acciderit. quod breuiter docebo. Olim enim, ut Plinius tradit, uulgata erat ptissanæ conficiendę ratio, & om-

Plin. lib. 18. c. 7.

& omnibus ita uel cocis obuia, ut illius confectionem conſcribere nulla neceſsitas urgeret. Quum uerò obliuio, uetuſti temporis filia, inuenta antiquorum, niſi monumentis cōcredita fuerint, facile obliteret: euenit quoque, ut ptiſſanæ præparatio, à nullo exactè conſcripta, memoria & uſu hominum exciderit. Quare operæprecium me facturum arbitror, ſi tergeminæ hordei ſobolis, ptiſſanæ, omeliſeos, ac polentæ progeniem deſcripſero. Eſt ſanè ptiſſana ex hordeo in pila contuſo & decorticato pulmentarium, ſorbitio, uel cremor: id eſt, lac uel ſuccus ex grano in aqua macerato elicitus. Vnde in conuiuio Dipnoſophiſtarum, de ptiſſana griphus ſpargebatur, κριθῆς ἀφλοίου χυλὸν ὀργάσας πίε: id eſt, ſuccū hordei decorticati manibus depſitum bibe. πεποίηται δὲ, inquit Athenæus, τὸ πτισάνης τοὔνομα ἀπὸ τοῦ πτίσσειν, id eſt tūdere, καὶ αὔειν: id eſt, ut Heſychius interpretatur, hordeū aqua maceratum à gluma purgare & eluere. Genuina enim olim erat confectionis ptiſſanæ ratio, ut hordeum maturum, medulla plenum, non ſtrigoſum, ſed adhuc crudum, aqua irrigatum, manibus chirotheca ex canna bi uel ſparti tela (ex quo & iumētis, ne ungulæ attererētur, calcei nectebantur) ueſcitis fricarentur fortiter: donec exterior cortex, relicto tamen adhuc interno eius acere, quo farina continetur, bene abſtergeretur. Hoc tandem ſic, ut Didymus docet, bis ſubactum manibus, ac ſole ſiccatum, in pilam coniectum, uelut in mola truſatili pinſebatur: & ſic contuſum cum ſuo polline, ad neceſſarios uſus in uaſe fictili condebatur: ex quo ptiſſanæ ſorbitiones, pultem, & cremorē decoquebant, quæ ſingula medicorum Arabiæ interpretes aquam hordei appellant. Apud quos erat gemina ptiſſanæ decoctio, unam nempe, hordei ſic præparati libram in olla uitreata cum aquæ ſalubrioris libris xx. donec huius pars dimidia, uel partes duæ inſumerentur, decoquebant: & hanc aquam hordei lenitiuam, & ob interioris corticis

De ptiſſanæ etymologia hæc Athen. li. 10. dipnoſ. Pollux li. 6. ca. 10. & 11.

Didymus in Geopon. Conſtātini Cæſ. li. 2. & Gal. lib. 1. de Aliment.

Ptiſſanæ ſecundū Arabes decoctionem docet Meſue in cap. de pleuritide. & Arculan. li. 9. ad Almāſ. c. de phrenitide id repetit.

Ptiſſanæ uires. Gal.lib.8.Metho. declarat.

acredinẽ abſterſiuã,& medicinalẽ potũ appellabãt.Alterã uerò tali artificio cõcinnabãt.accipiebãt hordei decorticati, ac cũ pãni rigidi frictione depurati lib. 1. quã in olla quoq; uitreata lento ignis calore, prius tamen aqua calida pluries lotã,in x lib.aquę unica ebulitiõe decoquebãt:qua diffuſa,alias xx aquæ lib.affundebãt: & donec dimidia pars aquę euaporaſſet, deferuere ſinebãt.Hãc nõ,ut priorẽ,abſterſiuã,ſed quia aſperitatẽ pe-

Ptiſſana ſitim edat.

ctoris demulceret,uẽtrẽ lubricaret,ꝑcordia humectaret ſitimq; leuaret, Græci ἄδιψον, Arabes cibũ medicinalẽ & hordei apozema, id eſt elixationẽ appellarũt. Prima uerò hordei ſimplex decoctio per colũ traiecta, à Græcis χυλὸς πτισάνης, ſuccus ptiſſanę colatus, à latinis uerò

Ptiſsana colata & integra. Hippo.& Gal. li. 1. reg. acut. Varia ptiſſanę compoſitæ artificia, Apiti. li.4.ca.4. Gal. li.1. Alimen.& li.8.ac 10. Methodi.

cremor ptiſſanę rectè dicitꝰ.altera uerò,in qua grana hordei colo uel cribro ab eorũ ſucco diſcreta nõ ſunt, Galẽ. & Hippoc.κριθώδην καὶ ὅλην,id eſt hordeaceã & integrã dicũt: Latini uerò differentiæ cauſa, rectè ſorbitionẽ appellarẽt.Erãt quoq; aliæ operoſiores & lautiores ptiſſanæ cũ aceti &olei,porri anethiq; cõditura decoctiones, quas Apitius(qui arte culinaria paterna obligurierat bona)ac Galẽ.paſsim docẽt. qualẽ & Paul. Aegineta li.1. cõficere ita docet:Ptiſſana,inquit,ſic coquitur. uni eius parti,aquæ partes xv adijcito,paululũq; olei, & poſt ebullitionẽ acetũ quoq; adde. & cũ exactè cocta fuerit, parũ ſalis friabilis inſpergatꝰ.Sunt quoq;,qui porrũ & anethũ addũt.At Oribaſius in Euporiſtis,minus aquę accipit:unã nẽpe hordei ꝑparati heminã in decẽ tm̃ aquæ heminis decoquit,donec medullaris hordei uiſcedo eliquata fuerit.tũ mel acetũ ac ſalẽ inijcit:& poſtq; in ebullitiõe hordeũ detumuit, porrũ & anethũ quoq; addere

Ptiſſana ex oryza. Pli. li.18. ca.7. *Gal. aquæ hordei præparationem uidetur ignoraſſe.*

ſolet. Nec ex hordeo tantũ, uerùm ex tritico & oryza quoq; pari ratione ptiſſana fiebat. Cęterùm uulgarẽ noſtrã aquę ex hordeo integro decoctionẽ, qua in cura febriũ utimur,Galeno fuiſſe ignotã,inde ſuſpicor. Nã dũ Hippocrates in quarto reg. acut.libro,febre correptos, ut ſitim ſedarẽt,potũ τοῦ κριθίνου ὕδατος,id eſt aquę hor-

deacei

deacei bibere iuberet: id Galē. declaraturus inqt, Quòd
hordei poculū ἄδιψον id est sitis extinctiuū sit, manife-
stū est. at debuisset quoq; docere Hippocrates, qua ra-
tione hordeū prępararet. an id simpliciter aqua macera
ri, an ut hi qui ex hordeo ζυθὸν deco quūt, præparare o-
porteat. At Oribasius, Iuliani Cæsaris medicus, id doce
re uidet. Febriētib. inquit, nō oportet hordeū in pila tū-
dere, sed grana cōpressa dilatare, & coquere in aqua, &
hordeū in aq̄ tepida prius bis abluere: deinde illius hor
dei hemina in decē aquę heminis usq; ad hordei crepa-
turā coquat, inde colet: & id bibāt, in quib. humor cho
lericus dominatur. Succedit & alia hordei ꝓles Omely
sis dicta, q̄ nihil aliud Dioscoridi & Galeno significat,
quàm purā hordei crudi farinā, à furfurib. castratā, & ex
ea in hydreleo cū butyro dissoluta cataplasma, phleg-
monū & synāchiæ suppuratiuū. Vnde Galē. de Cōposi
tione medicamētorū ait, καὶ ὠμὴν λύσιν ἐπιθετέον, τὴν δὲ
κριθινοῦ ἀλεύρου. Hęc quidē nō ex hordeo, ut polēta im-
maturo, nec cocto aut manib. ad ptissanā depsito, sed ex
hordeo crudo excernebat, ob id cataplasma ex hordei
crudi farina in hydreleo dissoluta pręparatū, ὠμηλύσεως
nomenclaturā retinuit. Et quia ad phlegmonū matura
tionē accōmodabat, farinā hāc uirtutis abstersoriæ esse
exprē oportuit: q̄ tā efficax inest hordei furfurib. ut ἀν-
δραποδοκάπηλοι, mācipiorū uēditores, nę uos in uultu mā
cipiorū crudi hordei cū furfurib. farinę illitu abstersferint.
Succedit huic postrema qdē & p̄cox hordei immaturi
soboles, polēta Latinis, Gręcis uerò ἄλφιτον nominata.
unde Hesych. ἄλφιτον, inqt, τὸ ἀπὸ νέας κριθῆς ἢ σίτου ἄλευ
ρον, πεφρυγμένον. Vnde Pallad. hordeū (ait) semimaturū,
cui adhuc aliquid superest de uirore, per manipulos li-
gabis, & torrebis in furno, ut facilè mola posit infringi:
& in modio uno salis aliquātulū, dū molit, miscere cu-
rabis. Certè qui id diutius seruare uolebāt, siręo, id est sa
pa & uino mulso cōspersum, & siccatū, cum suo polline

Veterū aquæ hordei decoctio.

Quid sit omelysis Græcorū.

Gal. li. 6. de cōpos. medic. de angina.

De Andropodocapelis, Gal. li. 1. Hipp. reg. acu. ca. de ptissana.

Quid sit polēta, Pli. li. 18. ca. 7. Pallad. lib. 7. ca. ult. Gal. li. 1. alimentotū.

& furfuribus in nouis fictilibus cōdebant, & ad uarios, ac pręcipuè sacrificiorum quoq; usus: quando nulla sacra non modò ethnicorum, sed etiam Hebręorum, sine mola salsa conficiebantur. Itaq; Dominus Mosi edixit, ut quicquid sacrificij offerret, sale condiret: In omni, inquit, oblatione sal offeres. si autem obtuleris, munus primitiarum frugum tuarum Domino de spicis adhuc uirentibus, torrebis eas igni, & confringes in modum farris. Sic Græci quoq;, teste Theophastro, quia antequam cerealia frumenta sale condire didicissent, integris hordeis uescebantur. In huius rei monumentum, sacerdotes in frontem uictimæ οὐλοχύτας, id est hordeum sale commixtum, effundebāt. Vnde Homerus de Græcorum sacrificio inquit:

Mola salsa litabāt. Plin. li. 3. ca. 7. & Moses Leuit. 2.

Homer. li. 1. Iliad. & Suid. in dict. οὐλοθυτᾶν.

χερνίψαντο δ' ἔπειτα, καὶ οὐλοχύτας ἀνέλοντο.
αὐτὰρ ἐπεί ῥ' εὔξαντο, καὶ οὐλοχύτας προβάλοντο.

Itaq; si ueteres irata deorum numina mola salsa litando placarunt: spero me quoq; illius enarratione tuā beneuolentiam demeruisse. Vale, & boni consule.

QVID SIT CYCEON, ET IVS ALBVM, *ac de cerebro nonnulla.* Epist. LVIII.

IN uere anni præteriti, mi Geralde, à senatoribus reipublicæ Nurbergensis, prudentia singulari ac uirtutū integritate præditis, accersitus fueram, ut optimo eorum ciui Christophoro Kress, ciuitatis in comitijs imperialibus, & ad Cæsarem Carolum oratori, grauiter renum lithiasi affecto, mederer. aderant tū quoq; Doctores Ioannes Schucz, & Magebuchius, uiri eruditione, multarumq; artium, & in re medica in primis peritia pręstantes: qui, postquam communicato cō silio, pleraq; morbi pharmaca conscripsissemus, me sola tij causa ante cœnam extra mœnia, in pratum Halleren se, quod ab uno latere flumen Pegnicium alluit, ab altero

Pratum Nurimberg. Hallerense.

ro uaria hortorum amœnitate est circumseptum, deducebant. Et cum sub umbra arborum deambularemus, en cœtum iuuenum illic conspeximus, qui cursu decertabant, ita ut uictus lampada uictori traderet, captiuusque reduceretur. Tum Magebuchius à me sciscitabatur, An ego unquam, pro conseruando sanitatis & uirium robore, tale currendi exercitium à medicis ueterum institutum legissem. Tum ego respondi, me apud Philochorum & Aristodemum legisse, Athenis in festo Scirados Palladis, Atheniensium ephebos palmites uitium botris onustas deferentes, quas Græci ὄσχια appellant, ex Dionysij sacrario usque ad Palladis templũ, quod currendi scopus erat, cucurrisse: ac uictori, qui alios anteuerterat, datam calicẽ pẽtaploa dictam, quam ipse petulans, cum iuuenum choro saltans circunferret. Ideo autem pentaploa dictam, quòd potum ex quinque rerum mixtura, uino, melle, caseo, polenta, & olei momento cõcinnatum contineret: quem Cicero cinnum, Græci uerò κυκεῶ appellant. Vnde Galen. in sextum Epidemiarum Hippocratis librum: Vinũ, inquit, absque cibo ieiunis obesse, experientia cõprobat. ob id κυκεὼν ex cibo & uino potus, ieiunos non offendit. Erat enim hoc poculum, ut Didymus ait, ob polentam δίψους ἴαμα, sitis remedium, quale Circem socijs Vlyssis præparasse Homerus refert:

De pentaploe Atheniensium certaminis cursu, Athen. li. II. Dipnos.

Cyceonis cõpositionẽ, Hesych. & Athẽ. lib. II. Dipnos. docet.

Odyss. κ. & Iliad. λ.

ἐν δέ σφιν τυρόν τε, καὶ ἄλφιτα, καὶ μέλι χλωρὸν,
οἴνῳ πραμνείῳ ἐκύκα, ἀνέμισγε δὲ σίτῳ φάρμακα.

Vnde Galẽ. de notha ptissanæ decoctione: Quidã, ait, ciminum & mel inijciunt, cyceona potius quàm ptissanam præparantes. Quũ hæc dixissem, uterque inquit: Nullas tibi, ô Langi, pro cyceonis poculo & potu, quẽ nobis reddidisti, gratias modò referre possumus: nisi nobis ad cœnam conuiua adsis: tum enim poculis musto, aut uino ex Creta uel Candia plenis, cyceona tuum compensabimus. Tum ego: Libens, inquam, uobis mo

rem gererem, nisi à Florentinis mercatorib. qui libros mihi ex Italia attulerunt, dudum cœna esset condicta: qui cerebrum suillum bene tostum, & elixos in albo iure asellos, quos secum attulerunt, rara Germanis fercula, pararunt. Ad hæc Magebuchius: Non insuetæ, ait, modò, sed etiã incognitæ sunt hę nobis dapes. Quare si nos illarum præparationem docueris, perinde erit, ac si uobiscum cœnassemus. Tandem ego respondi, Hippocratem & Galenum marasmo tabescentes, aut ex spirituum defectu syncope languentes, harum alimonia reficere solitos. Vnde Galenus: Dabis, inquit, his & oua, pręcipuè eorum uitellos (albumen enim eorum ægrè concoquitur) præterea gallinaceorum, qui lacte alti sunt, testiculos: itemq; suillum cerebrum, sed uel diligenter assum (quando, si detur crudum, summopere lędit) uel in albo iure legitimè elixum, porro & anetho iniectis. Albi autem iuris præparationem facilè elicies ex secundo de Comp. medicam. libro, ubi ex mero cræpala affectis, iubet testiculos & alas gallinaceorum ac pullos columbarum, in albo iure decoquere: Elixentur, inquit, hæc omnia sine garo & uino in albo iure, simplici in aqua, solum cũ oleo, anetho, & modico porri: salem uerò non ebullitionis principio, sed quum hæc fuerint decoctione facta friabilia, postremò iniicias. Nec in eo tantũ carnem & uolatilia, sed etiã pisces, ueteres decoxerunt. Vnde Galenus, de laborantib. phlegmonode, tertia lassitudinis specie: His, inquit, saxatiles q̃q; pisces, uel ὀνίσκους, id est asellos, in albo iure bene elixos dabis. Voco autem ius albũ, cum sine garo, magisq; etiã cum sine superuacua cõditura, quam Gręci καρυκείαν appellant, præparatur, anetho saleq;, cum oleo & porri exiguo, in aquam coniectis. Erat autem carycia, ius Lydorum, ex sanguine ferarum, aut uolucrũ, sumptuosis tragematis, & aromatum delicijs conditum. Aselli uerò pisces, quos Romani scarmos & merlusos dicunt: Græci

Cerebri porcini esus.

Quid sit ius albũ, Gal. lib. 12. Meth. & lib. 5. Salub.

De coctiõe pisciũ saxatilium in albo iure, Diosc. li. 2. ca. 32.

Quid sit καρυκεία, docet Hesychius & Suidas, ac dictionũ Hippocratis interpres.

De asellis piscib. Pli. lib. 9. ca. 17. & lib. 32. ca. 6.

Græci uerò ob minutulas squamas & colorem subcinericiũ, quibus asellis uermib. multipedibus, sub ollis & saxis in penu latentibus, assimilãtur, ὀνίσκους, id est asellos appellant: qui sub canicula latent, alijs uerò tẽporibus ore denticulato & patulo, ac capite compresso, sine cõpare uagantur: de quorũ capite lapis exẽptus, & adalligatus, febrẽ arcet. Erat quoq; antiquorum medicis in frequenti usu ius nigrũ, Græcis ζωμὸς μέλας dictũ, quod ex sanguine & σιραίου, id est sapa uel defruto conficiebat. Verùm si uobis cordi sunt diuersa conficiẽdi iuris albi artificia, quib. uel hodie Romæ preparãtur: ea uos Platina in libro sexto de Honesta uoluptate, perbellè docebit. His uerbis eos saturos dimisi: & quoniam aduesperabat, ne cocus meam absentiam causaretur, ad cœnam acceleraui: in qua & te quoque affuturum confido. Vale.

De uermib. asellis, Gal. li. 3. de Cõp. med. sec. loca. Porcelli quoq; dicuntur.

Ius nigrũ, Suidas, & Gal. lib. 1. Præno. Hip.

DE GARO, MVRIA, ET ALEce. Epistola LIX.

Edimus satis strenuè, in Bononiẽsi gymnasio, Theobalde, celebri Musarũ Lyceo, medicinæ operã. Quũ uerò omnia ueris amœnitate uernarẽt, cõuenerat inter nos, ex Germania medicinæ cõmilitones, nocturnis (ut aiunt) ad Cleanthis lucernam lucubrationibus & interdiu uisendi ægros labore defessos, quo aliquãdo ingenij neruos remitteremus, ut Paduã proficisceremur. Et postq̃ illic, quæ ægros curãdi methodus obseruaret, explorassemus: inde per mare Adriaticũ, in quod Padus se exonerat, Venetias appellaremus. Vbi cũ in forũ piscariũ uenissemus, en piscator scõbros retib. implicitos, oblongos exilesq; pisciculos, colore sulphureo sub aquis cõspicuos, afferebat. ex q b. Veneti in uere, q̃ tẽpore obesiores sunt, delicatiora p̃pa rant obsonia, opiparè condita. Ob id Heliogabalus im-

Scõbrorũ descr ptio, & gari.

Veneta piscitũ in uere conditura.

imperator (inquit Aelius Lampridius) pisces semper quasi in marina aqua cum colore suo coctos, conditura Veneta, comedit. Tum ego inquam: Si uos, ô cōmilitones, expensarum non pœniteret, ex scombris uos garum, celebre Græcorum Romanorumq; luxus obsonium, conficere gratis docebo. Annuebant ergo omnes. Itaq; pisces emptos cum reliquis ὀψαρίδιοις, id est, paruis pisciculis, ad gari lenocinium aptis, in xenodochiū, ad Fistulam dictum, diuertentes deferebamus. & piscibus exenteratis: O socij, Garus (inquam) associorum fuit olim præcipuè ex piscibus, & aliquando ex carnib. sale maceratorum, putrilaginis liquamen. Nam teste Suida, ὁ δὲ γάρος ὄξυ ὀδὺ ἄλλο, ἡ σηπεδών; id est, sale conditorum putredo. Quamuis enim sal reliqua à putredine conseruat, ingeniosa tamen gula ipsum ad gari, alecis & muriæ liquorē tabescere multifariam coegit. Ob id scitè Plinius tradit, esse etiamnum aliud exquisiti liquoris genus, quod garum uocauere, ex intestinis piscium, cæterisq; quæ abijcienda essent, sale maceratis: ut sit illa putrescentium sanies. Hoc olim conficiebatur ex pisce, quem Græci garon uocabant. Vnde Martialis:

Garus associorū quid, Pli. li. 31. ca. 7. & 8. Dios. li. 2. cap. 31.

Expirantis adhuc scombri de sanguine primo
Accipe fæcosum, munera chara, garum.

Martialis in xenijs distich.

Nam nec ullus liquor, præter unguenta, maiori precio constiterat, singulis millibus nummûm permutantibus congios gari penè binos. Et hic de piscibus liquor ita conficiebatur. Viscera scombri, aut scari, ac unà teneriores pisciculi, ὀψάρια dicti, triglia, mænidia, lycostomi, in uas coniecta, sale affatim conspergebantur: ac in uere in apricum solis cooperta, & crebrò rude agitata, exponebantur. deinde in æstate, quum solis calore, sal piscium q; pinguedo eliquesceret, in medium opsaridiorum uas, canistrum aut cophinus, ut promineret, oblongus, lentisq; de salice uiminibus arctissimè plexus, statuebatur: in quem salsus pisciū liquor sensim destillabat. quē sic

Ex Geop. Cōstātini Cæs. li. ult. ca. ult. gari preparatio.

ſic colatum Græci quoque λυκούλμιν appellabãt. Vitium huius, inquit Plinius, eſt alex, gari imperfecta, nec colata fæx. Vnde Apitius, maximus ille nepotum gurges: Sumen (ait) elixum, uel in furno aut craticula aſſum, cum alece aut ſinapi manducatur. Eſt & allec longitudinis pedalis aut ſpithami obœſus piſciculus, qui ex Cymbricis ac Daciæ & Noruuegiæ Boruſſiæq; littoribus, uaſis incluſus, & ſale cõditus, haringa quoq; dictus: aut ſale fumóq; inueteratus, tum haringa paſſa appellatus, cratibus aut ſportulis impoſitus ad nos perfertur. In Bithynia uerò taliter garum præparant. Conijciunt menidas paruas aut magnas, ſiue lycoſtomos, aut ſauros, ſiue ſcombros, aut horũ piſciũ omnium miſcellam, in mactram, uas excauatum piſtorium, in quo farina in maſſam ſubagitur, quod Græci μαγίδα dicunt. & in modium horũ piſcium, ſalis ſextarios duos Italicos inſpargunt: & quum noctem unam ita ſale macerati fuerint, tandem eos in uas fictile coniectos, & bene coopertos, per duos aut tres menſes ſoli exponunt: eosq; crebrò, ſed tamen ex interuallo, rude uel baculo agitant. Quidam & uini ueteris ſextarios duos in ſingulos piſcium ſextarios affundũt: & ſic, ut οἰνόγαρον præparatum in uarios uſus reponũt, ne uires eius difflentur, bene coopertũ. De garo ex locuſtis id quoq; memorabile fertur: quẽadmodum pulices ad ſanguinẽ caprinũ aſsiliũt, ſic locuſtas ad garũ in fouea ſepoſitũ, ſturmatim aduolare aiunt. Qui uerò garũ celeriter citra inſolationem, ſola decoctione conficere ſtudẽt, hi in muriã σπκτλω, in qua iniecta ſtagnent, uel ſupernatent, piſcẽ conijciunt: & olla noua cum origano, donec aliquantulũ murię euaporauerit, decoquũt. Et quemadmodũ noſtri gulæ nepotes lampretam piſcem, uino Cretico ebriam & ſubmerſam, inſerta eius ori nuce myriſtica, obduratis externè cum gariophyllis infixis, ex utroq; latere colli ſeptenis fiſtulis, ne uinum abſorptum regerant, enecare ſolent: ſic Apitius,

Lycumen. Pli. li. 31. cap. 8.

In lingua Germanica Bockingen.

Altera gari apud Bithynios præparatio.

De magide & mactra, Pollux li. 7. cap. 5. & Heſychius.

Oinogarus.

Tertia gari præparatio.

De Apitio hęc Pli. li. 9. ca. 17.

artis culinariæ ad omnem luxũ archimagirus, mulloſ piſces in garo enecatos, ſapidiores fieri docuit. Vnde & Plato comicus inquit, ἐν σαπρῷ γάρῳ βάπτοντες ἀποπνίξουσί με. id eſt, In putrido garo ſubmergentes ſuffocãt me. His gari ſpeciebus longè celebrior erat garus ex piſcium cruore compoſitus, ob id Hæmaticus dictus. Accipiebãt enim uiſcera thynni aut ſcombri, cũ embrochijs: eorumq; liquore & ſanguine ac ſale cõſperſa, in uaſe fictili mẽſes ut plurimũ duos tabeſcere ſinebãt: deinde fundo uaſis pertuſo, liquorem in aliud uas ſubſtratũ illi deſtillare ſinebãt. Vnde Martialis in Xenijs:

De garo Athẽ. li.1. Dipnoſop.

Gari nigri hæmatici præparatio.

Expirantis adhuc ſcombri de ſanguine primo
Accipe fæcoſum, munera cara, garum.

Hũc fuiſſe ob ſanguinis admixtionẽ caloris nigri, quilibet conijcere poteſt, quo Gal. lib. 3. de Medicamentis locorũ affectorũ cõpoſitis, ad malè olẽtia & depaſcẽtia auriũ ulcera utit̃, γάρου μέλανος ῥωμαϊστὶ λεγομένου ὀκιτόρου. Garus certè non ſociorũ, ſed aſſociorũ crapulæ lenocinium. Aſoti enim dicebãtur ꝓdigi helluones, qui cibariorũ & potus luxuria paterna decoxerant bona, quorũ catalogũ Vlpianus apud Athenæum recenſet. Quare gari cognomen apud Apitiũ, Pliniũ ac Martialẽ, abiecta litera a, mutilaſſe credo librarios. Quod uerò ad muriã attinet, ut uarios eius ad ſalgamorũ uini & ſalſamentorũ uſus, ita tres ipſius ſpecies reperio. Prima ex aqua cœleſti uel fontana, ſale & melle unà maceratis, conſtabat: qua ſolum in uindemijs uina, ut fierẽt defæcatiora, condiebãt. cuius præparationẽ in epiſtola De uini cũ ſale miſtura, ex ueterum Cõmentarijs abundè docuimus. Altera uerò muriæ ſpecies, qua ueteres ad olerũ, radicum, pomorũ, ſalgamorumq; omniũ cõdituras utebant̃, Græci ἅλμην στακτικὴν, muriã uel ſalſilaginẽ colatã, & à fæcibus depuratã, Columella uerò aridam appellat, quã hac methodo cõficere docet: Dolium patentiſsimi orificij in aprica parte uillæ, qua plurimum ſol feruet, locato, & id aqua cœleſti repleto, aut fonta-

De aſotis popinonibus Athẽ. li. 4. Dipn. & Pſell. de uict. rat.

Scribẽdum & dicẽdum garũ aſſociorum, & non ſociorum.

De muria, qua uina curabantur, Colum. li. 13. cap. 26. M. Cato cap. 104.

Muriæ ſtactis & duræ præparatio, Colum. lib. 13. ca. 6.

na:tũ indito ſportã iunceam,uel ex ſparto plicatã,ſale candido,quo muria candidior fiat, repletã. Cũ ſalẽ per aliquot dies uideris liqueſcere, necdũ muriã eſſe maturam intellexeris,tũ ſubinde aliũ ſalẽ ingeres,donec integer in ſporta permaneat, nec diminuatur amplius, quod muriæ maturitatẽ indicat. & ſi meliorem habere uolueris,hãc in uaſa picata diffundes, & opertam ſoli exponito:omnẽ eñ mucorẽ uis ſolis auferet, & odorẽ bonũ præbebit. Eſt & aliud,inquit,maturitatis muriæ experimentũ:ubi dulcẽ caſeũ in eã dimiſeris,ſi peſſum ibit,immaturã:ſi uerò emerget, maturã eſſe ſcito. Et quoniã ex ſale cãdido fiebat,illius præparationẽ ut ex M.Catonis lib.de Re ruſtica adſcribã, eſſe operæ precium arbitror. Salẽ,inquit, candidũ ſic facito.amphorã defracto collo purã impleto aquæ purę,in ſole ponito: ibi fiſcellã cũ ſale populari ſuſpẽdito,quaſſato, et identidem ſuppleto.id aliquoties in die facito, uſque adeò, donec ſal deſierit tabeſcere biduũ. id ſigni erit:mænam aridã uel ouũ demittito: ſi natabit ea, muries erit, quo carnẽ uel caſeos uel ſalſamenta cõdias. Porrò, ait, muriam in labella uel patina ponito in ſole:& uſque adeò in ſole habeto,donec cõcreuerit:inde flos ſalis fiet. ubi nubilabitur,ſub tecto ponito. quotidie cum ſol erit,in ſolẽ reponito. Eadẽ quoq; ratione Cõſtãtinus Cæſar in Gęoponico ſibi dicato,murię maturitatẽ explorare docet: ἅλμης, ait, στακτῆς διδόλο καὶ κασμηθείσης οὕτως ὅσον ἐμβληθὲν τὸ ἐπιπλεῖν ἐάν. δὲ βυθίζηται, οὔπω ἔχει ἅλας τὸ ἀρκοῦν. id eſt, Ad gari decoctionẽ accipe muriã ſtactem collatam, ſic probatam, ut ſi quod in eã cõiectũ fuerit,ſupernatet:ſi uerò ſubſederit, muria nõ ſatis ſalis habebit. Eadẽ ratione oua,& alia in aqua marina ſalſa, non facilè ſubſident. Dicitur quoq; poſtremò muria, quum de ſalgamis,carnibus ac piſcibus ſale ſicco maceratis, illorum madore ſal tabeſcit,liquamẽ. Vnde Heſychius inquit, ἅλμην τῶν ἰχθύων ζωμός, & muria in Xenijs Martialis ait:

Maturitatis, id eſt, imperfectionis muriæ ſigna.

Salis candidi & muriæ præparatio, Cato de Re ruſt. cap. 88.

De flore ſalis, Dioſcor. lib. 5. cap. 83.

Tertia muria ſalſamẽtorum præcipuè piſci liquamẽ.

Antipolitani

Antipolitani fateor sum filia thynni:
Essem si scombri, non tibi missa forem.

Hæc tibi, Theobalde, de gari, alecis, ac muriæ præparatione ex Gæoponico Constantini Cæsaris, ac ueterum rei agrariæ scriptorum monumentis, referre libuit. Quæ uerò commoda ægris hæc afferant, ac præcipuè muria salsorum piscium ac oliuarum salsilagine conditarum, quas Græci κολυμβάδας dicunt, in curandis aurium ac gigiuarum ulceribus, nomis, & contra exulcerata intestinorum tormina, uetustosq; coxendicum dolores, clysteri infusa: id quidē præter Dioscoridem, & eius interpretem C. Plinium, Galenus quoque, & ingeniosa ipsius simia Paulus Aegineta, te docebunt. Vale.

De oliuis muria cōditis Dioscor. li.1.cap. 129. Athē. li.2. De gari & muriæ medic. Dioscor. li.5. cap. 82. Gal. de simpli. medi. in fi. Paul. li.7 ca.3.

DE PISCIBVS SAXAtilibus. Epistola LX.

ACCEPI, crede mihi, Georgi consobrine, non absque mœrore, comitia ab inuictissimo Cæsare Carolo Augustæ indicta, non prius solutum iri, quàm Parthenopolis ciuitas, duorū Saxoniæ & Marchionatus ducū obsidione aut liberata, aut expugnata fuerit. Quum igitur euentus belli dubius sit, aduentum tuum quoq; fore dubium uereor. Scribit Andreas frater tuus, uos longitudinē temporis comitiorum pertæsos, illius fastidium amica tamen & sobria cōuiuiorum philothesia deuorare. ac nuper uestrū symposiarcham, anonymū uobis ex Mosella piscem apposuisse,

Purpureis salarem stellatum tergora guttis,

quem Carpionem appellāt: ac ex arenoso flumine inter saxa captos fundulos, percas, salmulos & labracas, pisces saxatiles, in albo iure, cum modico porri, anethi, olei, & sale (ut Galenus præcipit) decoctos præbuisse edendos. Verùm carpiones, trottis similes, & sapidiores,

φιλοθεσία post cœnam amica compotatio.

Salar, ex Mosella uel Benaco lacu carpio.

Saxatilium piscium cocturā docet Diosc. li.2. ca.32. Paul. lib.7.

Auson. in Mosella.

Gale. lib.1. reg. acut.

diores, oleo ſuffrixos, & modico ſale ne marceſcant
conſperſos, aſſulis abiegnis incluſos, ex Benaco Myn-
cij fluminis lacu captos, à Tridentinis per Oenoſpon-
tum ad uos perferri Auguſtã, facile credo. frixa enim
diutius, quàm elixa, conſeruantur. At uos piſces cõ-
mediſſe ſaxatiles, frater tuus mihi non perſuadebit.
Auguſta enim Vindelicorũ metropolis, à maritimis
ſcopulis, inter quos piſces alti & capti, Græcis πέτραιοι,
Latinis uerò ſaxtiles dicti, nimium diſtat. Si nãq; pi-
ſces in flumine per ſaburram & ſaxa delabente capti,
à ueteribus Medicis πέτραιοι dicti fuiſſent, tum certè
rectius muſtela piſcis, à lambendis petris lampreta di-
ctus, ac murenulæ, oſculis ſaxis ut ægrè diuelli poſsint
adhærentes, in cenſum ſaxatilium referrentur. Sed, ut
Columella ait, optimè ſaxoſum mare nominis ſui pi-
ſces nutrit, qui quòd in petris ſtabulẽtur, ſaxatiles di-
cti ſunt, ut merulæ, turdi, nec minus melanuria: quos
Galenus in libro de Alimentis recenſet, & perſpicuè
ita definit: Scaros, cottyphos, cichlas, iulidas, phyci-
das, percas, petræos nominant piſces, à locis in quibus
inueniuntur, & diuerſantur. non enim in lubricis, are-
noſis, aut terreſtribus æquoris littorib. ſed ubi petræ &
ſaxoſa ſũt litora, ſeſe illa tebrãt, & parturiũt. Alimonia
ex ipſis non modò concoctu facilis, ſed humanis quo-
que corporibus ſaluberrima. ſanguinem enim conſti-
tutione ſubſtantiæ mediocrem generant. ob id Athe-
næus ex Diphili medici Commentarijs inquit: τῶν θα-
λασσίων ἰχθύων οἱ μὲν πέτραιοι εἰσὶν εὔφθαρτοι, εὔχυλοι, σμηκτι-
κοὶ, κοῦφοι, ὀλιγότροφοι: οἱ δὲ πελάγιοι εἰσι δύσφθαρται. & pau-
lo pòſt inquit, τὰ δὲ καλούμενα πέτραια τοῖς τε σώμασιν ἡμῶν
ξηρὰν τε διδῶσι τροφὴν, εὔογκα δ᾽ ὄξιν, καὶ τρόφιμα, καὶ πέ-
πτεται ταχέως, καὶ οὐκ ἐγκαταλείπει περιττώματα πολλά. Hos
ob id Galenus in eſculento piſcium iure albo elixatos,
maraſmo aut ſyncope ex ſpirituum inopia languenti-
bus, & laſsitudine ulceroſa defeſsis, ſalutares eſſe ſta-

Carpiones ex lacu Benaco, Garden ſehe.

Murenulæ, id eſt, brigken.

Qui ueri piſces ueterum ſaxatiles.

Columel. li. 9. cap. 16.

Gal. libro 3. de alimen. facult.

De petræis piſcib. Athen. li. 8. Dipn. Gale. quoque lib. 8. Meth.

tuit: quibus uires effœtas reficere nouit, nec illorum esum febre uel pleuritide laborantibus à morbi statu denegauit. Adde, hos & alios quoque maritimos pisces fluuiatilibus esse calculosis longè innocentiores. salsus enim æquoris liquor, & fluxus inter saxa collisio, illorũ uiscidum mucorẽ & attenuat & digerit. Proinde Cor. Cels. Leuior, inquit, piscis est inter saxa editus, quàm in arena: leuior in arena, quàm in limo. quo fit, ut ex stagno uel lacu eadem piscium genera grauiora sint, leuiorque qui in alto quàm qui in uado uixit. quod Galenus paulo uberius his uerbis testatur: Volucres, inquit, & pisces, paucis exceptis, omnes boni succi sunt, præter eos qui in stagnis ac paludibus & fluuijs limosis ac turbidis uiuunt. nam minus natant, aereque & uictu deteriori utuntur: ac maximè si in eorum lacum, aqua ex magnis ciuitatibus, latrinas, balnea, macellũ, ac culinas, & fullonũ, qui uestes & lintea eluunt, sordes expurgans effluit. pessima enim, in tam fœculenta aqua degentibus, caro nascitur: quę comesta, & corporis nostri alimoniam cõspurcare posset. & quemadmodum pisces marini saxatiles, in alto æquore degẽtibus sunt salubriores: sic quoque fluuiatiles, qui aduerso torrentium impetu exercentur, & fatigantur, atque occurrentibus abruptis uadorum petris illiduntur, his qui in stagnis & limosis lacubus tranquillè degunt & torpent, castigatiora habere sumina, & in salubri uictus ratione præferendos censeo. Esse uerò priscorum pisces saxatiles, aut in illorum censu habendos, pernegabo: donec tu pro singulari tua eruditione, meliora docueris. Faxit Deus, ut te propediem bonis auibus reducem uideamus. Vale.

Cor. Cel. lib. 2. cap. 17. Gal. de cib. bo. & mal. suc. Paul. lib. 1. cap. 90.

Gal. in lib. de alimen. bon. & mal. suc.

Qui pisces fluuiatiles.

DE CARNE SVILLA, *Hippocratis ſententia.* Epiſtola LXI.

VIR PRVDENS, Geralde, ſatis cedere, & tempori ſe accommodare nouit: cuius te plurimam rationem habere, ex xeniolis mihi miſſis conijcio, quæ puer tuus Euangelus decimoquarto Calendas Ianuarij, tuo mihi nomine obtulit: quo die Romani & Cyrenenſes togis exuti, ac curta ſyntheſi ueſte induti, ficulneis'que ramis coronati, unà cum ſeruis pileo coopertis, Saturnalia celebrantes, epulabantur: amicus quoque amico grata munera mittebat, tum uaria ex frugibus obſonia & bellaria, tum præcipuè ex melle placentas, quorum inuenta Saturno accepta referunt. Hic certè ſolennis mos, nec apud Chriſtianos omnino exoleuit. nam his Calendis Ianuarij, quibus CHRISTI ex Deipara uirgine natalis celebratur, in quibus plurimùm ſues obœſas ſagina, mactamus: amicus amico ſtrenam, uicinus uicino, de carne ſuilla offam, aut farcimina, pro felici noui anni auſpicio mittere ſolet. Et ut ego quoque tibi pro tuis xenijs aliquam uicem rependere uidear, en mitto de meo pridiè mactato porco, ex carne eius minutatim diſſecta, addito pipere, iſicia, & tomacla, ac de ſuillo latere, tergo'que ſale macerato, & ſuffito, ſuccidias, quorum eſum perfida gens Iudaica temerè infamauit. Nam, ſi modò ea quæ Iuſtinus & Cor. Tacitus memoriæ prodiderunt, uera ſunt, quum hæc gẽs in Aegypto dijs hominbusq; inuiſa, fœda ſcabiei porrigine, & tabe laboraret, eiusq; cõtagio totam Aegyptum inficeret, Iupiter Hammonius de remedio per Bochorim, tum Aegypti regem, conſultus, Iudæos

Xenia & apophoreta in Saturnalibus miſſa, Martial. in Diſtich. recenſet.

Saturnalia deſcribit Macro. lib. 1. Satur. & Ouid. 1. Faſt.

De iſicijs Ath. li. 9. Dipnoſ. & Apitius lib. 2. cap. 1. Macrob. lib. Satur. 7.

Quare Iudæi ab eſu carnis porcinæ abſtineant, Iuſti. li. 36. Cor. Tacit. li. 21. Oroſ. li. 1. cap. 8.

Aegypto arcendos respondit. horum exulum Moses dux designatus, memor quàm fœda scabies & uitiligo illorũ corpora deturpasset: simulq́; quòd porci grãdine, reconditis in carne uiuentium iunctis, & scabie eadẽ infestarẽtur (unde porci grãdinosi, chalari dicuntur) Iudæis suillæ carnis esui interdixit. Verùm hæc sunt Ethnicorũ, qui arcana diuinæ legis nõ intelligũt, deliramẽta. Rectius hæc Mosis decreta Eusebius intellexit, qui tradit Moisen sub hoc de esculẽtis legum ænigmatæ, populũ Israel, tũ duræ ceruicis, & effrenẽ, ea docere uoluisse, quæ ad iustitiã & pietatẽ pertinerent. Nam animalia & uolucres raptu & morticinio uiuentes, nõ alio nomine edere uetuit, quàm quòd huius legis symbolo eos à spolijs & cæde deterreret. Suilla uerò carne uesci prohibuit, quo Iudæos admonuit, quũ sus sit amica luto, & locis uliginosis, in quibus se uolutat, & oblectat, ut ea quæ externè corpus, intus uerò animã coinquinarẽt, sedulò cauerẽt: & sobriè, nõ ut sues, in crapula & sagina uiuerẽt. Nec ex ullo animali numerosiores ganeę dapes pręparant. unde Cicero: Sus, inquit, quid habet præter escã: cuius quidẽ caro, ne uiueti putresceret, animã ipsi pro sale datã dicit esse Chrysippus. qua pecude, quòd erat ad uescẽdũ hominib. apta, nihil genuit natura fœcũdius. & M. Varro: Suillũ, ait, pecus donatũ à natura dicũt ad epulãdũ: itaq́; huic animam datã pro sale, qui seruaret carnẽ. Nõ igitur eius esum ut insalubrẽ Moises uetuit. nã Galenus exquisita febre tertiana affectis, præter testiculos & alas gallorũ, & uitella ouorũ sorbilia, porcorũ pedes & cerebra, ac porcellorum carnes ταχέρας, in iure albo liquefactas, præbet, & effœtas à morbo cõualescentium uires illius esu reficere, his uerbis præcipit: Tum, ait, suillas carnes esse à pedibus in ptissana elixis incipiẽt: pòst uerò etiam imum crus rectè sument. ab hoc etiam reliquas partes, primùm quidem iuuenis porcelli: qui si hyems sit, etiam pridiè mactetur: nam hesternum

quàm

[Margin notes:]
De grandine porcorũ Arist. libro 8. de nat. ausc. ca. 21. Pli. lib. 8. cap. 51.

De carne suilla lex Mosaica Deuter. 14.

Legum Moisis tropologiã tradit Euseb. de præpar. Euan. li. 8. ca. 3.

Animam porcis datam pro sale, Cicero li. 2. de Nat. deo. M. Varr. lib. 2. cap. 4. Pli. lib. 8. cap. 51.

Gal. libro 1. ad Glaucone de febre ter.

Galen. libro 7. Methodi.

quàm recens necatum facilius concoquitur. æstate sat fuerit, si manè immolatus porcellus sit, ac circa solis occasum comedatur. Nec ab re hoc præcipit: quippe omniũ esculentorũ, quæ nouimus, caro porcina ualentissimè nutrit, si modò cõcocta fuerit: adeoq; magnã habet cũ hominis carne affinitatẽ, ut non modò nostro Parisijs, sed etiã tẽpore Galeni Romæ, scelerati quidã pãdochei & caupones, carnẽ humanã cum aromatib. in pastillis coctã, pro suilla, magni uẽdiderint. nec comestores alterã ab altera odore, sapore, aut colore discernere poterãt: donec humanus digitus, per negligentiã cum sua ungue coctus, & repertus, atrox coci facinus prodidit: qui & meritas supplicio in furca pepẽdit pœnas. Cęterùm hæc tibi de carnis suillæ alimonia dudum perspecta esse arbitror. Verùm illud Hippocratis, in libro 4. de Ptissana, de suillæ carnis differentia, multorum ingenia torsit, ubi τὰ χοίρεα, carnes porcinas uituperat: τὰ ὕεια uerò, suillas commendat. χοίρου δ', ait, πονηρά, ὁκόταν ᾖ ὠμότερα ἢ περικαῆ. χολώδεα δ' ἂν εἴη, καὶ ἐκταρακτικά. ὕεια δὲ βέλτιστα τῶν κρεῶν ἀπάντων. κράτιστα δέ, τὰ μήτ' ἰσχυρῶς πίονα, μήτε λεπτὰ, μήτε ἡλικίην φέροντα ἱερείου παλαιοῦ. ἐσθίειν δὲ ἄνευ τῆς φορίνης, ἢ καὶ ὑπόψυχρα. id est (ut Copus Basiliẽsis, ex Germania Frãcisci regis Galliarũ medicus uertit) Porcinæ carnes, siue subcrudę, siue ambustę, malę sunt: nã & bilẽ pariunt, & turbationẽ. Suillis nullæ aliæ meliores sunt: idq;, si nõ admodũ pingues, neq; etiam pertenues sunt. ac neq; ueteris uictimæ ætatem sint assecutæ. at uerò reiecta pelle, & subfrigidæ edendę sunt. Verùm nisi quispiam Græcorum de suibus nominum, & ætatis uictimarum, ex ueteri pontificum iure peritus fuerit, hæc explicare non poterit. Quare ea tibi paucis perstringã. Epicharmus enim suem masculum, quem Latini uerrẽ dicunt, delphaca uocat. at scrophas cæteri Græci genere fœminino, propriè delphaces nominarunt: quòd del-

De pãdocheis carnẽ humanã uendẽtib. hæc Gal. li. 3. de Aliment.

Hipp. li. 4. reg. acut.

Athen. li. 9. & Suidas.

phyas, id est matrices, porcellorum (quæ delphacia dicunt) conceptacula haberent. inde ex eodem utero fratres, adelphos nominarunt. At ὗς, utriusque porcorum sexus genus, præcipuè qui adoleuerant, sus dicebatur: & addito σ, σῦς quoque rectè proferri, Vlpianus tradidit, παρὰ τὸ σεύεσθαι, καὶ ὁρμητικῶς ἔχειν: quia, dum è terra radices scirporum, arundinum, & aquatilis syluę, ac lumbricos rostro eruunt, aut inter se colluctentur, tumultuariè collum caputque conquassant: unde & apros Græci syagros appellant. Sues igitur Aristophanes grammaticus in delphaces ac choiros ita diuidit: τῶν δὲ συῶν τὰ μὲν ἤδη συμπεπηγότα, δέλφακες: τὰ δὲ ἁπαλὰ καὶ ἔνικμα, χοῖροι. id est, De genere suum qui corpus robore compactum habent, & adoleuerunt, delphaces: qui uerò adhuc porcelli, corpus tenerum, molle, & humidum habent, choiri dicuntur. Quam differentiam apud Homerum Eumæus subulcus Vlyssis, quem ex bello Troiano & naufragio sibi tum ignotum, reducem hospitio excepit, obseruat dicens:

Depabulo porcorum, hęc Col. lib. 8. cap. 9.

Interpres Aristoph. in comœdia Acharnes.

Odyss. 3. Athen. lib. 9. Dipnos. Galen. lib. 4. regi. acut.

ἔσθιε νῦν ὦ ξεῖνε, τὰ δὲ δμώεσσι πάρεστι
χοίρε᾽, ἀτὰρ σιάλους δὲ σύας μνηστῆρες ἔδουσι.

Ac si diceret: Ede ô hospes; nam hæc chœrea, porcellorum carnes, debentur & supersunt famulis: proci uerò Penelopes obœsos & spumantes sues adultos edunt. Constat igitur, ueteres Græcos, porcellos lactentes & adhuc subrumes, χοίρους quoque appellasse, quorum esum ob uiscidos ac crudos carnis humores, Hippocrates improbat. & Galenus de Alimentis: εἰκότως, ait, οἱ χοῖροι περιττωματικωτέραν ἡμῖν εἰς τοσοῦτον παρέχουσι τὴν τροφὴν, εἰς ὅσον τῶν μεγάλων ὑῶν εἰσιν ὑγρότεροι, εἰκότως καὶ ἧττον τρέφουσι. id est, Meritò porcelli tanto magis excrementiciam præbent nobis alimoniam, quanto sunt magnis suibus humidiores, & minus quoque nutriunt. Nuper enim editi, quouis animali terrestri, quo homo uescitur, carnem humidiorem habent, sanguinis à phlegmate uiscosi fomitem,

Galé. lib. 3. de Alimen. & lib. 2. de temper.

tem,

sem. Teterrima uerò antiqui porci caro, quæ ægrè concoquitur, & concocta sanguinem atra bile conspurcat: optima uerò ad gulæ illecebras & corporis alimoniam est, porcorum mediæ ætatis, qui ueteris uictimæ uel non excesserint, uel nondum assecuti sint annos: caro non nimis obœsa, nec macra. hæc enim facilè concoquitur, & optimum generat sanguinem. Sed ut paulo exactius intelligamus, quæ fuerit olim in pontificio sacrificiorum iure iuuenilis aut ueteris uictimæ porcorum ætas, historia eorum paulo altius erit repetenda. Sus enim sacrum olim erat Praisijs & Cretensibus animal, quod Iouem infantem à Rhea matre, ne à Saturno parente deuoraretur, absconditum in Creta, sus lactauerat: & ne pueri uagitus à patre audiretur, grūnitu suo obstiterat. A suillo certè pecore immolationes in sacris prima duxerunt initia. Nam & Argiui in festo, à sue Hysteria dicto, porcū Veneri mactabant: & in mense Maio mercatores Maiæ, Mercurij parenti, porcū impraegnatam immolabāt. Legimus quoq;, prima omniū Cereris mysteria sue, quòd rostro repando segetes eruerat, cæsa, fuisse celebrata. Vnde Pelignus ille olor Ouidius cecinit:

De differentia suillæ carnis, Gal. lib. 4. regim. acut.

De suillo sacrificio, Athenæus lib. 9. Mac. 1. Sat. Ouid. 1. Fastorum.

De Iouis in Ida monte Cretensi educatione, Ouid. li. 4. Fast. Athen. li. 9. Dipnosop.

Prima Ceres auidæ gauisa est sanguine porcæ,
Vlta suas merita cæde nocentis opes.

Adde φ fœdera pacis & nuptiarum in Ethruria, Latio & Gręcia, sue mactata cōfirmabātur. Vnde M. Varro: Sus, inquit, Græcè dicitur ὗς, olim θύτης, à uerbo θύειν, quod est immolare. à suillo enim genere immolationis initiū cœpit. Ob id etiā Hippocrates & Galenus, à uerbo ἱερεύω, sacrifico, suem ἱερεῖον, id est uictimam, pasśim uocant, ac præcipuè Galenus in Methodo, & de Temperatura, ubi ait: ἀλλὰ καὶ εἰ νέον ἱερεῖον, εἴτε ἐσθίειν ἐθέλεις, εἴτ' ἀνατεμὼν σκοπεῖσθαι, μυξώδη μὲν καὶ πλαδαρὰν εὑρήσεις τὴν σάρκα, τὸ δὲ ὀστῶδες ἅπαν ἄρτι πεπηγνυμένῳ τυρῷ ἐμφερές. ὥστε μηδὲ φαγεῖν ἡδέα, διὰ ὑπερβάλλουσαν ὑγρότητα. id est, Si

M. Varro lib. 2. de re Rust. ca. 4.

Porcelli & sues appellantur ἱερεῖα, à Gal. li. 7. Met. & li. 2. de Temp.

iuuenilis porcelli carnem edere uoles, aut diſſecans cõtemplari, mucoſam & flaccidam eius carnem inuenies, & uniuerſum oſsium genus caſeo iam primùm coagulato ſimile, ita ut nec edendo nuper genitorum animalium corpora, propter ſuperfluam humiditatem ſint guſtui grata. Quare rectè Hippocrates, τὰ χοίρεα, carnes porcelli iam editi ac ſubrumi, quas in delicijs cibariorũ olim habebant (ut modò Hiſpani hinnulos, ex ceruarum utero cæſos) ut inſalubres damnat. Quæ uerò iuuenilis uictimæ erat ętas, ex Plinij uerbis facilè cõijcere poteris: ſi modò perpẽderis, hoſtiã mutilã, aut morbidam, aut quouis modo defectã, uelut impuram, offerre, ingens fuiſſe piaculũ. Ob id ait: Suis fœtus, à partu, ſacrificio die quinto purus eſt, pecoris die ſeptimo, bouis trigeſimo. M. Varro tamen iuuenilem ſuilli pecoris uictimæ maturitatẽ ad decimũ uſq; diẽ à partu prorogarat: Cũ, inquit, porci depulſi ſunt à mãma, à quibuſdã delphacia appellãtur. neq; enim iam lactẽtes dicunt, qui à partu decimo die habẽtur puri: & ab eo appellantur ab antiquis Sacres, quòd tum ad ſacrificia idonei primùm dicunt. Amiſſo autẽ nomine lactẽtis, appellãt nephrẽdes: quoniã necdũ fabã frẽdere, id eſt dẽtib. frãgere aut atterere poſsint. Corũcanus uerò ruminalis hoſtias, donec bidenes, id eſt biennes (inſerta inter duas uocales litera d, ut in uerbo redire, redamare, redarguere fit) fierẽt, puras eſſe negauit: id pontifices de ueteris uictimæ ętate ſtatuiſſe par eſt. P. autem Nigidius, in libro quem de extis compoſuit, bidentes appellari ait, non ſolas oues, ſed omnes beſtias bimas. Vnde Põponius, feſtiuus Attellanarum fabularũ poeta, in Gallijs tranſalpinis ita ſcripſit: Mars tibi uoueo facturum, ſi unquam rediero, bidente uerre. Hippocrates igitur ſues bidentes, qui ad bimatum, ueteris uictimæ ætatem, non exceſſiſſent, porcellis & uetuſtiorib. eſſe ſalubriores docet.

Porcellorũ anatomia, & uſus.

Victimarũ ętates refert Plin. li.8.ca 51. Varro lib.2.cap.4.

Sues ſacres & nefrendes.

Bidẽtes hoſtię quæ ſint, Gell. li.16.ca.6. Macro.lib. Sat. 6.

Erant

Erant & alia quoq; de hostijs præcidaneis sacrificia, quas ante sacrificia solennia pridiè cædebãt. Vnde porca etiam præcidanea appellata, quam piaculi gratia ante fruges nouas immolari Cereri mos fuit. Cæterùm non arbitror fore absurdum, si in huius epistolæ coronide, auctarij loco addidero, quale Romani gulę proceres ex suilla uulua conficiebant ferculum, ab Apicio & Horatio laudatum: —*Cum sit obceso*—

Porca præcidanea. Gel. lib. 4. cap. 6.

De suilla uulua triplici, Pli. li. 11. cap. 36.

Nil melius turdo, uulua nil dulcius ampla.

Et Cor. Celsus de sue ait: Stomacho prosunt ungulæ, rostra, aures, uuluæ, steriles q;. Vulua enim in animalibus est interior fœtus conceptaculi cauitas, quam in homine uterum & locos appellant, ac matricem. cuius tres erant apud culinæ antistites differentiæ, quarum delectum Plin. his uerbis indicat: Vulua suis eiecto partu melior, quàm edito. Eiectícia uocatur illa, hęc porcaria. Primiparę suis optima: contrà effœtis, à partu, præterquàm eodem die suis accisæ, liuida & macra. Nec nouellarum suum, præterquàm primiperarum, probatur: potiusq; ueterum, dum ne effœtarum, nec biduo ante partum, aut post partum, aut quo eiecerint die. proxima eiecticiæ est, occisæ uno die post partum. huius & sumē optimum, si modò fœtus non hauserit: eiectitiæ deterrimum. Vulua uerò de uirgine, porca sterilis dicta, lasere cyrenaico, pipere, mentæ siccæ folijs, addito liquamine, melle, & aceti modico, condita, in muria tamen prius cocta, cæteris præferebatur, de qua Martialis ait:

Cel. li. 2. ca. 23.

Aristot. li. 3. de hist. anim. ca. 1.

Suillæ uuluæ conditura, ex Apitij li. 7. ca. 1. Athen. lib. 3.

Martial. in Distic.

Te fortasse magis capiet de uirgine porca,
Me materna graui de sue uulua capit.

Si stomachus tuus hæc tibi de suilla carne missa Apophoreta, botellos, isicia, pernas ac petasones fastidierit, poteris Apitij conditura, sterilem tibi præparare uuluam, quæ languentis stomachi uires reficiet. Vale.

DE LASERPITIO, BELZOIN, ET *Myrrha*. *Epist.* LXII.

Significasti literis tuis, non tantum dictionis, sed & officiosę humanitatis lepôre ornatis, apud uos quoque in calendarum Ianuarij Saturnalibus, sues quidē obœsas plures mactari. Proinde perlecta mea de suilla carne, & conditura uuluæ, Epistola, & cū Antiphanes scripserit, *μήτραν τινὲς πωλοῦσιν ἥδιστον κρέας*, id est, Vuluam quidam uendunt carnem suauissimam: cocos uestros omnem impendisse operā, ut ea rectè elixata, uel fricta in sartagine, rectè quoque laserpitio, id est silphij succo, pipere & cymino, & reliquis aromatibus, condiretur: quemadmodū & Apitius docuit, & Archestratus opsodædalus, dum ait,

Athé. li. Dip. 3.

ἐμπίνοντι δέ σοι, φερέτω τοιόνδε τράγημα,
γαστέρα καὶ μήτραν ἑφθὴν ὑός, ἐν δὲ κυμίνῳ,
ἔν τ' ὄξει δριμεῖ, καὶ σιλφίῳ ἐμβεβαῶσαν.

Duplex assa, fœtida & dulcis.

At pharmacopolā uobis pro lasere, quod Græci silphium appellant, geminas assę species misisse: quarum altera fœtida, quum graue uirus redoleret, ac putrilaginem resiperet, uiroso odore, qui stomachum facilè subuerteret, uuluam infecisse: alteram uerò odoriferā, quū præstantiori myrrhæ esset simillima, ueritos ne in ea opocalpasum, homini lethale uenenum, subesset, uos quoque abiecisse. At Gerälde mi, pharmacopola à mercatoribus falsus, uos quoque (ut arbitror) inscius fefellit. Laser quippe planta est quotannis crescens, quæ radices nigras, caulem ferulæ similem, sed succiplenam, folia appij, semen uerò latum & foliaceum profert: cuius natales loci olim fuerunt, Syria, Armenia, Media, & Lybia. Sed omnium præstantissimum Cyrenis, in Pentapolitana regionis Africæ ciuitate nascebatur. Vnde Victruuius: Si, inquit, terra non esset generibus humorum

Opocalpasi uirus in myrrha latêre, testis Galé. lib. 1. de Antidotis.

dispar

dispar, nec Cyrenis in ferulis laser tantum nascere-tur: quod ob eandem causam Hippocrates nec in Ionia, nec in Peloponneso crescere, sed in Libya prope Cyrenas absque cultura sua sponte nasci, ac quatuor stadiorum quoque rura occupasse tradit. Liquor uerò ille preciosus, suaui fragrans odore, ex radice silphij incisa collectus, rhizias, ex caule scarificata resudãs, Caulias dicebatur: & aere ueluti clibanus aut mastix concretus, ὀπὸς κυρηναϊκὸς nominabatur, cuius uarias in re medica uires Theophrastus & Dioscorides & Galenus commemorant. & Nicander poeta medicus in Alexipharmacis asserit, silphij radices & succum his qui cum coagulo lac biberint, & eo in uentriculo in grummos concreto ægrè spirent, presens ferre auxiliũ, si quis radices poculo suo intriuerit, aut dissolutum biberit succum:

ἄετι κὴ λιβύηθε ποτῷ ἐγκνήθεο ῥίζας
σιλφίου, ἄλλοτ᾽ ὀποῖο, νέμοις δ᾽ ἐν βάμματι τήξας.

Nec silphio ad medicamenta tantum utebantur, & ad intinctus, quos Græci ἐμβάμματα dicunt: sed eo escu lenta & salgama condiebant. Vnde Columella docet, supra olus atrum, ferulam, & fœniculum, duas partes, & unam duræ muriæ, usque ad summum fideliæ labrũ affundere: dein paucas radiculas laseris, quod Græci silphium dicunt, adijcere iubet. Non certè uulgaris erat usus eius. adeò enim magni constabat, ut singulæ laserpitij libræ pondo argenti rependerentur. nec id Cyrenis, nisi clàm, impunè efferre licebat. Vnde Carthaginẽses, & aliarum regionum mercatores, ad Caraxem portum, non longè à Syrtibus & Cyrenis distantem, uina deferebant, ut inde silphium clàm referrent. Et Plinius C. Valerio & M. Herennio Coss. à Cyrenis aduecta Romam publicè laserpitij põdo triginta, maximi facit: & adhuc pluris, ꝙ C. Cęsar dictator initio belli ciuilis inter aurũ & argentũ laserpitij pondo CXI ex ærario, uelut Ro. reipublicæ thesaurum, protulerit. Erat quippe adeò

De lasere Cyrenaico hęc Vitru. li. 8. ca. 3. Hippo. lib. 1. de morb.

Silphium grũmos lactis coagulo in stomacho concreti dissoluit.

Columel. lib. 13. cap. 7.

Silphij preciũ & æstimatio ac raritas.

Silphium Romani ærarij thesaurus, Pli. lib. 19. cap. 3.

De mercatoribus laserpitij, hæc Strabo lib. ult.

adeò magnificum, & dijs hominibusq; gratum munus, ut Græci olim, & sycophanta Aristophanis, rem magnæ æstimationis significaturi, Batti Silphium dixerint, οὐδ' ἂν εἰ δοίης γέ μοι τὸν πλοῦτον, καὶ τὸ Βάττου σίλφιον. negat sycophanta se facturum, etiam si Plutonem diuitiarum deum, aut ipsum Batti silphium ei daret. Erat enim Battus rex, qui Cyrenas anno urbis Romanæ 143, in Libya condidit. Municipes igitur eorum conditori gratificaturi, alterum numismatis latus Ammonis facie, alterum silphij figura insculpebant. Batti quoq; effigiē annulo, quo publicè literas obsignarūt, his characterib. insculpere solebāt, qui ciuitatem Batto silphiū offerre indicarent. Adde q Ampeliotæ, gens Libyca, quotannis ex agri sui opib. aliquot silphij ferulas Delphis Apollini offerebāt. Accipis'ne modò, q preciosum, rarū, ac carū fuerit ueterib. laserpitium? At nostrū in officinis aromatariorū, laseris gūmi, q belczoin appellāt, nec ita rarū inuētu est, nec adeò magni à pharmacopolis uenit: & cortices satis lati & densi in eo agglutinati, non plantæ, aut oleris (quale silphiū est) sed arboris esse lachrymā produnt. Nec tanta laserpitij copia, quanta benzoini in officinis reperitur, nostro seculo suppeditari potest: quū ante mille annos in Cyrenis & Libya crescere desierit. Quū enim Nomades, gens ex Aethiopia fera, pecorū pastu uiuēs, in Cyrenas (ut Strabo refert) irruissent, silphiū radicitùs in pecoris sui pabulū exstirparūt. est. n. omne pecus huius pabuli tā auidum, ut nisi ab eo (teste Arriano) in Africa arceant, eius pastu ob dulcedinē, donec disrūpant, facile impleant. nā & serpētes uini auidas, admistū si sorbuerint, flatu disrūpi aiūt: & pecora sanè quę eo uescunt, carne admodū iucūda pinguescūt. Ob id publicani, uectigaliū publicorū cōductores maius ex pecorū pastu lucrū quęsituri, silphiū pecorū pabulo depopulabant: adeò ut unus tm̄ caulis, inqt Plin. nostra repertus memoria, Neroni principi missus sit. Quàm

Batti silphium puer. Aristop. in Plut. interpres explicat. & Suidas copiose.

Ampeliotæ silphio sacrificāt

Officinarū bēzoin non esse laserpitium.

Ob quas causas silphiū crescere desijt, Strab. lib. 17. Pli. li. 19. ca. 3.

Silphium pecori gratū pabulum.

Theophrast. lib. 6. cap. 3.

Quàm uellē autem, ut nostri pharmacopolæ unū nobis proferrent silphij surculum: unde saltem eius inenarrabilem odoris iucunditatem, uel unicam eorū ben zoini lachrymulam emungere possemus. At dices, Ludouicum Romanum patricium, qui uitam mille periculis exposuit, ut ea quę in nouis Insulis, liberalitate regū Portugalliæ à Vesputio & alijs naucleris repertis, continerentur, aut adolescerent, mercimonia metalla, gemmas, ac aromata exploraret, uerum xiloaloē & laserpitium uidisse. Nam Tharnasari, inquit, dum defunctorum comburunt corpora, omnifariam odores in rogum conijciunt, aloen uidelicet, & id genus arboris gūmi, quod elegantissimum illud unguentū gignit, quod uulgò Belzoi nūcupatur, eruditiores uerò laserpitium ab arbore lasari appellant. At laser non esse arborem, sed βοτάνην, ἢ λάχανον, id est herbam, plantam aut olus, Hippocrates, Aristoteles, Theophrastus, & ueteres medici (præter unicum Serapionem, male uersum) fatentur omnes. At quum Ludouicus nascentem silphiū non uiderit, facile ei id erroris condonamus. quemadmodum & facile ei credimus, quod ait, in Sumatra insula, apud mercatores, Christianos, duas uncias aloes, & aliquantulum laserpitij se reperijsse, quorum aloes frustulum cum in pugno incaluisset, laserpitij uerò ad quantitatem nucis iuglandis incensum, utrunque seorsum adeò ineffabilem suauitatis odorē spirasse, ut nusquam locorum fragrantiora senserit suffimenta. quibus qūreges & sacerdotes, illic dæmonum cultores, in sacrificijs & rogo defunctorum, ac in uitæ delicijs plurimum utantur, ac una libra aloes decem aureis ueneat, ea ob id ad nos perferri negat. Cui ego libens assentior. nam utrunque in aromatariorum totius Europæ officinis desiderari uideo. Sed quid sit illud officinarū belzoin, ab alijs benludeū dictū, scire haud dubie malles: quam esse ex Troglodytide præstantiorem myrrham

[Margin notes:]
Ludouici patricij de ligno aloes & laserpitio experientia, libro suæ nauigationis 6. cap. 9. 20. & 21.

Belzoi esse laserpitium: Ludo. li. 6. cap. 9.

Silphium non est arbor, sed planta.

Quare silphiū & aloe ad nos nō perfertur.

Belzoin officinarum esse myrrham electam.

Myrrhæ ex Dioscor. li. 1. ca. 75. descriptio.

electam arbitror, quæ item ex arboris in Arabia, Aegyptiæ spinæ similitudine nascẽtis, lachryma, cuius cortice inciso, in substratas palmeas tegetes liquor eius defluit, aut in trunco arboris adeò tenaciter concresit, ut unà cum cortice auellatur, quẽ in benzoi crebrò quoque conspicimus. Habet sanè omnes myrrhæ electæ proprietates. est namq; friabile: & fractum, in eo candidæ humanis unguibus similes maculæ effulgent, ac (ut Ecclesiastes ait) fragrantissimum suauitatis odorem spirat. unde fragrantissimum deorum in templis suffumigiũ Aegyptij ex tali myrrha & bedellio, humani unguis colorem referente, componebant: quod Damocrates τὸ κῦφι appellat. At nostra uulgaris myrrha incensa planè uiroso odore fœtet: quam adeò ab optima myrrha degenerem, à Dioscoride Ergasimen dici arbitror.

De Cyphi sacerdotum Aegypti suffimento, Gal. li. 2. de Antid. Dioscor. lib. 1. cap. 24. Ecclesiastes de myrrha, cap. 24. ubi ungula pro ungue bedellij malè legitur.

Sed enim haud ignoro te amaritudinem myrrhæ in benzoi requirere, quod masticatũ plus dulcescit quàm amarescit. Verùm scias, amaritudinem illam nõ omnib. myrrhæ speciebus inesse. nam troglodytica leniter in ore lentescit, & (ut Dioscorides ait) erosione quadã linguam pungit. Nec ob id quòd amaritudinis expers sit, inferre poteris, belzoin esse assam dulcem: quũ hæc apud Serapionem & Auicennam à Græcorum laserpitio nihil differat: quod non amplius extare, satis superq; probauimus. Quod si officinarum belzoin myrrham dulcem appellare uoles, nil moror. solet enim natura sæpe in rebus eiusdem speciei, ad uoluptatem, contrarijs saporum qualitatibus ludere. Nam si poma & mala Punica, atq; arãtia tam dulcia quàm acetosa, amygdala item tã dulcia quàm amara procreat: quid obsecro obstare poterit, quin etiam myrrham tam dulcem quàm amaram procreet? Nihil certè. proinde obsecro, ut meã de silphio, assa dulci, myrrha & belzoin censuram, ad commilitiones tuos referas: illorumq; iudicium quàm primum ad nos rescribas. Vale.

Belzoin officinarum posse dici myrrham dulcem.

Belzoi non est assa dulcis.

De

DE NOVIS AMERICI ORBIS INSVlis, antea ab Hannone Carthaginense repertis: & Geographiæ utilitate. Epist. LXIII.

NVper dum pleiades cum ueris amœnitate prodirent, atq; ego ut mœrorem ex fratris mei obitu cōcœptum animo excuterem, propè amnes intra montes deābularē, en repētè grues ex Thracia per pontum Euxinū aduenas, clangore suo obstrepere audiui: ac literato, ad Palamedis uel Pythagoræ characteris Y effigiē, ordine, sensim à tergo se dilatante cuneo, ut aeris flatu promouerētur, & obuias uentorū procellas agminis rostro facile infringerenti, n sublimi aera sulcare cōspexi. Tū hominū desidię pertæsus, tacitè mecū cogitaui: En grues, anseres, olores, ciconiæ, & inter minores uolucres conturnices, per mare, per terras, ex Europa in Aphricā, & ad extremos Gangis fluuij accolas Pygmæos, peregrinantur: proh dolor inquam, quum homo sit animal diuinæ mentis capax, natus ut erecto ad sidera uultu, ineffabilem huius orbis fabricam & arcanam cōtemplaretur, & inde diuinam, illius opificis sapientiam, qua syluas, æquora, terras, pecora campi, ac uolucres cœli condidit, agnosceret, & piè collaudaret: quæ (cogitaui) est ista ignaua hominum desidia? quum hæc animalia rationis expertia terrarum orbem perlustrent, hominum uerò uix centesimus quisq; ultra suum natale solum, pedem proferre audet, ut in alienis terris uarias naturæ diuitias, urbium situs, & regionū mores cognosceret? quod olim erat præcipuum præstantis uiri præconium, qualem sibi ostendere Homerus Calliopen suam orat:

De gruibus & anseribus hæc Plin.lib.10. cap.23.

De homine hæc Lactant. lib.3.cap.9. Aristot.de part. animal.lib.4. cap.10.& lib. 2. cap. 10. Ouid.lib.1.Metamorph.& Cic.lib.2. de nat.deor.

Odyss.α.

ἄνδρα μοι ἔννεπε μοῦσα πολύτροπον, ὃς μάλα πολλὰ
πλάγχθη, ἐπεὶ Τροίης ἱερὸν πτολίεθρον ἔπερσε,
πολλῶν δ' ἀνθρώπων ἴδεν ἄστεα, καὶ νόον ἔγνω.

Quod Virgilius feliciter imitatus, à sua Musa quoque petit:

Dic mihi (ait) Musa uirum captæ post tempora Troiæ
Qui mores hominum multorum uidit, & urbes.

Geographia imperatori & medico scitu necessaria.

Nam & hæc scire Medicos, & bellorum duces, magni refert. Etenim si dux belli, regionum situs, oppida, nemora, fluminum uada & semitas ignorauerit, qua solertia sua expediet stratagemata? aut unde exercitui cōmeatum afferet: aut copias suas per fluenta securè traijcere poterit, ne hostiũ insidias incidat? planè ignoro.

De Xerxe & Thermopylis Strabo lib. 1. Herodot. & Iustinus.

Xerxes Persarum rex, & totius Græciæ fulmen, quãuis tam numerosum aleret exercitum, ut equi & milites flumina exhaurirēt, spiculis emissis solē obumbrarent: dum tamē propè Thermopylas, totius Græciæ propugnaculũ, à Græcis occupatũ, exercitũ traijcere crebrò frustra tentasset, ac bis terq; obsistente Leonida, dubio marte pugnatũ fuisset, Xerxes ab incœpto bello turpiter desistere coactus fuisset, non sine ingenti clade exercitus, nisi Epialtes Trachynius regem, iam consilij inopem, occultum tramitem, qui per iuga & anfractus mōtium Thermopylas duceret, docuisset: quæ res Leonidi & Græcis omnē uictoriæ spem ademit. Quis res ducum regumq; strenuè gestas, sine regionum & urbium situs peritia rectè conscribere, aut conscriptas rectè intelligere poterit? Nemo. Medicum quoq; oportere omnium horum esse gnarum, integro libello Hippocrates docuit. Nam quum corporum constitutiones, & affectus animorum, secundum climata orbis, ac pro situs regionum, urbium & aquarum natura uariantur, uictus & remediorũ rationem quoq; uariare necesse est. Vt cuiq; loco peculiaris est Genius, ita quoque proprij sunt locorum morbi, & sua cuiq; medicamēta: uerùm quum nō tantũ remedijs domi in pomœrio natis morbi curentur, sed crebrò exoticis opus sit: præstat medicorum horum natale solum scrutari, quàm domi in scholis (ut Medicos Alexandriæ) consenescere, quàm Seplasiarijs ista concredere, qui horum defectum succida-

De Medicorum Alexan-

neis

neis resarciunt, quum ueris præstaret uti. Nec Galenũ, ut chalcitidem amisi & sory aliaq; metalla dinosceret, in Cyprum nauigare tæduit: qui deinde ob asphaltum, Iudaici lacus bitumen, in Syriam Palæstinã profectus, & in Lemnum insulam quoq; appulit, Vulcano sacrã, ut quantum hircini sanguinis Lemniæ terræ sacerdos admisceret, ipse præsens uideret, & capræ signo obsignari: & ut plura alibi remedia nata exploraret, ex Asia pedes per Thraciam & Macedoniam rediit. Euphorbus, Iubæ regis Mauritaniæ medicus, herbam sui nominis (cuius lacteo succo oculorũ caligo illustratur, & uirus serpentũ obtunditur) non in suburbio quæsiuit, sed impiger per abruptos scopulos, altissimi montis Atlantis cœliferi cacumen conscendit, ut euphorbium inter saxa natũ erueret. Lysimachus uerò & Gentius reges, hic gentianæ radices, ille lysimachiam herbam, non minori studio quæsiuerunt. Pulchrum enim & immortale decus censebant, si eorum nomina, regia herbarum nomenclatura ad posteros propagaret. Summos quoque philosophos, Democritum & Pythagoram, ob herbarũ cognitionẽ ad Persarum, Arabum, Aegyptiq; magos profectos constat. Vnde Homerus, nobile illud Nepẽthes, œnotheræ radicem, mœroris pharmacũ, aliasq; herbas, quibus Polydamna, Theonis regis Aegypti uxor, Helenam donat, non inter extrema xenia recenset, quæ Menelaus ex Aegypto domum detulit. Nec sua laude fraudandi sunt, illustris Fernãdus Castiliæ, ac Iohannes & Hẽricus ac Emanuel inclyti Portugalliæ reges, quorum opera & expensis saluberrimum illud lignũ Guaiacũ, quod nuper ab Australis Oceani insulis nobis allatum est: quo uno plus cõmodi miseris mortalibus attulerunt, quàm omnes illi auariciæ cuniculi, metallorũ argenti & auri fossores: qui dum in uiscera terræ omnium parentis sæuiunt, plus expendunt & insumunt, quàm eruũt. Tanti est, uel uno morborum remedio me-

dria desidia,

Gal. de dispnœa lib. 2. & in sextum Epidem. Hipp.

Galenus suas peregrinationes scribit lib. 10. de simpl. med.

De euphorbio hæc Pli. lib. 5. cap. 1.

De herbarum auctoribus Pli. li. 25. ca. 2.

De Nepenthes & herbis Aegypti, hæc Homer. Odys. δ. Macrob. lib. 7. Satur. Philost. lib. 7.

Ligni Guaiaci utilitas.

dicinam locupletare. Quare Geralde mi, tuum nauigationis propositum summopere laudare cogor, qui cum sis sacris Apollineæ artis dogmatibus præclare initiatus, ne tamen pharmacopolis nostris credere cogaris, instituisti hoc ueris initio proficisci in Calechut, celeberrimum totius Asiæ & orientis emporium, ad quod ex Aethiopia, Aegypto, Arabia felice, & Niliaca urbe Cayro, olim Babylon dicta, ac Indici Oceani insulis, præcipuè ex Zello, præter gemmas & uniuersa aromata, & ex serico pannos, auro netili intertextos, ac tyrio murice uel cocco infectos, mercatores etiam ea quæ in censu pharmacorum habentur, saccharum, ebur, ambram, mustum, utrunque aloes, masticen, casiam, mirobalanos, ac caphuram, & id genus pharmacorum, deferunt: quæ nummis ex auro obryzo, quos zaraffi appellant, uendunt. Deinde statuisti ad Taprobanam insulam Gangetici æquoris, nunc Summatra dictam, sub æquatore sitam, appellere, gemmis ebore ac xiloaloes & laserpitij odoramentis locupletissimam, olim alterum orbem terrarum, Antichthonum appellatione, existimatam: cuius incolas longissimam, sine ullo corporis lãguore, traducere uitam, Artemidorus refert. Petis igitur, ut te certiorẽ reddere uelim, unde commodius ad has & nouas illas ante 50 annos à Lusitanis repertas insulas, an ex Venetijs per mare Adriaticum, an à Lysibona & Herculis columnis, per mare Hyperboreum aut Athlanticum, oram soluere posis. id quod te non celabo: simulq; docebo, & ratione testibusq; cõuincam, Phœnices & Carthaginenses plus minus duobus millibus annorum ante Vesputium, & alios regum Portugalliæ naucleros, per mare Athlanticum, etiam ultra Fortunatas insulas, meridiem uersus, ad has nauigasse, ac ab occidente orientem uersus totam plagam illam intra tropicum capricorni brumalem ac circulum poli antartici sitam, Ptolemæo,

Calechut emporium Indiæ quibus abundet.

Taprobanæ situs, & merces.

Plin. lib. 6. cap. 22. Ptole. lib. 7. cap. 4.

Phœnicum ad nouas insulas ante Vesputium nauigatio.

lemæo tamen incognitam, perlustrasse: quam tamen, æquè ac nostram illam, intra tropicum cancri æstiuum & circulum poli arcticum sitam, esse tẽperatam, ac uersus austrum ad 48, aut 50 gradus latitudinis habitabilem, philosophi ac astrologi multa ante secula, hac ratione docuerunt. Conuenit enim inter omnes, inter extrema contrariæ qualitatis loca, ut circulos polorum frigidos & solis tropicos incalescentes, medium necessariò esse temperatum, ac sub oppositis parallelis & climatibus, ab æquatore pari interuallo dissitis, eandem esse aeris temperiem ac dierum quantitatem. Vnde Pomponius Mela: Terra, inquit, zonis quinque distinguitur, mediam torridam æstus infestat, frigus ultimas: reliquæ duæ habitabiles, paria agunt anni tempora, uerùm nõ pariter. Antichthones alteram, nos uerò alteram incolimus: illius situs ob ardorem plagæ intercedentis incognitus, sed tamen non incultus. His rationibus Auerroes in libris Aristotelis de cœlo & mundo, ac Albertus de naturis locorum, freti, tantum terræ à tropico capricorni uersus polum antarcticum esse habitabile, quantũ ab altero ad arctum, nempe ad 50 ab æquatore latitudinis gradum, rectè asseruerunt. Quod uerum esse, Hanno ille Carthaginiensium dux expertus est: qui cum per continentem Aphricæ, ob torridæ zonæ æstum, syrtes & cautes, deserta & ferarũ lustra, ad externã Aphricæ oram & meridionalis Oceani insulas, penetrare non posset: cum sexaginta quinque remib. quas Græci πεντηκοντόρους appellant, annona & tribus hominũ utriusque sexus millibus onustis, à Carthagine mare mediterraneũ emensus, ad colũnas Herculis appulit, ut inde insulas in Athlãtico æquore & Oceano olim à Phœnicibus cõditas exploraret, aut nouas conderet, & à Gaditano Herculis freto per Aphricæ ambitũ & meridionalis oceani flexũ, in Arabicum sinum enauigauit, quam nauigationem τῆς λιβύης

Plagam intra tropicum capricorni & circulum antarcticum eße habitabilem.

Auerrois lib. 4. de cœlo, Albert. de nat. locor. ca. 7. Pto. lib. 1. Geogr. cap. 8.

Auerrois lib. 4. de cœl. & mund. Albert. de nat. locor. cap. 7.

Hannonis & Polybij nauigatio, de qua Plin. lib. 5. cap. 1. Mart. Capella lib. 6. philologiæ.

περίπλουν dictam, à seq; conscriptam, Carthagine, ut esset posteris suæ nauigationis monumentum, in templo Saturno cõsecrauit. Cuius uestigia sequutus Polybius, annalium cõditor, accepta à Scipione Aemiliano classe, bella tum in Aphrica gerente, scrutandi orbis gratia, totius Aphricæ ambitum in Oceano circumuectus est. Vnde Martianus Capella: Ab ipsis, inquit, columnis Herculis, quæ in Gaditano sunt littore consecratæ, usq; in Arabicũ sinũ, meridianus omnis permeat Oceanus: quod plurimis asseueratur exemplis. nã eius magnã partem Alexandri sulcauerunt uictoriæ: & in eodẽ Arabico sinũ constituto Caio Cęsare Augusti filio, Hispanarum nauiũ eiectæ naufragio fragmentorũ reliquiæ apparuerunt. ut Hanno, dum Punicum floreret imperiũ, Mauritaniæ circuitu, ac dehinc meridiani flexus Oceani excursu, in Arabiæ terminos, prolixa admodũ nauigatione peruenit. Cornelius auctor quoq; affirmat, Eudoxũ quendã, fugientẽ regis insidias, ex Arabia in Gaditana peruenisse refugia. Celius quoq; Antipater affirmat, se hominẽ uidisse, qui negotiationis gratia, ex Hispania in Aethiopiam nauigasset. Harũ quoq; nauigationum plures, Aristoteles in libro περὶ θαυμασῶν ἀκουσμάτων commemorat. Ferunt, inquit, in pelago ultra columnas Herculis, repertam à Carthaginiensibus insulã desertam, à Gadibus multorum dierum nauigatione distantẽ, fluminibus nauigabilibus irriguam, omnifarijs arborũ fructibus frugiferam, & amœnam: cumq; in eà Carthaginienses, eius fœcunditatis frugũ illecebra capti, cunctarentur, illius accessum mortis supplicio uetuerunt. Et cur Carthaginenses à Phœnicibus orti, hęc extra Gades æquora, & Oceanum ipsum ita longè dissiti sulcauerint, ac insulas in eo Libyphœnicas dictas cõdiderint, ita paucis causam accipe. Phęnices olim maritimam Syriæ oram incoluerunt: gens in obeundis pacis ac bellorum naualium munijs solers, præclara inuen

Columnæ Herculis, & Gades.

De Phœnicũ à Gadibus in Oceano nauigatione, Aristot. in lib. de Mirabil. aud.

tionis literarum, siderum, naualium ac bellicarum artiũ gloria celebris. Hi in Aphricano littore Vticam, Thebas in Bœotia, à Rubro quoq; mari profecti Sidonem ac Tyrum urbes in Syria opulentissimas condiderunt: ex quibus aurum & purpura ad templi Salomonis cultum, regi suppeditabatur. Tyrij uerò Carthaginem condiderunt, de qua Plinius inquit: Tyrus quõdam insula præalto mari septingentis passibus à continente diuisa: nunc uerò Alexandri oppugnãtis operibus, coaceruatis arenarum aggeribus, continens facta: olim partu urbium clara, genitis ex ea ciuitatibus, Lepti, Vtica, & illa Romani imperij ęmula, terrarũ orbis auida, Carthagine, etiam à se Gadibus extra urbem conditis. Mos enim erat Phœnicibus, non tantũ mercandi gratia, sed etiam propagandæ ditionis eorum causa, à domo, magno subditorum comitatu, per mare, per terras, in peregrinas regiones & loca proficisci. & cum incolarum animos ignotis ipsis muneribus conciliassent, tum illorum loca armorum uiribus occupare, aut illic noua condere, ut Gades, Tartessum, & plures alias in Athlantico æquore & Oceano insulas, Libyphœnicas ab Hannone dictas. Vnde Aristoteles: Aiunt, inquit, Phœnices Gadira incolentes, extra colũnas Herculis diebus quatuor ἀπηλιώτῃ uento orientali nauigantes, in locos palustres, ulua, iuncis & alica refertos, deuenisse, quæ maris defluxu subsidebãt, affluxu uerò emergebãt: in quibus thunnos pisces captos, saleq; maceratos, & uasis inclusos, Carthaginẽsibus uelut eorum cognatis misisse. Verùm in his, quas Hãno Carthaginensis & Phœnices explorarunt insulis, non tãtum psittacos, simias caudatas, ac catoblecta animalia odorifero zcibeti unguine turgida, & elephantos, ac admiranda in genere humano naturę ludribia, homines caninis capitibus, oblatrãtes canibalos, anthropophagos etiã, humana parentũ carne saturos, Nomades sine domibus, pecorum pastu diuites, Aethiopes ἀξένους inhospitales, troglodytas equis uelociores,

Tyrus, Sidon, Carthago, Gades, à Phœnicib. conditæ, Pli. lib. 5. ca 19. & Strabo.

Liby phœnices Hanno in sua nauigatione describit.

Thunnorum copia.

Catoblecta, *Pisemthier.*

lociores, homines ferarum pellibus aut connexis uolucrum pennis coloris uarij uestitos: mulieres toto corpore hirtas & efferas, Gorillas dictas, de quibus Hãnó pelles duas abstractas: cum uiuas domare non posset, Carthaginem misit. sed etiam præter aromata & gemmas, Phœnices magnam auri & argenti copiam secum efferebant, teste Aristotele: qui dicit, τοὺς πρώτους τῶν Φοινίκων ἐπὶ ταρτησσὸν πλεύσαντας, τοσοῦτον ἀργύριον ἀντιφορτίσασθαι, ἔλαιον, ναυτικὸν ῥῦπον, εἰσαγαγόντας, ὥστε μηκέτι ἔχειν δύνασθαι, μήτε ἐπιδέξασθαι τὸν ἀργύριον, ἀλλ' ἀναγκασθῆναι ἀποπλέοντας ἐκ τῶν τόπων. τά τε ἄλλα πάντα οἷς ἐχρῶντο ἀργυρᾶ κατασκευάσασθαι, καὶ δὴ καὶ τὰς ἀγκύρας πάσας. Quin & illud uetustatem insularum occidui & meridiani oceani ualde approbat, quòd Aelianus ex Theopompo historiographo refert: Olim Silenũ semideũ Midę regi Phrygum dixisse, Europã, Asiam ac Libyã esse insulas Oceano circumseptas, extra quas esse terram continentẽ, magnitudinis immensę, quæ homines nostris duplo maiores & uiuaciores aleret. in ea esse duas amplissimas urbes, alteram εὐσεβῆ, id est piam dictã: cuius incolis, eximijs deorũ Pacis & Iustitiæ cultoribus, esse ob id cum dijs commercium, & tellus sponte sua cuncta produceret, nec uitã morbis defecti, sed lætitia & uoluptate transigerent. alterã uero Machimũ dictam, ducẽtas hominũ myriades incolere, pugnaces, auro argẽtoq; abundãtes: qui quũ in bellis ferro uulnerari nõ possint, lapidib. aut fuste trucidantur. Proxima illis loca Meropes obtinẽt uolucres, qui genitores suos senescẽtes, in cauernis terræ recõditos, ut ciconia quoq; suos, studiosè alũt. Illic quoq; ingens patet uorago terræ ἄνοστος dicta, quia nemini inde reditus patet. Ac dixit, duob. fluminib. irrigari: altero, cui Tristitiæ nomẽ, in cuius ripa arbores proceræ crescũt. quorũ fructus quinq; ediderint, horũ corpora mœrore & luctu diffluere, ac perpetuis lachrymis tabescere dixit. in alterius uerò fluminis ripa, cui Læticiæ nomen est, arbores frugiferas adolescere, quarum fructuum

Gorillæ mulieres hirsutæ, Hanno in sua nauigat.

De Tartesso, à Tyrijs Phœnicibus condita, Pli. li. 4. ca. 22. & lib. 3. cap. 1.

De continẽte extra orbẽ, hęc Aelian. de uaria histor. li. 3.

ctuum comestores exhilarant, ac iuuenescere cogunt. Accedit ad hoc, quod Plato insulam Atlanticam, extra Gades sitam, Asia Libyaque maiorē fuisse tradiderit: uerum ex terræ concussione subuersam, ibi relictum esse cœnum etiam nautis inuium. At fortasse hæc à Sileno relata, quispiam portarum esse mystica, de inferis & cāpo Elysio, frigmēta suspicaretur: nisi Americus Vesputius, anno à Christo ex deipara uirgine nato 1497, ex Callicij portu, ad Fortunatas Atlantici ęquoris insulas à Lissibona 280 leucas distātes, quas uulgus Canarias uocat, & ab his ad terrā firmā immēsę magnitudinis, nōdū penitus exploratę, his 75 gradib. occidētaliorē, appulisset: & postea impēsis Emanuelis inclyti Portugallię regis, innumeras meridiani ac oriētalis oceani insulas, austrū uersus, ab ęquatore 50 gradus: ad oriētem uerò uersus à Gadib. oceanū ultra Taprobanā, & aureā Chersonesū, ad extremos usque Indos, explorasset: quę iure illustrissimis Portugalliæ regib. accepta referimus, quorū nauigationib. effectū est, ut nō modò Europa gēmis auroque splēdeat, aromatib. cibos suos opiparè cōdiat, odorib. peregrinis fragret, unguēta & noua morborū medicamēta redoleat: sed quod lōgè pluris ęstimo, quod atroces in nouis insulis dęmonum cultores, suaui Christi iugo colla submittere coegerint, & quòd sacrosancti uerbi sonus in toto terrarum orbe increbuerit. quod certè festiuis carminibus Picus, nō ille Martius, sed Musarū cœtu comitatus, doctissimus Mirādulæ comes, ita nobis decātauit:

Atlantica insulā copiose describit Plato in Critia.

Vesputij nauigatio.

Regum Portugalliæ laus.

Sonus uerbi diuini in omnē terrā sparsus: Matth. 28. Lucæ 24. Lactan. lib. 4. cap. 21.

Picus Mirādulanus, hymno 2. de Christo.

Quin & Vlysseo nuper de littore soluens
Nauta, per infidum pelagus, per Atlantica regna
Discurrens, uiridique iugo post terga relicto,
Arctoi relegens contraria sidera currus,
Pertulit eoos tua rex uexilla sub Indos:
Et mox, insani qui bruta animalia diuos
Credebant, tetris oculis nunc luce chorusca
Purgatis, spectant rubro pendentia ligno
Membra, Deum censent, hominem regemque fatentur.

Accepisti sanè Geralde, ante multa secula Phœnices, Carthaginenses quoque, à Gadibus ad extremas Arabici & Indici Oceani insulas traiecisse, quod Americus Vesputius ac Aloysius Cadamustus, auspicijs & subsidijs regum Castiliæ & Portugalliæ ante quinquaginta annos quoque fecerunt. Si igitur inde in Calechut opulentissimum Indici sinus emporium oram soluere cupis, horum Commentarij ac Hispanorum Pilottę & Lixitę iter te docebunt. Est & alia ex Venetijs in Calechut longè compendiosior nauigatio, unde soli Veneti ante triginta annos Europæ occidentali exoticas merces & aromata, minori quoque precio, suppeditabant: qui primùm ex sinu Adriatico per mare mediterraneũ in Alexandriam, iuxta Nili ostia sitam appulerunt. dein de ubi Nilus se in mare exonerat, Cayrum, ueteris Babyloniç reliquias, conscenderunt. Postea emenso aliquo in Syria per Damascum, in qua sanctus Paulus & Mesue medicinam professi sunt, & alias quoque præclaras Phœniciç urbes, Aegypti Arabięq; loca peragrantes, per mare Rubrum (à Græcis Erythręum, ob rubeam arenam dictum) in sinum Indicum, in cuius littore Calechut situm est, uela uentis dabant. Tu uerò, si me audis, ex Lissibona cum Hispanis in Calechut traijcies. Inde uerò per mare rubrum, & Felicis Arabię aut Aegypti loca, ac Syriæ urbes, Damascum, uel Tripolim, ad Alexandriam proficiscere: quæ loca omnifarijs fructibus aromatum, & uarijs medicamentorum generibus abundant. Alexandrię enim optima conficitur theriaca, à qua per maris mediterranei insulas in sinum Adriaticum, qui Venetias alluit, facilè traijcies. Et nauigaturus caue, ne à tergo ad natale solum respicias: sed illud Ouidianum crebrò in animo tuo repetas,

Venetorum in Calechut nauigatio.

Paulus medicinam professus.

Omne solum forti patria est, ut piscibus æquor.

Eia age igit, aude aliquid, uiro magnanimo dignũ: & oram soluenti Neptunum, qui siccis pedibus mare sulcauit, fore propitium tibi precabor. Vale.

DE

DE EXOTICIS MEDICAMENTIS *Arabum, ſerò à Græcis cognitis.* Epiſt. LXIIII.

GAude quidem mi Critobole, & plurimum quidem: ego quoque gaudeo, Geraldum noſtrum ſpectatæ indolis & eruditionis adoleſcentē, per maritimam exterioris Africæ oram, ad Orientalis Oceani inſulas transfretaſſe: quem in decem meſtri ſpacio, niſi maris æſtus obſtiterit, Deo auſpice per mare Erythræum, aut (ſi illi placuerit) etiam ſinum Arabicum ac Damaſcũ, & alia amœna Syriæ & felicis Arabię oppida, ac ueterem Aegypti Babylonem, & tandē ad Alexandriam uenturum ſpero: quem deinde per maris mediterranei inſulas & Adriaticum ſinũ Venetias appulſurum confido. Et quum non ſit medicamentorũ imperitus, ſpero eum nobis allaturum, uerũ xiloaloes, quod alij agallochum Dioſcoridis eſſe credunt: ueram myrrham, ſtacten, caſsiam, ſchinantum, ampram, moſchum: uerum turbit, ſennam Alexandrinam, antiquorum rheum barbaricum, recentes myrobalanos, & zizipha: ac uerum draconis ſanguinem, & ſandaracā nobis allaturum. Verùm quum hæc in barbarorum regionibus & inſulis naſcantur, nihil mirum eſt Græcorum medicos hæc ſerò, æquè ac ſaccharum & mannam Arabum cognouiſſe. nec tam ſerò, ut ipſi arbitrantur: quippe qui tria mellis genera, à Græcorum ac Latinorũ philoſophis & medicis deſcripta, nouimus. Primum illud uulgare paſsim in toto terrarum orbe, in Europa præcipue, Polonis, Ruthenis, ac alijs Sarmatiæ incolis notũ, quod apum mellificio ex floribus myricæ, thymi, ac arborum tiliæ ſucco in aluearibus elaboratur: quale bonitatis cenſu optimum ac dulciſsimum Hymettus Atticæ regionis mons, Sardinia ex apum abſinthij pabulo amarum, Heraclea Ponti ob herbas noxias uirulentum

Tria mellis genera.

De melle apũ, hęc Dioſc. lib. 2. cap. 73. Gal. lib. 7. de ſimp. med.

Mel in Sardinia amarum.

tum profert. Alterum uerò mellis genus, Plin. ac Gal. saccharum uocant, Dioscoridem imitati, quod Indiam & felicem Arabiã ferre tradũt, nẽpe mel in arundinib. concretũ, gũmi aut salis modò cãdidũ, dẽtib. friabile, arũdinib. nucis auellanæ magnitudine accrescẽs, ad medicinę usum tãtũ. Vndę Megasthenes Græcus, Indiam in arundinib. mel sine a pũ opificio gignere tradit: & id mellis τοῦ καλαμίνου τοῦ λεγομένου σάκχαρι in emporijs Erythræi maris esse uenale, Arrianus refert. quod & Alexãder Aphrodiseus agnouisse uidet̃, dũ in Problematib. ait: Quod sachar Indi appellãt, mellis in arũdinib. coagulũ est, sole cogẽte rores ad mellis dulcedinẽ. quod idẽ in mõte Libano q̊q; fieri certũ est. Fit sachar id ꝓximũ salis glebulis candidum, fragile, uim tergendi purgandiq; melli similem habet: hoc ob cannas, quibus innascitur, aut salis candorẽ, Paulus Aegineta medicus salẽ Indũ, alij sachar candi appellãt: quod ad nos ex India nõ amplius afferẽ, sed Veneti decoctionis artificio, eius succidaneũ ꝑparant. Illius naturalis cognitionẽ & usum probè Galenũ nouisse, nemo dubitabit, dũ in Methodo inter melicratũ & oxymel opportuna ex obstructiõe febricitantiũ pocula recẽset: apomeli, quod à melle elutis aqua fauis cõficiębatur, ꝑcipuè in Peloponeso, mediũ habere locũ, & sacharũ inter hæc meritò numerari arbitratur: ex cuius parte una, additis aquę partib. duab. hydrosachar decoquebant: sicut ex succo uel stillaticio rosarũ aut uiolarũ liq̃re, & sacharò, zulapia cõficere Actuarius docet: Simplicissimũ, inquit, in potionib. febricitantiũ medicamẽ est, q̃d ex sachare & aqua coquentes tẽperamus. Secũdũ locũ tenet, quod ex uiolarũ succo & sachare facimus, à uiolis ἰοσακχαρ nominatum, quod lentos de pectore humores expurgat, ac bilis acrimoniam obtundit. Quòd uerò ex nympheæ floribus & sachare paratur, uehementioribus febribus multo magis subuenit, cruciatus à bile ortos, ac capitis dolo-

Saccharũ indi quid sit, Pli. li. 12. ca. 8. Diosc. lib. 2. ca. 73.
De melle in arũdinib. Strab. li. 15. Arrianus de nauig. maris rubri.
Alexander hęc li. 2. Proble. 74.
Sal Indus sacca rum naturale.
Saccarũ candi artificiale.
De sacaro hęc Gal. li. 8. Meth.
Apomeli qualis potus, Dio sco. li. 5. cap. 9.
Hydrosachar, & rhodosachar, ac iosachar: Actuarius de Cõ. me.
Ex florib. nymphea & sacha re potus.

dolores ſopit. Nec hæc & alia medicamenta tantum ex ſacharo Indo, puriore arundinum lachryma, conficiebantur: quippe cum illis nucis auellanæ magnitudine tantum, inſtar ſalis grumi accreſcant, unde illis ad tot medicamenta ſachari copia ſuffeciſſet? quum nunquam, nec hodie, eius tanta fuerit copia, ut mercatores ex opulentiſsimis Arabiæ & Indiæ emporijs aliquot ſalſe fragmenta ad nos pertuliſſent. Quare facilè credo, non Arabum tantum, ſed etiam Græcorũ medicos, & ipſum Galenum etiã, uulgari ſacharo uſos: qui olim quoque, ut nunc in Medera & Syria, ac Indiæ inſulis, ex ſucco radicũ cãnarumque medulla, inſtar ſambuci, molli & ſucci plena, in ſubiectã peluim expreſſo, in æneis caldarijs donec cõcreſcat, aut inſtar cryſtalli coaleſcat, decoquitur. Quũ igitur in regionib. orbis, quæ ſachar ferũt, arundines ſachari ſint eiuſdẽ ſpeciei, natura ſoli differẽtes, nemo mihi perſuadebit, ſacharũ, quo modo utimur, ab antiquorum per decoctionem facto eſſe diuerſum. Hanc ſachari decoctionẽ, M. Varro Narbonenſis, cum Cæſar Iulius ante Chriſti aduentũ habenas Reip. Romanę adminiſtraret, fuiſſe conſuetã, ita lepidè indicat:

Nostrũ ſachar ab antiquorũ artificiali non eſſe diuerſum.

Sachari decoctio ex arundinibus.

Stat. lib. I. Syl.

Indica non magna nimis arbore creſcit arundo,
Illius & lentis premitur radicibus humor,
Dulcia cui nequeant ſucco contendere mella.

Sed præter Strabonem & Solinum, Statius Papinius, qui ſub Nerua imperatore uixit, Arabes & Syrios in Eboſia ex cannis coxiſſe ſacharum, hoc hẽdecaſyllabo teſtatur, *Et quas præcoquit Eboſia cannas.*

Eadẽ igitur apud ueteres, quæ nũc, & ex eiſdẽ arundinib. erat ſachari cõficiẽdi ratio. Antiquorũ igitur ſacharũ modò deſiderari, uel à noſtro eſſe diuerſum, niſi melioribus rationib. cõuictus, non credam. Vidi quoque ex Medera in Hiſpaniã allatas arundines, quib. ſacharum purũ accreuerat: quod ſeparatũ, ne reliqui decoctio uileſcat, nõ niſi magni ueneũt. Tertia mellis ſpecies Gręcis

Tertia mellis ſpecies, Mãna.

ab

ab aeris rore δροσόμελι καὶ ἀερόμελι. id eſt, mel roſcidum, aut aereum, ab Hebręis manna, & Arabibus therenia-bin, & Latinis ros Syriacus dicta: quoniam interdiu ſublato æſtiui ſolis uapore in aera, qui tandem ſerenæ noctis frigore concretus, in Syria & monte Libano, Neapolis, in Oenotria campo, ac Calabria, antelucano tempore ſupra ſaxa, aut laricis arboris, aut thymi, aliarumq́ plantarum folia deſtillat. quod Iohan. Franc. Picus Mirandulæ Comes, his eruditione plenis, uerſibus expreſ-

Picus hymno primo.

ſit: —*Nubes*, inquit,

Sed placidum rorem uerno liquefacta tepore
Gignit, ſi pulſis nebulis nox ipſa refulſit.
Hæc etiam ſemen coriandri imitata rotundum,
Cogitur, & ramis frondoſæ ſtirpis adhæret:
Flauam corporibus bilem eductura. ſed olim
Dum Iudæa cohors ſitientibus exul arenis
Degeret, in paſtum cecidit diuinitus. inde
Attoniti patres, Manhu, dixere uetuſti.

De manna & melle de petra quib. Deus Iudæos in deſerto Arabiæ ſaturauit, Exo. 16. Ioſeph. li. 3. Antiq. ca. 1. Lactã. lib. 4. ca. 10.

Demelle aerio Amyntas, & Athen. lib. 11. Galen. lib. 3. de Alimentis.

Auerrois hanc Galenum, & alios ante eum Græcorũ medicos ignoraſſe, nugari non erubuit: quum is totam aerij mellis hiſtoriam, abunde depingat: & longo ante Galenum temporis interuallo, Amyntas, Græcus auctor, in primo de Aſiæ ponderibus libro, mannam ſub aerij mellis nomine exactè deſcribat. inquit enim: σὺν τοῖς φύλλοις δρέποντες συντιθέασιν, εἰς παλάθης συριακῆς τρόπον πλάττοντες. οἱ δὲ σφαίρας ποιοῦντες. καὶ ἐπίδαν μέλλωσι προσφέρεσθαι, ἀποκλάσαντες ἀπ' αὐτῶν ἐν τοῖς ξυλίνοις ποτηρίοις, οὓς καλοῦσι ταβαίτας, προβρέχουσι, καὶ διηθήσαντες πίνουσι. καὶ ὄξιν ὅμοιον, ὡς ἂν τις μέλι πίνοι διείς, τοῦτο δὲ πολὺ ἥδιον. id eſt, Mel aerium cum folijs decerpentes, inq́ maſſas Syriacas, aut in globulos effingentes, ſeponunt: quumq́ eo uti uoluerint, fracta de globulis fragmenta in uaſis ligneis diſſoluunt, & colatum ebibunt, melle ipſo ſuauius. Ac nullo iure ipſum Meſue calumniatur, qui Galenum ſcammoneæ miſcuiſſe mannam, & ex ea phar-

macũ

macum cholagogũ cõposuisse asserit: quũ sine dubio pleraq; Galeni opera, quæ modò desiderãtur, in Arabicam linguam fuisse translata, in quibus Galenus de manna hæc docuerit, à ueritate non abhorreat. Decidua quoque elisi cum corticibus thuris fragmenta Plin. & Galenus passim mannam appellant. Veruntamen quãuis Ioachus Martyropolitus Græcus, Galeno senior, gari sui confectionem sachare (ut ipse ait) καντίῳ & moscho, ac ampare orthonio illigatis, cõdiat: & auctor εὐποριστων, moscho ureteri inserto, dysuriæ medeatur: & Actuarius quoque cassia & alijs Arabũ medicamentis crebrò utatur: Arabes tamen medicamentis semper Græcis fuisse opulentiores, fateri cogor, quæ non ab Arabibus & Phœnicibus tantum, sed etiam ab Aegyptijs, Democritus, Orpheus, & Pythagoras conquisiuerunt.

Mannã thuris describit Gal. li.4. de Cõpos. medic. κατὰ τόπους.

Moschus, ampar & sachar cantion Græcis cognitum.

Proinde ego ærumnosi curandi in Germania ægros laboris pertæsus, non ero Galeno nostro pigrior: qui ut uerum carpesium, cubebas agnosceret, in Pamphiliã profectus, & multas Orientis regiones ob medicamẽtorum cognitionem, perlustrauit. Primo igitur uere Bononiam proficiscar, deinde Ferrariam: & sciscitabor, an illa erudita Leoniceni medicorũ progenies, Manardus & Brasauolus, aliquid noui medicamentorum à suis acceperint mercatoribus. Deinde Venetias adibo, & à pharmacopolis percontabor, an eis ex Alexandria, Damasco, & alijs Syriæ locis, ac felici Arabia, prius nobis incognita, medicamenta allata sint. Præterea spero Geraldum nostrum, interim Venetias quoque uenturum: & quicquid aromatum, medicamentorumq;, thymiamatum, & pigmentorum, ex Indici australisq; Oceani emporijs, ac Fortunatis olim Athlantici æquoris insulis attulerit, de his te certiorem reddam. Vale amice, & ualeant omnes qui inter nos dissidium quærunt.

Gal. de carpesio & sua peregrinatiõe hæc li.j. Antidot.

Ferrarienses medici olim Leoniceni discipuli.

M DE

DE SANGVINE DRACONIS, *ac cinnabaris speciebus.* Epist. LXV.

INGENS tibi, ô Critobole, gaudium, quod mihi subitò accidit, enarrabo. Quũ à Ferraria Venetias appulissem, & istic nauicula lyburnica intra canales oppidi uectus, unà cũ eruditis Venetorũ medicis ęgrotos inuiserem, egressus nauiculã, ut ab agyrtis quæstũ medicina parãtibus, aliquid nugarũ audirẽ, in foro iuxta ædem diui Marci deambulabam: ibi tum nauẽ grandem πεντηκοντόρου eminus, ut omnes ex nauigiĳ signis diuinabãt, ex Alexandria aduenientem conspeximus. Animus certè tum mihi in pectore gestiebat, & in ea Geraldũ nostrum aduehi pręsagiuit. Nec sanè spe frustrabar. Nã iacta ancora, & naue cõtinenti alligata, en egreditur naue Geraldus, pronus capite obstipo littus aspiciens, ac pedibus uelut primùm è cõpede solutus uacillans, sarcinulã in scapulis deferebat. Quẽ quũ dextris iunctis fronte hilari excepissem, ipse quoque gauisus, genas lachrymis rigabat: quippe qui maritimis uentorũ procellis iactatus, olentisq; in fundo nauis sentinæ odore lãguidus, gaudebat se portum attigisse. quẽ ita defessum, ablata de humeris à ministro meo sarcinula, eum in xenodochium deduxi. ubi postq; quiete & somno aliqualiter uires recuperasset, eius monitu à cœna ad φιλοτησίας poculum cõuenimus, quo Græci olim quoq; ueterẽ instaurabãt amicitiam. Quũ igitur unũ aut alterũ philothesiæ poculũ libassemus, Geraldus disligata sarcinula, ex ea gummata purpurei coloris, nucis auellanæ magnitudine, deprompsit: En inquit, amici, hoc gummi, uerus est prope Erythreum mare, ex regione thurifera & Athlantici maris Sanctę portus insula, sanguis draconis: cuius usus in

De agyrtis Plato libro 2. de Repub.

De philothesia amicitiæ à cœna poculo, Hesychius & Suidas copiose.

Verus sanguis draconis.

antidotis.

antidotis & collirijs salutaris, & insperſus uulneribus hæmorrhagiã ſiſtit. cinnabaris quoq; dictus Indica:ſed nõ illa mineralis,miniũ dicta, quæ naſcit̃ in argentarijs metallis uena ſiue gleba,arena coccinei coloris circunſepta,ac ob carbũculi fulgorẽ ἄνθραξ dicta:quæ ferreis malleis aut cuneis fiſſa,& eliſa, argenti uiui lachrymas deſtillat:& halitũ tam exitialẽ ſpirat,qui metallorũ foſſores,niſi faciẽ ueſicis perſpicuis obduceret̃, in ipſis ſcaptẽſulis ſuffocaret.Ex hac, pręcipuè in Cilbianis agris, ſupraq; Epheſum reperta,uſtionis & lotionis artificio, hydrargyrũ ac purpurei coloris miniũ cõficiebat̃, q̃d in picturis ꝓpriè ſanguinis colorẽ reddebat. Naſcitur quoq; inquit Theophr. miniũ αὐτοφυὲς naturale,& ſua ſpõte natũ circa Hiberiã,& in Colchis,quod incolæ rupe de inacceſſa iaculis decutiunt. Hoc Græci Milton, quidã cinabarim uocãt. Artificialis quoq; cinnabaris arte chymeutica,una ſulphuris parte, cũ duab.argenti uiui aduſta, Venetijs præparat̃. Tradit quoq; Plin.ſanguinẽ ſiue ſaniẽ draconis,põdere elephãtorũ, cũ quib. luctant̃, ſuccũbentiũ eliſi,& oppreſsi, Indicã appellari cinnabarim quoq;. pro qua nominis homonymia decepti medici,minio,quod ob argẽti uiui uirus uenenũ eſſe cõſtat,temerè utebãtur. quod idẽ Plinius medicis exprobrat his uerbis:Cõperi uulgò pro cinnabari Indica in mèdicamẽta miniũ addi,inſcitia nominis,quod eſſe uenenũ inter pigmẽta docebimus. Quãto rectius quiſpiã noſtros redargueret medicos, qui in antidotis ac catapotijs cõtra peſtẽ & coxendicũ dolores,puluerẽ ex hydrargyro aqua chryſulca in alembico emacerato, per ſublimationẽ præparatum,ægrotis præbẽt, quẽ ob cauſticã aquæ chryſulcę uim minio eſſe uirulẽtiorẽ, nemo mineraliũ peritus negabit: quẽadmodũ has prædictas oẽs cinnabaris ſpecies,hydrargyri, & peſtiferę draconũ ſaniei germina. Atqui cũ ſanguis draconis ſit ſalutaris Indorum cinnabaris, nullam prædictarum eſſe

Minium,cinnabaris mineralis dicitur, Victru.li.7.cap.8. Dioſ.li.5.c.63.

Hęc omnia Plinius li.33.ca.7. ex Theophra. de lapidib. lib. tranſcripſit.

Cinnabaris artificialis, cinaprium & zinſiphur dictum.

Pliniana cinnabaris Indica draconũ ſang. Plin. libro 8. ca.12.& Ariſto. lib.3. Meteor. ca.ult. Philoſt. lib.3.

Plin.li.29.ca.1. miniũ eſſe uenenum.

Exitialis Mercurij præcipitati uſus.

 arbitror,

arbitror, sed instar sanguinis rubentem arborum Indię & insularum Athlantici æquoris lachrymam, quam

Plin. Theophr. Diosc. Indicam cinabarim ignorarunt.

nec Dioscoridem, Theophrastum, aut ipsum Plinium exactè cognouisse certum est: cum nullus eorum cinabarim Indicam esse arboris lachrymā uel gummi tradiderit. Sed Arrianus de maris rubri nauigatione inquit:

Vera & salutaris cinabaris Indica.

ἐν κόλπῳ ἐρυθρᾶς θαλάσσης ἐστὶ χώρα λιβανοφόρος, σαχαλίτις λεγομένη. γίνεται δ' ἐν αὐτῇ κιννάβαρι τὸ λεγόμενον ἰνδικόν, ἀπὸ τῶν δένδρων ὡς δάκρυ συναγόμενον. id est: In sinu Erythrei maris est regio thurifera, Sachalitis nominata. nascitur in ea cinabaris Indica, ab arboribus ut lachryma stillans congregata.

Aloysius in sua nauigatione ca. 4.

Quod & Aloysius Lusitanorū nauclerus uerum esse cōperit, qui tradit, incolas insulę Sanctæ portus, stato anni tempore, cortices arborum ferro incidere: de quibus anno futuro gummi ubertim destillat, quod in ahenis ad sanguinis cōcreti colorem & spissitudinem decoctum, sanguinem draconis ob similitudinem appellant. At uereor plurimùm, ne

Pharmacoporum sanguis dracon. adult.

noster sanguis draconis, qui in officinis pharmacoporum uenalis est, sit sanguis caprinus, cum minio uel sorbis contritis decoctione inspissatus, quibus etiam olim adulterabatur, quem pictoribus magis quàm medicis usui esse suaderem. Hæc quum dixisset, ut nobis non modò auditu iucunda, sed etiam grata fuisse testaremur, illi philothesiæ poculum, uino Trebiano semiplenum, propinaui. Poculo exhausto, Geraldus

De uera lacca obœsitatis remedio, hęc Dioscor. li. 1. cap. 23. Paul. Aegi. lib. 7. Ludouicus Romanus libro 6. suę nauigationis cap. 21.

ait: Vt plenam uino phialam ô Langi demerear, en tibi obœso, & ęstate nimia pinguedinis sarcina grauato, laccam gummi, à Græcis canchamus dictum, nō illam quam uestræ officinæ sordibus plenam & inodorā habent, affero: sed gummi illud fulgore, ut uides, rutilum & syncerum, quod in Nabathæis Arabiæ & Taprobanæ insulæ arboribus, nostris quæ iuglandes ferunt simillimis decerpsi, myrrhę non dissimile, uiroso gustu: odore tamen placido, quo ad suffitus uestiū, & earum ac lanæ

ac lanæ tincturam, olim infectores utebantur: cuius in medicina usus Arabibus & Græcis non erat uulgaris. Nã hoc triobolari pondere ex aceto mulso aliquot diebus potum, obœsum adipe nimia corpus onere leuat: pingues eius usu emacescunt: lienem, fel, & epar aqua intercutem aut ictericia affectum & obstructũ, deoppilat: mẽses retentos aqua mulsa potum cit, oculorum caliginẽ illustrat, gingiuas destillatione erosas reficit. Vt igitur synceram laccam ab adultera & eius sordibus discernere possitis, hæc laccę legitimę frustula uobis dono. Attuli quoque mecum quosdã de Nilo terrestres crocodilos, quos Græci & Romani scincos appellant, quibus iratas uobis uxores conciliare, & in ueneris conflictu uictoriam obtinere poteritis: quos si cras mecũ pranderitis, libenter uobis ostendã. Quos etsi libẽter modò uidissemus, noluimus tamen Geraldo longę nauigationis tædio defesso, diutius esse molesti. Tum ego: O Geralde, respondi, cras, quandoquidem hospes nobis deest, tecum ea cõditione prãdebimus, ut unusquisq; symbolũ suum conferat, te uno excepto, qui nobis ueros scincos pro symbolo tuo ostendes, quibus & nostrũ & coniugũ nostrarũ fauorẽ demereberis. quoniã & primum cratera sitis & sanitatis ergò, & secundũ quoq; amori & uoluptati dicatũ, ebibimus singuli: & quia tẽpus somni appetit, reliquũ est, ut tertiũ quoq; cratera Somno & Mercurio, somniorũ auctori, consecratũ libemus: quartũ uerò ad ebrietatis insaniam, amẽtiæ poculum, quod medicorũ philothesiam dedecet, non gustabimus. Quare ut suauiter hac nocte quiescas, bono tuo Mercurio, id est Genio tuo defensus, in illius honorem, tertiũ quoq; cratera, quẽ Græci ob id ἑρμῆν appellabant, unà ebibemus. Hæc sunt Critobole, quæ Venetijs in prima aduentus Geraldi philothesia tractauimus. Quæcunq; uerò cras in prandio de exoticis Arabum aut Gręcorũ pharmacis

Laccæ uires, Auerrois li. 5. colliget c. 564. Serapio ca. 181.

De scincis Nili in Aegypto.

De quatuor uini crateribus, & Mercurij poculo, hæc Ath. in Dipnosoph.

Somniferum Mercurij poculum.

nobiſcum communicauerit, te non celabo. Vale.

DE SCINCO, SALAMANDRA, *mirobalanis, iuiubis, & ſebeſten, ac ſericis.*

Epiſtola LXVI.

RELIQVVM eſt, Critobole amicorum integerrime, ut quod proximis recepi literis, ea de quib. in prãdio, mihi & Veneto medicis, à Geraldo condicto, cõmunicauerimus, tibi ſignificem. Cõuenimus igitur in xenodochio, anteq́ hoſpes fercula inſtruxerat, cum Geraldo prãſuri. qui tum ait: Ne igitur dum prandij apparatum expectamus, huius diei tempus (ut fertur) ſine linea elabatur fruſtra, anteq́ diſcumbamus, ſcincos, ſalaces Nili quadrupedes, uobis pro meo ſpectandos ſymbolo, ut petijſtis, apponã: non quidem illas exitialis ueneni lacertas, quas in hortis prope ſcaturigines fontium in riuulis captas, ueſtri ſeplaſiarij pro ſcincis uendunt: ſed quos Mauritania, & mare rubrũ ac Nilus, fœcundiſsimus Aegypti fluuius, dum alueum ſuum effluit, producit. quos, ob ſimilitudinem, terreſtres crocodilos appellant, ſed cute crocodilis longè tenuiore & molliore, & ſquãmulis albicantibus candidiore: maculis tamen nigris modico interuallo diſsitis, per tranſuerſum cõſperſa: corpore crocodilis longè minore et cõtractiore, ſpithami nõ excedẽte magnitudinem. à crocodilo tamen aquatico, qui etiam eſt animal amphibiũ, ſquamarum ſeta, à cauda ad caput uerſa, dinoſcuntur: lacertis uentricoſiores, ſed cauda breuiori, & ad natãdum anguillis ampliori. Horum de lateribus propinquæ renibus carnes, drachmę pondere cum uino ſumptæ, uirorum uenerem, cum magno libidinis pruritu accendunt. Ex his quoque præſens contra ſagittas toxico infectas antidotũ, Appelles tradidit: ac horũ carnibus pocula imbuta uires ueneni extinguere,

Nulla dies ſine linea.

De ſcincis hæc Dioſcor. lib. 2. cap. 58. Plinius lib. 8. cap. 25. & lib. 28. cap. 8.

stinguere, Albertus ex Solino docuit. pro quibus phar- Solinus ca. 41. Alber. de Nat. animal. lib. 24.
macopolæ, de censu & genere lacertarum, salamādras
uirulentas, & paruas illarū soboles, has in dorso nigras,
illas uersicoloribus maculis uariegatas, utrasque uerò
emicantibus à temporibus oculis, in uentre imo fuluo
colore flauescentes, & sine squammis lubricas (heu fa-
cinus flagris dignū) noxia pro salubribus, uirus lethale
pro antidoto nobis offerunt, similitudine quā salaman-
dra cum scincis ueris habet decepti. Est enim salaman- *Salamādra terrestri crocodilo similis.*
dra, ut refert Nicandri in Alexipharmacis interpres,
animal quadrupes, paruum ut σαύρα, id est, lacerta, ter-
restri crocodilo similis, natura frigidum, qua ignem ex-
tinguit, nec cutem nec squāmas habet. unde Nicander
eam λιπόῤῥινον appellauit, quòd cute deficiat, aut quòd
per tenuem eius corporis pelliculam lentus ac uiscosus
humor residat, cuius frigore ignem extinguat. Vnde *Error medicorum, qui lacertis uirulentis pro scincis utuntur.*
eam in igne uiuere, & si magnus fuerit, eius ardore non
cōcremari, falsò suspicati sunt. paruum quidem ignem,
frigidi eius sanguinis uiribus imparē, extingui cōstat.
Vnde Andreas Grecus auctor inquit, εἰ τῷ αἵμασι αὐτῆς
ἢ χεῖρα, ἢ ἐσθῆτα χρίσῃς, ἀβλαβὴς ἐκ πυρὸς ἔσαι. id est, Si sangui- An salamādra in igne uiuat, & de eius ueneno, Plin. lib. 10. ca. 67. & li. 29. cap. 4. Nicander in Alexiphar. Diosc. libro 6. cap. 4. Alber. li. 25.
ne uel mucore salamandræ manū aut uestē illeueris, ab
igne nō offendentur. At si in arboribus poma & plan-
tarum fructus perreptās, sua humoris lubrici uiscedine
infecerit, homini fient lethale uenenū. Hæc, ut uobis à
falsis pharmacopolarū scincis cauere possitis, uos ien-
taculi loco admonere uolui. & quoniā (inquit Geral-
dus) prādiū apparatū uideo, reliquū est ut discūbamus:
& postq̄ iratū ieiuni stomachi geniū his ferculis placa-
uerimus, si quis plura de scincis aut salamādris scrutari
uoluerit, penes illū sit arbitriū. Nō enim in Prytaneo cū
Areopagitis, qui tacendo iudicabant: aut in schola Py- Colloquium decere conuiuium, Macrob. lib. 7. Saturnal.
thagoræ prādemus, ut totū prandīj tēpus tacendo nos
trāsigere oporteat. Tum ego respōdi: Rectè ô Geralde
sentis: Verba, si aliquid erudionis aut salis habuerint,
plus

plus uini dulcedine conuiuium exhilarare certè solet. proinde postquã iusculum hoc pisorũ sorbuero, libenter à te de netili ex salamandra lanugine, aut pennis perconctarer: an uerum sit, ex hac linthea contexta, & & ad eluendas sordes in ignem proiecta, nõ comburi, sed illæsa, niueq; candidiora euadere. Tum quidem Geraldus humaniter respõdit: Langi mi, de huiusmodi ex salamandræ plumis tela incõbustili, nihil in Australibus aut orientalibus noui orbis insulis cõperi: uerùm dũ Romæ agerẽ, aiebãt Tartarorũ regem summo pontifici lintheũ ex salamandra misisse, in quo sudariũ sacrosancti Saluatoris uultus effigie insignitũ, ab omni incẽdio tutũ conseruaret inuolutũ. Prẹterea fama est, Carolũ Cẹsarem semper Augustũ, eiusq; fidelẽ à consilijs de Nassa Comitẽ, habere χειρόμακτρα, quẹ in ignẽ coniecta, tandem à sordibus purgata, illæsa eximerentur. Verùm hæc ex salamandræ pennis, uel lanugine, quũ utrisq; careat, cõtexi nõ credo. Sed illud quidem probè noui, olim in Aegypto, & Arcadię montibus, ac prope Charystum Euboiæ oppidũ, lapidẽ nasci, quem (ut Strabo ait) pectunt, nent, & texunt, ac inde mantilia cõficiunt, quẹ sordida in flammã proiecta nõ secus emundant, q; si lauacro maculas elueris. Sic quoq; nostra ætate, in Noricorũ & Saxonũ metallis, ac in quodã mõte regionis Chynchyntale, quæ ab aquilone deserto cõfinis ẹst, magno Cham subdita, erui amianthũ lapidem, & minerã quã incolæ salamandrã appellãt, in capillamẽta instar aluminis schisti canescẽtia, una cũ terra quã amplectit cõcretũ, quẽ Grẹci ob id Gẹoden appellarũt. huius minerã sole siccatã, in mortario ẹneo cõtusam, à terra eluũt, & carminatã in fila tenuia pectũt, & nent, ex quib. linthea incõbustibilia texũt, quẹ Plin. ob id linũ Asbestinũ quoq; appellat: Inuẽtũ est, inquit, linũ, quod ignib. nõ absumitur: uiuum id uocãt, ardentesq; in focis cõuiuiorũ ex eo uidimus mappas, sordib. exustis

Linthea incõbustibilia ex salamandra.

χειρόμακτρα id est mantilia incombustibilia.

De lapide charystio, Strab. li. 10. Geograph.

De salamãdræ minera Paulus Venetus lib. j. suæ nauigatio. cap. 47.

De lino incõbustibili, hæc Pli. li. 19. cap. 1.

exustis splendescẽtes, igni magis quàm possent aquis: regũ inde funebres tunicæ, quæ corporis fauillã à reliquo separant cinere. Nascitur in desertis & sole adustis Indiæ locis, ex quo Brachmanes, Indorum philosophi, autore Hierocle, sibi conficiebant uestes. Asbestus quoq; inextinguibile linum dicitur, quoniam ab eo etiam in lampadibus accenso, ignis nihil depascit. Ex eo quoq; factæ thryallides, aut ellychnia, nõ nisi oleo defecto extinguuntur. Hinc Pausanias refert, Athenis in aurea Palladis lucerna, quam Callimachus consecraue rat, ex lino charystio thryallidem perpetuò arsisse. assuescit enim uiuere ardendo. Huius amianthi capillamenta & lanuginem, etiam in nostra uernacula lingua Salamandræ capillos appellamus. Albertus uerò Magnus ille philosophus tradit, quòd magnis ferri, dum fabricatur aut eruitur, massis disruptis, uaporem fusci aut albi cinerei ue coloris erumpere incõbustibilem: qui manib. obuijs exceptus, pannis, aut tecto fabricæ, instar lanuginis adhæreat. & hanc salamandræ lanam dici testatur. Accedit ad hoc, quòd de monte regionis aquilonaris Chynchyntale, salamandræ minera etiam cum chalybe & ferro eruitur. Constat igitur, ne tilis amianthi lapidis capillamẽta, fuisse quoq; salamandræ, non illius animalis uirulenti, sed salamandræ fossilis, pennas dicta. Hæc à Geraldo nobis explicata, omnes uno ore approbant: simulq; in quàm perniciosos errores nomina æquiuoca medicos præcipitarent, cognoscebamus. Præter unum Georgiũ Lembergium, meũ cõsobrinum, qui scincos ueneris tentiginem coercere, Sestio authore probabat, qui eorũ decoctum cum melle uenerem cohibere tradiderit. Ad hæc inquit Geraldus: Ne mireris amice, eadem medicamina diuersa ratione preparata, diuersos quoq; producere effectus. primùm sanè, brassicæ, lentium, ac cicerum decoctum, aluum lubricare: quo diffuso, alterum decoctionis eorũ

Albertus de naturis animalium lib. 25.

De Sestio hæc Plin. lib. 28. c. 8

Galen. lib. 2. de alimentis.

De ruta & mentha hec Gal.li. 4. falub.& 7.ac 8.lib.de simpl. med.Hippocr. lib.2.de diæta.

Ruta gonorrhæam & sacerdotum libidinem sistit.

iusculũ aluum lubricam sistere uidemus. Sic rutam & menthã uirides, flatus & ueneris pruritũ excitare: sicca tas uerò uel frictas, præcipuè eorũ semina, flatus discu tere, et ueneris impetum compescere, ac profluuiũ semi nis (quod Gonorrheam uocant) sistere experimur. Vn de eruditus uir ille Nicandri interpres: Ruta, inqt, græ cè dicitur πήγανον, παρὰ τὸ πήγνυσθαι τὴν γονήν. ἔστι δὲ καὶ ἀντι-χελκτικὸν τῆς συνουσίας, διὸ καὶ οἱ μυούμενοι αὐτῷ χρῶνται. id est, Ru ta, quia sperma fluxile condensat, peganon græcè dici tur: ideo & ea ad castitatẽ seruandam mystæ sacris ini tiati utunt.

De scincorum renib. hæc Galenus lib.11.de simpl.medic.

Nec impossibile uidetur, cum scincorũ in lateribus carnes circa renes, uenerem incendere, Dio scorides & Galen. asseruerint: cum aliarũ partiũ deco ctum, eadem (ut Sestius uult) coercere possit. Ad hęc consobrinus meus Georgius paulo seuerius respondit: Has Geralde de medicamentorũ facultatibus contra dictiones, earumq̃ conciliatores, Petrũ de Appano, ac Gentilem, semper exosos habui, qui nimiũ arguti, plus

Celebre Plinij ex lib.5. cap.1. dictũ, in ostentatores inexpertos.

pro uersatilis ingenij ostẽtatione, q̃ pro ueritate, depu gnant.. quos (ut Plin. ait) præ dignitate indagare uera pigeat, ignorantiæ uerò pudore mẽtiri non piget: nul lo proniore fidei & ueritatis lapsu, q̃ ubi falsæ rei gra

An membrana uentriculi uolucrũ eum corroboret, Dios. lib.2. cap.42. Auicenn.lib.3. capite 3.fen.13. tract. 2. & tractat.1.capite 35 Auerr. 2. col. cap.9.

uis autor extiterit. Sic quum medicinæ herbariæ scri ptor nulli secũdus Dioscorides, internam illam, & ferè corneam gallinaceorũ uẽtriculi membranam elixam, aut aridam contritam, cumq̃ uino potatam, uires uen triculi, & eius orificij nauseabundi corrobare (ex alijs forsan auctoribus edoctus) scripsit: mox nullo facto pe riculo, Auerrois id de omnib. ferè uolucrũ stomachis, perdicũ & mergorum, asseruit: & Galenũ id testificari

Auicẽna falso Galenũ in testẽ producit. Gal.libro 2.de simplic.medic. Serap. ca. 469

(falsa forsan Althabarith Arabis, Galeni interpretati one, deceptus) nugatur Auicẽna: cũ id falsum esse, Ga lenus (ut ipse ingenuè fatetur) comperijt. Plinius tamẽ membranã uentriculi gallinaceorũ inueteratã, aut re cens tostam, ac potioni inspersam, destillationes pecto

ris

ris & tufsim humidam lenire, ficut Dioscorides ueteris galli uentriculũ sale inueteratũ, & in umbra ficcatũ, uentris à pharmaco profluuiũ fiftere tradidit. Nec medicorũ de apio cõtrouersiam tacere possum. aiunt enĩ, si apiũ puerpera ediderit, fœtũ, qui ubera suxerit, comitiali morbo fore obnoxiũ. ideoq; apium fœminam inter nefastos frutices dãnari. unde Mesue eo audacius scribere audet, Dioscoridem tradidisse, rutam prodesse epilepticis, apium uerò epilepsiam excitare: cum Dioscorides nusquam hoc nos admonuerit. An igitur fortasse rectius Sereno poetæ medico crederemus, qui apium epilepticis mederi docuit? Quis, inquit, uestrûm hoc deffiniet? Tum Anonymus, medicus Venetorũ: Medicamentorũ, ait, uires nõ ratione tantũ, sed experiẽtia scrutari oportet. Nam, ut Plin. tradit, uera cuiusq; simplicis medicamenti natura non nisi medico effectu prænosci potest: est enim ingens, occultũq; diuinitatis opus, quo nullũ posit reperiri maius. Nec temerè ueteres medicamentorũ repertores in albũ deorũ retulerunt. Proinde qui uxores aut pellices habent, quid terrestres crocodili in ueneris conflictu posint præstare, periculũ faciãt: de apio ueritatẽ casus fortuiti experientia indicabit. Quid uerò interna uentriculi gallinaceorum, & aliarum uolucrum membranula, ramentis cornu similis, roboris stomacho conferre posit, Galenus dudum expertus est: cuius experientiæ subscribo, ac interim pro ea gallinaceorum pulpa uescar. Exacta enim horum contemplatio potius Medicorum scholas, quàm conuiuium decet. Quare uelim, ut sublatis primæ mensæ ferculis, hospes nobis secundæ mensæ obsonia & bellaria, si qua secum Geraldus attulisset, apponeret. Confestim itaque hospes iussa capessens, apposuit nobis præter uaria generis itriorum pemmata, lagana, rhymmata & tortellas de seni, panem nauticum biscoctum, quem Græci δίπυρον dicunt,

De apio, an epilepticis obsit. Plin. li. 20. c. 11. Mesue in cap. de epilepsia.

Plin. in fine libri 19. hæc.

Galen. lib. 11. de simpl. med.

De istis bellariorũ generib. Galen. libro 2. de alimentis.

etiam myrobalanos emblicos ac cepulos conditos, etiam zizipha, serica, ac mixas, quæ ex Aegypto, Syria, Damasco, & id genus prunorum Geraldus secum attulit, quibus Græcos carere dixit. Atqui hos, inquã ego, arborum fructus ut Aegyptijs, Arabibus, Indis ac Syris uernaculos, Græcos, qui longius ab eorum natali solo abessent, serius quàm Arabum medicos cognouisse fatemur: ita eosdem, unà cum omnibus myrobalanorũ generibus, inter Græcos Aristotelem, Theophrastum, & Galenum ac Dioscoridem, & inter Latinos ipsum Plinium (locupletissimam, uelut alterum Copiæ cornu, ueterũ authorũ bibliothecam) ignorasse, nec Auerrois, nec Geraldus noster mihi persuadebit. En tibi myrobalanos Phœnicis, palmæ in Aegypto & Palæstina Syria arboris fructus, palmulas, quas à prælonga gracilitate articulis digitorum simillima dactylos: à caro, grauedine, qua comesti caput onerãt, Caryotides: has quoque ab arbore, aut postquam maturuerint à colore phœniceo, Phœnicobalanos, id est, puniceas aut uermiculas glandes dicunt: & à succi ubertate, qua sitim sedant, & ut glandes fagi inebriant, πόμα ἄδιψον appellant. Nam Thebaicarum decoctũ, etiam in causone, febre ardenti, sitim arcet: & Orientis incolæ ex his uinum in destillationum morbis, cruenta eructantibus, cœliacis, & cibum euomentibus saluberrimum, φοινίκιτην dictum, infusione dactylorũ præparant, quæ multis seculis ante Auerroim Theophrastus, Dioscorides, Galenus, ac inter Latinos Plinius memoriæ prodiderunt, & Leontinus græcus in Geoponico suo. Quid uerò tibi illam, de censu myrobalanorum quoque, glandem unguentariam, Græcis βάλανον μυρεψικὴν dictam, referam? quæ ex Troglodytis, Thebaide, & de Petra oppido, quod Arabiã à Iudæa disterminat, ac ex ipsa denique Aethiopia in Europã quoque defert. ex cuius glande triangulari, ponticæ nucis magnitudinẽ non excedentis, medulla cum

Plinius ueterũ autorũ bibliotheca.

De dactylis & carotidibus ac phœnicobalanis; hęc Diosc. lib. 1. cap. 135.

De uino ex dactylis, Philost. lib. 2. Dioscor. lib. 5. cap. 30.

Plin. lib. 12. c. 23 & lib. 23. cap. 5. Gal. libro 2. de alimẽtis. Constant. in Geoponico lib. 10.

De glande unguentaria Dioscor. li. 4 c. 150. Theophr. li. 4. ca. 2. Plin. li. 12. cap. 22. Gal. li. 6. de simp. med. Mesue in cap. de been.

cum cortice cõtusa, oleum balaninum, clarum, inodorum ac insipidum emungebant, quo myropolij institores ad preciosa ex malobathro, amaracino & spica, unguenta cõficienda utebantur. Quod uerò de oleo, unà cum cortice contuso, expresso, magma reliquũ erat, μυροβαλάνου πίεσμα dicebant: quo medici, ac præcipuè Galenus in cataplasmatis ad scyrrhos lienis & epatis discutiendos, & ad uulnera conglutinanda utebantur: cuius historiam ac uires Theophrastus inter plantas, Dioscorides & Galenus inter simplicia medicamenta, ac ipse Plinius perbellè conscripserunt: quam Mesue sub nomine been, in suis de simpl. medicina canonibus, à Gręcis acceptam, reddidit. At hæc Galeno & alijs Grecis Latinisq́; rei medicæ scriptoribus non ignota fuisse, spõte cõcedunt. At has de numero quinquenario myrobalanorũ, cum cortice careant, uerius pruna q́; glandes, quo nomine olim omnes esculentos arborum fructus significabãt, Citrinos, Indos, belliricos, emblicos, ac his omnib. maiores chepulas, Galeno, & ante eum Græcis antiquioribus fuisse cognita pernegant: obliti scilicet, Dioscoridẽ chepulas ex Arabia myrobalanos, cum phœnicobalanis comparare, dum ait: Nascitur in Aegypto palma phœnix, ex qua in autumno, anteq́; maturuerint, colliguntur palmulæ, nascentibus in Arabia myrobalanis similes. Atqui constat, phœnicobalanos, quos dactylos quoq; dicimus, cortice, ut pruna, carẽtes, oblonga gracilitate rotundos, in gustu leni stipticitate dulces, cum triquetris glandis unguẽtarij nucibus, auellanis non maioribus, nullo pacto conferri posse: quũ ex his oleũ ad alia unguenta inodorũ & insipidum, ex illis uerò aqua maceratis nõ oleũ, sed uinũ ęgrotis & sanis salutare conficiatur. Reliquũ igitur est, ut Dioscorides alicui de quinq; specieb. myrobalanorum sibi noto, q́ ex Aegypto, uel Syria, aut Arabia ad nos perfertur, cõtulerit: nempe emblicis, uel chepulis,

De myrobalanorũ piesmate, lib. 11. & 18. Methōd. & lib. 9. cõpos. medic. particul.

Glans unguentaria, been Arabum.

De quinq; myrobalanorũ generibus.

Diosc. hæc li. 1. cap. 135.

Oleum balaninum, de quo Diosc. li. 1. c. 32.

Myrobalanorum recẽtium conditura, & uires.

quæ figura & magnitudine, ac ferè nucleo dactylis respondent: quos secũ ex Damasco conditos Geraldum Venetias attulisse credo, nõ ut nobis uel Græcis ignotos, sed ut, quantũ recentiũ conditura à siccorũ differret, simulq́ꝫ ꝙ placida sint myrobalani astrictæ alui lenimina, ac cerebri neruorũ uiriumq́ꝫ ingenij robora, cognosceremus. Quinam enim, obsecro te, fieri potest, ut hæc tam præclara medicamina Græcos latuerint, cum Aristoteles, alter Græcorũ scholæ coryphæus myrobalanorũ arborẽ, & eorũ fructuũ temperaturas in lib. de Plantis tam scitè descripserit, ut nemo Arabum causam stiptici & amari, à principio tamen dulcis, myrobalanorum saporis exactius reddiderit: τῶν μυροβαλάνων δὲ δένδρων ἐν τῇ ἀρχῇ, ὅταν φανῶσι οἱ καρποί εἰσι γλυκεῖς. κοινῶς δέ εἰσι στρυφνοί, καὶ ἐν τῇ κράσει αὐτῶν πικροί. αἰτία δέ ἐστιν, ὅτι τὸ δένδρον αὐτῶν ἐστιν ἀραιὸν τοῖς κλάδοις. & reliqua, quæ latinè ita reddũtur: Myrobalanorũ arborũ fructus, quando principiò apparẽt, sunt dulces: cõmuniter tamẽ acerbi, uel stiptici, & ꝑ ratione tẽperaturę eorũ amari. Causam aũt horũ esse, porosam & raram arboris ramorũq́ꝫ substantiam. Principiò enim, quãdo calor frigidam & humidã myrobalanorũ cruditatẽ maturare pergit, ipsi dulcescunt: quæ cum per arboris poros tẽpore concoctionis unà cũ calore difflatur, ex derelicta cum frigore siccitate, myrobalani stipticitatẽ acquirunt: qui tandem, accedente per latos arboris poros calore solis, interno & cõgenito eorũ calori, plus ęquo concocti, amarescunt quoq́ꝫ, & quadam fuscedine uel nigredine inficiuntur. qualis fructuũ temperaturæ constitutio, & saporis principio quidẽ dulcis, tandẽ uerò insigniter stiptici & amari qualitas ac color, quũ nec phœnicobalanis, nec glandinis unguẽtarię nucibus cõmunis sit, necessariò Aristoteles hic de tertio myrobalanorũ genere loquutus uidetur. Quòd uerò illis nõ tam frequẽter ut Arabes usi sint, id eo nomine factũ arbitror, ꝙ exo-

De myrobalanis hæc Arist. in fine lib. 2. de plantis.

Galen. de theriaca ad Pisonẽ, myrobalanos ait splenẽ iuuare, ut eupatorium epar.

tica nõ nisi diu perspecta, cũ uernaculis cõmutare uoluerint: quorũ usum postea Actuarius & Aetius nõ quidẽ neglexerũt. nã & Alex. Trallianus græcus, ἰατρὸς à Mesue dictus, myrobalanos spleni affecto prodesse testat̃, Mesue multis annis senior. Tũ Georgius Schlesita medicus meũ interpellans colloquiũ: Langi, inq̃t, cõsobrine, quæ obsecro est dementia & inurbanitas, ut repertis frugibus, adhuc glandib. uescamur? quin potius rogemus Anonymũ Venetorũ medicũ, ut mixaria, serica ac zizipha à Geraldo allata, quæ dulci saporis lenocinio glandes stipticas et acerbas lõgè superãt, degustet: & quib. Arabicis ac Græcis Latinisq́ꝫ nominib. in officinis aromatariorũ inscribant̃, nobis significare uelit: et quam ægrotis opem ferre possint ostẽdat. nam pleriq́ꝫ hos sanis & ęgrotis noxios esse cõtendunt. Tũ Anonymus: uiri Germani, ait, ne asymbolus cõuiuio interesse uidear, quicq̃d de istis Arabũ fructib. ac prunis, quorũ magna copia quotannis ex Damasco et Alexãdria Venetias perfert̃, exploratũ habeo, libẽter uobis cõmunicabo. Iuiubas certè Arabũ, esse Gręcorũ Latinorũq́ꝫ zizipha, & Plinij tuberes, quæ S. Papinius cõsul nouissimis diui Augusti Cæs. tẽporibus ex Syria Romã attulit, quæ ob id à natali solo Galenus serica appellat, quę in castrorũ aggerib. sata, baccis q́ꝫ malis, mucilaginoso succo plena, fuerũt similiora: quę ægrè concoquunt̃, & exiguã corporib. alimoniã sufficiũt: quorũ usus an in salubri uictus ratiõe, aut quib. morbis arcendis sit salutaris, Galenus testificari nõ potest: sed ea solũ insidentib. & effrenatis compescendis pueris, ac ab imprægnatis, quos pica infestat, in muliebri malacia ea desiderari & expeti refert. Serunt̃ hæc, & auulsis q̊q́ꝫ ex media arbore surculis, sorbis implantant̃, & tũ zizipha teneriora nascunt̃: quæ, ut Didymus in Georgicis refert, εἰς οἰνόμελι φυλάττεται ἐμβεβλημένα, ὑποστρωμένων αὐτοῖς ἢ ἐπικαλυπτομένων καλαμοφύλλων. id est, zizipha uino mulso iniecta, diu seruant̃, aut ipsis substratis uel coopertis arundinũ folijs,

Myrobalanis Alexander iatros utitur li. 3 de poculis ad lienem.

De iuiubis Arabum Plin. li. 15. cap. 14. & Constantin. lib. 10. cap. proprio.

De Syriacis prunis & malis, hæc Galen. li. 2. de alimẽt. Columel. lib. 6 cap. 8.

De mixis hæc Serapio cap. 8. Auerr. cap. 56. Pallad. libro 2. cap. 24.

En quæ his adhuc adhærere uidetis: reliqua in hac patella, condita uino mulso, fuerunt. At mixa sunt arboris in Syria fructus, prunis damascenis populares, sed corpore exiliores: ex quibus in Aegypto uina fiebãt, uiribus damascenis proxima, & ęqua. Crescebãt olim circa Sebastã Samarię metropolim, unde patriũ nomẽ Sebesten habẽt. Crescũt quoq; in Aegypto, ubi Nilus septem ostijs circa Alexãdriã, Memphim, & Cayrũ, nouæ Babyloniæ portũ & emporium, sese in mare mediterraneũ exonerat. unde Diodorus Siculus: Aegyptij, inqt, uatta mixaria dicunt: circa Nili ostia nascũtur, quę quia suauia sunt gustu, pro tragematibus præbentur. Quod & Geraldus in hoc prandio, ex composito fecisse uidet̃, urbium quas uidit mores imitatus. Hos fructus conuiuiorũ lauticijs adhibere ueteres non erubuerunt: quos quidam de medicorum nostri seculi collegio, quia uentrem constipent, parũ alant, ægrè concoquantur, ex medicamentorũ albo ꝓscribũt: cũ tamẽ ratio formalis medicamentorũ nõ alimoniã exigat, sed alteratione͂, & humorũ quib. natura onerat̃, adiuuamine caloris naturalis concoctionem, & expurgationem, ac naturæ robur requirat. Quum igitur hæc Arabum mixaria, & Aegyptiorum zizipha, sua congenita mucoris dulcedine, tussim & gutturis asperitatem, ac pulmonis & pectoris ex distillationibus uicia leniant, ac illorum decoctũ suo frigido & dulci lentore urinæ in uesica & ureteris ardore͂ & stillicidium extinguat, renum uesicæq; scabriciem sanet: quumq; Galenus de his non fecerit periculũ, etiam (ut ipse ingenuè fatetur) an sanis aut ægris prosint, testificari non potest. Sed horum uires commemoratas, præter Auicennam, Rasim, ac Serapionem, esse efficaces, ipse crebrò sum expertus. Tam præclaros igitur fructus in morbis pectoris, ac urinæ uel ureterũ morbis curandis, nullius esse frugi, quis nisi inexpertus credet? Vale.

De uiribus mixariorum, Aegineta hęc li. 7

Mixis tragematum loco ueteres usi.

Diodor. lib. 1.

Iuiubas & sebesten pectoris ac uesicæ morbis prodesse, Serapio & Arabes testantur.

Gal. de sericis non habuit experientiam, ut ipse li. 2. de Alimé. testatur.

DE

DE MALOBATHRO ET VNGVENTO *foliatho, netopo, & oleo ſpano, malis Perſicis & citrijs.*

Epiſt. LXVII.

QVæ in prandio tractauimus, Critobole, hæc, ut acta ſunt, tibi ſignificaui. uerùm ne ſeiuncti iucundo Geraldi colloquio priuaremur, quum Geraldus ob aquę dulcis penuriam, diu non lauiſſet (aqua enim maris, ob congenitã illi pinguedinem, nec ueſtium nec corporis ſordes eluit) omnibus placuit, ut Paduam ad dulcis aquæ lauacra proficiſceremur, ut etiam marinis flatibus & balnearum tepore prandij crapulã concoqueremus. unde nec temere, quamuis contra medicorum decreta, ille, quem Satyrographus inceſsit, turgidus & crudum pauonem in balnea portabat. Manè uerò loti, quũ exemplo Pollionis Romuli, aut ut Athenæus uult, Democriti, corpus intus uino, foris oleo curaſſemus, Venetias ad cœnam, à me Geraldo & alijs de medicorum ſorte conuiuis condictam, reuertimur. De naue igitur in xenodochiũ egreſsi, quũ hoſpes omnia lautè adornaſſet, tum ego: ô hoſpes, inquã, tu ut bonus & frugi paterfamiliâs probè noſti, quæ extra domum ſunt officia, mercari, pro patria pugnare, agrum colere, uiris eſſe alacriter obeũda: & negocia, quę intra domus ſepta fieri oportet, ut pecora mulgere, pẽſa de colo ducere, nere, lanam & linum pectere, caſeos ex colluſtris coadunare, penu ac culinam curare, ad matremfamiliâs & eius ancillas ſpectare. Iube igitur has, ut quæ ſunt earum munia, expediant, de Gręcorum more. En itaq; ad nutum hoſpitis confeſtim uenuſtæ indolis & ſpectati pudoris ancillæ aderant, calamiſtratis circa tempora capillis, & in uertice coronis ex roſis uerſicoloribus conſertis redimitæ. quarum altera, ut Homerus ait,

χέρνιβα δ᾽ ἀμφίπολος προχόῳ ἐπέχευε φέρουσα,

νίψασθαι δὲ παρὰ, ξεστὴν δ᾽ ἐτάνυσσε τράπεζαν.

Vna igitur afferebat in gutturnio aquã ſtillaticij roſarum, & florum lauẽdulæ liquoris, quam, ne illotis manibus diſcumberemus, illis in ſubiectam peluim inſpargebat: altera uerò lintheo ſuccincta cãdido, chiromactrã & coronas porrigebat: & ut de more Græcorum à balneo inungeremur, unguentum pholiatum ex malobathro, & netopum quoꝗ fragrantiſsimi odoris, offerebant. Tum ego: Quid, inquam, ancilla nobis muliebre hoc unguentum, quod galbani uirus, unde metopij nomẽ habet, redolet: quod Heſychius neſcio quàm rectè νετώπου & νετώπιου appellat; quo Hippocrates paſſim in uteri affectibus, ad induratas matricis cotylidonas emolliendas, & obſtructas aperiendas, & ad ſecundas eijciendas, peſſariorum loco potius, quàm ad conuiuiorum delicias utitur. id matrifamiliâs tuę ſeruabis: nobis unguẽtum ex malobathri folio, inuentu rariſsimo, ſufficit: de quo libenter Anonymum Venetorum medicum audirem. Qui reſpõdit: Præterita hebdomada cũ ex Alexandria nauis aromatibus onuſta Venetias appuliſſet, accurrebam: & dum nauis à mercatoribus exoneraretur, numeratos in manu marcellos ꝓferebã, pro quibus malobathri folia petij. At illi quędam glabra, nõ tamen inodora gariophyllorum arboris folia offerebãt, fibris uelut arnogloſſæ latioris folia, neruoſa: nec aliud in tota India reperiri affirmabant. At huic Plinij deſcriptionem non competere aiebam, qui: Dat (inquit) & malobathron Syria, arborem folio conuoluto, arido colore, ex quo oleum ad unguenta exprimitur; fertiliore eiuſdẽ Aegypto: laudatius ex India uenit. in paludibus ibi gigni tradunt, lentis modo fluctuans folium, nulla radice nixum; odoratius croco, nigricans, ſcabrumꝗ, quodam ſalis guſtu. minus probatur candidum, celerrimè ſitũ in uetuſtate ſentit. Sapor eius nardo ſimilis eſſe debet ſub lingua, odor uerò in uino ſufferuefacti antecedit

Virtus netopi unguenti. Dioſcor. lib. 1. cap. 68. appellat metopium.

Pli. hæc lib. 12. ca. 27. & Dioſcor. li. 1. ca. 11.

dit alios. Hæc uerò singula indicia in nostro officinarũ malobathro desiderari, quisque nouit. At uerò utrunque tam arboreum quàm palustre malobathrum, non tantum in mediterranis Indiæ locis, unde foliũ Indi appellatur, sed etiam circa maritima Erythrei æquoris, quod syluis abundat, littora & stagna nasci, salis eius sapor indicat, qui herbis maritimis est peculiaris. Sic brassica marina, quam soldanellam uocant, cretanus marinus, & ipsa corallina, muscus marinus dicta, salem resipiunt. Vnde Androsthenes uerè de Tylo insula Rubri maris narrauit, aquas salsas fluẽtes plus quàm cœlestes iuuare, tam arbores, quàm reliquum omne genus plantarũ: quia ob raritatem imbrium, pluuiali aqua non assueuerunt plantæ. Proinde ego mercatoribus fideliter suasi, ut deinceps non in India, nisi in Gãgis fluuij emporio, sed potius in Thina & Tylo, alijsque Erythrei maris insulis quærerent: in quibus Arrianus historiographus, dũ rubri maris littora & oras legeret, magnã malobathri copiã se reperisse gloriatur. ait nanque, in fine Erythrei maris, in extrema ora, esse ciuitatem mediterraneam, quam Thina appellant, uelleribus & ex serico aulęis diues, ad quã quotannis gẽs ex Arabia uicina, unà cũ uxorib. & liberis ꝓficiscitur, quã Setas, homines latiori uultu, lori pedes, attamẽ robustos, & crudeles, appellãt: qui in uicinis Thinorũ recessib. delitescũt, nocte sarcinulis odoratis, quas secũ attulerũt, incubãt: postque raptu ditati discesserũt, ciuitatis Thinę incolæ sarcinulas, quas Gesatę liberis substrauerũt, malobathro plenas colligunt: & auulsis de calamis, quos πέτρος appellãt, & de folijs fibris, ea in globulos cõplicãt, quos ex maiorib. folijs ἁδρόσφαιρον, ex mediocrib. folijs μεσόσφαιρον, ex minorib. uerò folijs cõpactos μικρόσφαιρον malobathrũ dicũt, quę sic cõpacta in Indiã deferũt, & magno uẽdũt. Vnde Pli. malobatrẽ esse folio cõuoluto dixit: & Dioscorid. ꝓbat id, quod ob fibras frãgẽti cõtumax est, nec facilè discerpit, dũ ad globulos cõpingẽdos, ne succus & odor exhalet, ꝑparatur.

De salsedine plantarum rubri maris, Theophrastus li.2. de causis plãt. cap.7.

Quum hæc à me dicta omnes approbarent, tum ego hoſpitem admonui, ut cõuiuas iam lotos & unctos diſcũbere iuberet: & primùm omnium, quo alacriores forent, & ſtomachi appetitũ excitarẽt, illis in acetario cardamũ, ſiue naſturtiũ in aceto paſſularũ, & oleo ex Italia Sabino maceratũ, offerret. & ne uteretur oleo ſpano, quod ex Hiſpania & Iberia affertur, ob ſtipticitatẽ ulceroſę laſſitudini noxiũ, indixi. Tum Georgius meus conſobrinus: ô Langi, inquit, quoniã frequẽs fit apud Galenũ & chirurgos, olei ſpani mentio, per cõmunes utriuſq; noſtrûm auos & atauos te obſecro, ut illius præparationẽ nos edoceas. Tũ ego: Nimis ſeriò Georgi à me præcibus efflagitas, quod ad incrementũ ſtudij ſpõte mea facturus erã. Id certè Damogerõ in Georgicis ſuis ita cõficere iubet: nẽpe ut oleo ab amurca defæcato, & feruẽti, triplũ aquę tepidę unà cũ ſale cõtuſo inijciatur, ut exactè cõmiſceant, diuq; agitata ſtent, tãto tẽporis interuallo, donec aqua unà cũ ſale in amurcę locũ ſubſederit: tãdẽ oleũ ſupernatãs, lebete uel cochleari excipito. quo exhauſto, iterũ affuſa aqua tepida bene commiſceto. & quicquid olei puri, poſtq; aqua peſſum iuerit, ſupernatat, uaſculo excipito. Poſtea ſuccũ de folijs, aut tenerioribus olearũ ſurculis (quos Græci θάλλους uocãt) expreſſum, ut oleũ acuitatẽ & amaritudinem acquirat, quibus ſtipticitas interna ſubire poterit, illi addas: & ſi hoc tibi paratũ defuerit, & in oleo ueteri uireſcentes olearũ thalos decoxeris, ijs expreſsis oleũ ſpano uel etiã omphacino ſuccidaneũ habebis. unde Galenus: ἢ μὲν τοῦ ἀπὸ τῆς ἰβηρίας ἀπορεῖς, ὃ πάντες καλοῦσιν σπανόν, θαλλοὺς ἐλαιῶν ἁπαλῶν θλάσας, ἐμβαλεῖς ἑτέρῳ τινὶ τῶν ἐπιτυχόντων ἐλαίων. Et ſi unà decoxeris, oleum ſpano uel omphacino ſuccidaneum habebis. Poſtea unà cum alijs opiparè inſtructis ferculis, ancilla maior natu roſeo genarum rubore decora, leporẽ toſtũ appoſuit, quã Euãgelus adoleſcẽs ita affatus eſt: O ancilla mi, per tui chari amaſij nomen te obteſtor,

dic

De olei ſpani præparatione hæc Conſtant. in Geop. li. 9.

De oleo ſpano & eius ſuccidaneo, Gal. li. 11. Method. & li. 2. de compoſ. medic. gener.

dic amabò, si intra septem dies de lepore comedisti? At illa pudoris rubore suffusa: Non uides, inquit, Euangele, leporem, ita ut de ueru auulsus est, esse integrũ? Ego enim, & perchara meorum laborum consors Vrsula, nõ mures sumus, qui inscio domino escas arrodamus. Tũ Anonymus: Geralde, inquit, quamuis naturà mures & felium aspectum abhorreas, dic quęso, si in lecto tuo huiusmodi mures inuenires, expauesceres ne? & ad quẽ proripere uelles? Certè, respondit, quantũuis benignũ esset noctis frigus, lecto non cederẽ. Vrgebat Euangelus, ut ancilla ueritatem cõfiteretur. Tum illa inquit: Veritatẽ nos fateri non pudet, si modò causam cur hęc sciscitaris, nobis quoq; dixeris. Nudiustertius domina nostra hic præsens, ut clemens, ita erga suam familiam quoq; liberalis, aliquot leporis frusta in nigro iure & siræo & leporis cruore elixa nobis impartiuit, quæ satis auidè comedimus. Tum Euangelus: Iam æquum esse arbitror, ut causam scrutinij mei explicem. Video uos lepido ingenui pudoris rubore & uultu decoras, nec ut quasdam, quæ præcordia contra naturam fascijs coarctant, nimis graciles, nec plus æquo habitiores: uerùm ille tam elegans corporis habitus, & color, uobis ne à natura, an comoticæ artis fuco, aut esu leporis comparatus sit, dispicere non potui. Tum ambæ: Satis, aiũt, scommatum & ludibrij ob inopiã, quę nos miseras uobis ludibrio exponit, & ridiculas facit, audiuimus. Tũ Euangelus: Certè, inquit, non ludo. nam grauissimi auctores, qui rerum naturalium historiam conscripserunt, & poetæ quoq; tradunt, esu leporis uenustatis decorẽ in septimum aut nonum usq; diem prorogari. Vnde facetè Martialis Gelliæ anui deformitatẽ ita exprobrat:

Cum leporem mittis, semper mihi Gellia mandas,
Septem formosus, Marce, diebus eris.
Si uerum dicis, si uerum Gellia mandas:
Edisti nunquam, Gellia, tu leporem.

Tũ materfamilias unà in primo tabulæ ſubſellio diſcũbens: Nolite, inquit, uos omnes ꝑ deos immortales obſecro, has leporũ uires publicare. eſt nãq; mihi anus uicina, quæ nuper adoleſcẽti nupſit, zelotypa, quæ omnẽ muliebrẽ mundũ pro tali lepore expẽderet. q̃ti uerò arbitramini in his Auguſtanis comitijs uenũdari poſſe leporem? Aedepol, quãuis leporibus, quia ſuperfœtat uterq; ſexus, uix ullum animal, & ipſis cuniculis eſt fœcũdius, tamen tota Bauaria, & ipſa Aſtypalæa inſula, in qua uno anno ſex leporum millia capta ferũtur, ſatis leporum nobis ſuppeditare non poſset. Tum Euangelus: O mulier, inquit, uenuſtate nulli ſecunda, tu lepore non eges. Tum hoſpes: Et tute lepus es, & tamen pulmentariũ à puella quæris? Deinde Euangelus: Iſta ſobrius non quæro. Sed ne fabulam me dixiſſe arbitremini, hiſtoria, & non illepidum de Alexandro Seuero imperatore (qui quotidiano leporũ eſu corporis uenuſtatem aucupari dicebatur) hendecaſyllabum, uulgò notum & frequens, id uerum eſſe teſtatur:

De multitudine leporum in Aſtypalęa, hęc Athe. li. 9. Dipnoſoph.

Pulchrum quod uides eſſe noſtrum regem,
Quem Syrum ſua detulit propago,
Venatus facit, & lepus comeſus.
Ex quo continuum capit leporem.

Carnẽ leporis ad pulchritudinem conferre.

Sed Alexander Seuerus Imperator, ut non erat amuſus, ita ſcomma illud lepido hendecaſyllabo reprehendit. inquit enim:

Pulchrum quòd putas eſſe ueſtrum regem,
Vulgari miſerande de fabella,
Si uerum putas eſſe, non iraſcor.
Tantum, tu uelim comedas lepuſculos,
Vt fias, animi malis repulſis,
Pulcher, ne inuideas liuore mentis.

Nam C. quoque Plinius cerebro leporis perunctis gingiuis pueros, facilè dentire: & leporum cibo ſomnolentos fieri, Cato arbitratur. Vulgus uerò & gratiã corpori

corpori in nouem dies, sed ioco friuolo, conciliari censet. Cui tamen, ut Plinius ait, in tanta persuasione aliqua subesse debeat causa, quam nobis Langius, qui crebrò uenationibus Palatinorum interfuit, explicabit. Plin.lib.28.ca.19.circa finem. Tum ego: Euãgele, inter omnes medicos cõuenit, colorẽ à sanguinis bonitate, cuius index est, depẽdere. Videmus enim quotidie in hyposarca, retẽtione mẽsiũ, febribus, & spleneticis, quib. lien uel epar, alterũ uel utrũque procreãdi aut depurãdi sãguinis organũ, induratũ uel obstructũ, aut quis modo affectũ est, liuore uultus pallescere: qui melãcholicis peculiaris, in corpore hirsuto, est color. Atqui cũ caro leporũ, omniũque animaliũ oblongas habentiũ auriculas, sanguinẽ melancholicũ (ut Galenus refert) gignat: qua ratione igitur fiat, ut ex leporũ esu, puellarũ genæ rubore rosarũ effloreãt, assequi non possum. Hoc uerò Geraldus hac ratiõe cõfutabat: Quęcunque, inquit, animalia dulcẽ ac delicatissimũ sanguinẽ habẽt, qui potis est, ut horũ esus in alienis corporib. sanguinẽ grossum & obscurũ gignat? At talis est leporum sanguis, quẽ alijs omnib. bonitatis alimonia pstare, Gal. Gal. lib. 3. de Alimentis. his uerbis fatetur: τὸ δὲ τῶν λαγωῶν αἷμα, ὡς ἥδιστον τετίμηται, καὶ πολλοῖς δι' ἔθους ἐστὶν, ἕψειν αὐτὸ σὺν τῷ ἥπατι, τισὶ δὲ καὶ μετὰ τῶν ἄλλων σπλάγχνων. id est, Leporũ sanguis, omnib. alijs, ut suauissimus pfertur: quare plerisque cõsuetudo est, hũc cũ epate & alijs leporũ uiscerib. decoquere. Tũ Georgius ex Schlesia medicus: Viri, inquit, coepulones, non rectò examine hũc purpureũ in ancillarum uultu colorem expẽditis. Iubeat hospes illas pallescẽtis grana cymini, aut alliũ edere: tũ si color hic natiuus est, durabit. si uerò ex fuco aliq̃ cerusæ, hydrargyri, aut unguẽti citrini unguine acq̃sititius: tũ ille rubens in candido uultu nitor statim obsolescet. Tũ ancilla subirata: Vos temulẽti, ait, quid nostræ naturæ dotes, quas Deo acceptas referimus, uestra intersũt? q̃n potius de uestrarũ in Schlesia mulierum pulchritudine, de qua cũ Venere ipsa cõtendere audent, his periculũ facite: q̃doq̃dẽ esu asinorũ

sunt

sunt famigeræ, lacte'ne asinino rugas frontis explicue-rint: an ut uultus nitesceret, eo faciei neuos eluerint. Sicut & Poppea Domitij Neronis uxor, quingentas secũ duxit & aluit asinas fœtas, ut illarum lacte in pleno balnearum solio corpus erugaret, cutisq́ lactis candore nitesceret. Tũ materfamiliâs his lœdorijs offensa: Tace, inquit, morosa: non hic de pulchritudine Paris ille Phrygius pastor iudicat. istæ sanè contentiones magis forum, quàm cõuiuia decent. Quin potius nobis ad secundam mensam bellaria afferas. quid ociosa cunctaris? nisi hospites revererer, testudineum illum tuum gradum uerberibus accelerarem. Tum Vrsula: Quæso te domina, inquit, ubi sunt reposita? Tum illa: En, garrula, tibi claues, sublata aulæa in rhisco reperies: an hæc ignoras? quæ uerò ad choræam spectant, probè nosti ubi sint seposita. Ibi illa accelerãs, nobis in phialis apposuit persica diuersa, Aegyptiaca, Romana, Duracina, Armenia, ac odorifera illa Medorũ mala citria, partim melle despumato condita, partim solis uel leni furni tepore passa. At Anonymos: Quid persica, inquit, modò, quæ principium ferculorum plus quàm secundas mensas decent, nobis, contra Galeni & omniũ medicorum præceptum catholicon, ancilla offert? inter quos omnes conuenit, ea fercula, & præcipuè obsonia mali succi, cacochyma, humida & lubrica, ut alia per aluum unâ deducant, qualia sunt persica, ante alia esse edenda. Vltimò enim comesta supernatant, aliaq́ computrescere cogunt. Atqui cũ ex Persia ad nos translata sint, cur Aegyptiaca appelles, rationem nobis reddito. Tum ego: Libens id certè faciam, inquam. quidni enim hospiti meo charissimo morem gererem? Rholus quidem Democritus, ut Nicandri interpres testatur, in libro de Sympathia & antipathia rerum, tradit, Persas letiferæ arboris perseæ surculos, ex ueteris simultatis & uindictæ affectu, in Aegyptum misisse, sperãtes plu res

De lœdorijs Macrob. lib. 7. Saturn.

Gal. lib. 2. de Alimentis.

Nicandri interpres hæc in Theriacis.

res noxijs perseæ arboris pomis interituros. at deorum & fertilis soli, Nilo irrigati, benignitate factum esse, ut huius uirulentia, in salutarem fructum sit commutata. id quod Columella etiam testatur:

Stipantur calathi pomis quæ barbara Persis
Miserat, ut fama est, patrijs armata uenenis.
At nunc expositi paruo discrimine læti,
Ambrosios præbent succos, oblita nocendi.

Verùm id si de nostri orbis aut Romanis persicis intelligatur, falsum esse Plinius ita conuincit: Persicæ arbores, inquit, serò & cum difficultate in alias terras transferuntur, ut quæ in Rhodo nihil ferāt, quod primùm ab Aegypto erat earum hospitium. Atq; hoc Theophrastus ita clarius explicat: Discrimen, inquit, ad fœcunditatem sterilitatemq; summum, uel locorū natura facere potest: ceu in perseis palmisq; patescit. Persea enim in Aegypto & locis ei finitimis tantum fructificat, & in Rhodo tantum floret: sicut palma apud Babylonē fœcunda, translata in Græciam sterilescit. Et subiungit idē Plinius, falsum esse, uenenata cum cruciatu in Persis gigni, & pœnarum causa à regibus translata, & in Aegyptum terra mitigata. id enim de persea diligentiores tradunt, quæ in totum alia est, & mixis rubescētibus similis, nec extra orientem nasci uoluit. eamq; peritiores negauerunt ex Perside ad supplicia translatā, sed à Perseo Memphi satam. Semper autem folia habet, & poma, subnascentibus alijs. nouus enim fructus anniculi maturitatem semper præoccupat. materies eius robusta, ad mensas & lectos, ac nauigia cōpingenda, peraccommoda: colore atra, & contorta, cætera uerò piro simillima. Quum igitur persea sit Aegypto, in qua solū fructificat, peculiaris, quis non meritò eius poma Aegyptiaca appellauerit? & quia toto anno uiret, fructibus semper alijs subnascētibus fœcūdā, nec folia ei decidant, quis mentis compos perseam Aegypti à nostra

De persea hęc Plin. lib. 15. ca. 13. Theophr. de Historia plantar. lib. 1. cap. 5. & lib. 3. cap. 5.

De persea arbore Theoph. lib. 4. cap. 2.

persicorũ arbore nõ plurimũ distare negabit? Nemo arbitror. Aristoteles tamẽ in libro de Plantis, id persicorũ genus βελένιον appellat. inquit enim: βελγώνιον δὲ δηλητηριῶδες, τὸ γινόμενον ἐν τῇ περσίδι, μεταφυτευόμενον ἐν αἰγύπτῳ, ἢ ἐν παλαιστίνῃ, γίνεται βρώσιμος: Belenium in Perside deleterion, transplantatum in Aegypto aut Syria Palæstina, fit salutaris cibus. Nostra quoq; persica uulgaria, olim Græciæ & Italiæ peregrina, ex Persia, unde nomen habent, Romam aduecta, in Aprili unà cum amygdalis, sed flore rubicundiore, in uineis florent: aqua in qua persicæ flores amarulenti septies macerati sunt, cum sachare ad spissitudinem zulapij decocta, uermes unà cum astrictæ alui excrementis protrudit. Hæc si uarijs insculpta characterib. nasci uelis, tum ossa eius septẽ diebus terra obruta, postquam dehiscent, nucleos exemptos cinabari exarato, & rursum intra testas diligenter compactos sub terra reconde, & persica suis inscripta characteribus nascentur. De horum genere sunt duracina, à quorum nucleis, dentibus aut cultro caro eorum ægrè auellitur: quæ detractis ossibus solis, uel furni tepore siccata, uel melle condita, aut oxymelle uel muria, etiam si umbilicum pomi gutta picis calentis oppleueris, ut sic in uase concluso innatare sæpe cogantur, diu ea saporis iucundi conseruabis. Sunt quoque de persicorum classe ex Armenia poma, prædictis minora, stomacho tamen salubriora: & quia illa serò in autumno, hæc uerò in æstate maturescunt, præcocia quoque dicuntur. Sunt & alia plura persicorum genera, quorum quædam in censu prunorum numerantur, ut Galeno κοκκύμηλα: de quibus Aristophanes grammaticus ait, κοκκύμηλα τοὺς λάκωνας καλεῖν ὀξύμαλα περσικὰ, ἅ τινα ἄδρια. Sunt quoque rei agrariæ scriptores, qui nuces à malis ita discernunt: ut nuces dicant omne pomum, quod foris duro cooperitur cortice, & intus latet quod edendo est: malum uerò, id

De persicis ista scribit Palladius lib. 10. tit. 7.

quod

quod esui est foris habeat, durum intus includat. Secundum hanc definitionem, persicum, quod Sueuius poeta in suo Moreto inter nuces molluscas, id est molles recenset, Cloacius libro 4. rectius inter mala enumerat: quæ tamen quia uobis omnibus digitis uestris notiora arbitror, satis erit Græca Latinaq; illorum nomina & natale solum significasse. Tum Geraldus: Langi, inquit, quandoquidem Cloacius citreum pomum, & Oppius, inter mala persica enumerant, de his & Virgilium hæc dixisse uerisimile est:

De persicis hæc Macrob. lib. 3. Sat. cap. 15. Dioscor. li. 1. cap 142.

Virgil. lib. 2. Georg.

Media fert tristes succos, tardumq; saporem
Felicis mali, quo non præsentius ullum,
Pocula si quando sæuæ infecere nouercæ, &c.

Quare ut totam persicorum historiam nobis explices, æquum censeo, ut de citrijs & arantijs quid tibi compertum sit, enarres. Tum ego: O Geralde, inquam, nõ tantum Cloacius & Oppius, sed ipse quoque Dioscorides, citria inter mala Persica enumerat, dum ait: Postremò, quę Medica Persica'ue aut citromala, à Romanis uerò citria uocantur. Generantur enim, inquit Oppius, in Perside, omni tempore, mala citria. alia enim præcarpuntur, alia maturescunt. quod Pontanus uester in Hortis Hesperidum eleganti carmine ita testatur:

Pontanus lib. 1. de Hortis Hesperid.

De fœcunditate citri Plin. lib. 12. cap. 3. Pallad. lib. 4. cap. 10.

Mala nitent uirides primùm referentia frondes,
Hinc rutilant, fuluoq; micant matura metallo,
Flore nouo semper, semper quoq; fœtibus aucta.

Vnde Theophrastus: Media, inquit, regio & Persis tam alia plura mala fecit, quàm malum persicum, ab alijs medicum quoque uocatum. habet arbor eius folia similia & ferè æqualia lauro, portulacæ, ac iuglandi: aculeos quales pirus syluestris, aut oxyachanta, sed leues, acutosq; uehementer, & ualidos. pomum eius non manditur, sed odore præcellit. eiusq; arboris folium odoratissimum est: & si in scrinijs pomum eius intra uestes

Ex Theophrasti de historia plant. lib. 4. ca. 4. Athen. lib. 3. hæc repetit.

 ponatur,

ponatur, à tinearum rosione inoffensas conseruat. Anhelitus graueolentiam arcet, si decocto pomorum eius os colluitur. Commeduntur & poma eius, in prægnãtium malacia, quam Græci cissam uocant. Presens quoque remedium, si quis deleterium pharmacum biberit, & semina cum pomorum succo contusa cum uino biberit: per uẽtrem enim pharmacũ extrudit. unde Oppius inquit: Citreum est odoratissimum, quod uesti interiectum tineas necat. Vnde Homerus, & Neuius poeta, uestes citrosas cognominant. Refert & uenenis esse ita contrarium, ut tritum cum uino, purgatione uirium suarum bibentes seruet. Tempore Theophrastri ac Plinij pomum non edebant, sed ueluti thesaurum (Athenæo teste) in scrinijs cum uestimentis reponebant. Quam uerò efficax sit contra omne uirus remedium, uel ex hac Athenæi de duobus latronibus sicarijs historia, conijci potest, quos ad uirulentas bestias condemnatos in Aegypto refert: uerùm cum ad supplicij theatrum, bestijs uirulenti atrocitate efferatis plenum deducerẽtur, mulier cauponaria illis obuia, ac horum miserta, citriũ quod manu habebat illis edendum prebuit. quo cõmesto, cum illesi & citra noxam cum draconibus colluctarentur, accersito à præside carceris præfecto, Ecquid alexipharmaci præbibissent, uel edissent, percõtactus, nihil præter citrium respondit. præses igitur de uiribus citrij certius periculum facturus, alteri tantũ de citro prebuit, cui item bestiarũ uirus nihil obfuit: alter uerò ab aspide morsus, quamprimum in theatro concidit, & expirauit. Nec dissimiles uel impares contra toxica uires Theopompus ruthæ attribuit, qui refert, Clearchũ Heracleoti tyrannum multos aconito interemisse, ueneno quod in Aconis iuxta Heracleam locis nascitur. hoc cũ subditi resciuissent, nullus antè quàm rutham comedisset, domo egrediebatur: quo ab aconiti uirulentia sospites euadebant. Martialis asserit, citrum arborem in Assyria.

Efficacia citri contra uirus, Athen. lib. 3.

Asyria nunquam pomis carere. Vnde Plinius, eius poma mala asyria appellat. quod uerum esse, Palladius in Sardinia, & in suis Neapolitanis fundis quoq; cōperit. Ea uerò dum matura sunt, colore aureo fulgent. Vnde Chrysomela dicuntur, & Arantia, & ab Athenæo mala Hesperica, quæ Hercules, subacto dracone qui ea in hortis Hesperidum custodierat, fertur in Græciā & ad Eurysteū regem asportasse. His dictis accurrebat hospes anhelus, & sibi cras ex Alexandria affuturos hospites annunciabat, qui quouis biennio totā Aegyptū perlustrarent, secūq; ex ea tā salubria quàm noxia pharmaca afferrent. Quare ut de illis possemus singula perscrutari, & non temerè quicquam statuere, suasit ut tempestiuè somnum capesseremus, & illis cras in prandio adessemus. Placuit id omnibus summoperè. quare incœptam de uenenis Aegyptiorum, & illorum antidotis, disputationem, in crastinum distulimus. Quicquid ergo ab illis explorauero, eius te Critobole participem quoque reddam.

Fabulam de aureis hesperidum malis exponit Solin. cap. 32. Diodor. Sic. lib. 5.

OBSCVRA DE VENATORIIS GALlorum & Aegyptiorum uenenis problemata, & nomina. Epist. LXVIII.

ALTERO uerò die, mane in diluculo, in æde diuo Marco consecrata, à Deo peccatorum ueniā supplices deprecati, ut hesternæ cœnæ cræpalā dissiparemus, in littore maris, prope forū piscarium deambulauimus, donec fessis iam tēpus prandij appeteret. Cūq; in xenodochio pransuri conuenissemus, ibi ad focū, Philiatrum, Crateiā, ac Botanophilū, medicos herbarios, cōsidere uidimus. Tum in amicitiæ symbolū iunctis, capite prius detecto, dextris: Saluete, inquam, uiri, ut hospes nobis refert, multarū rerum peritia nobiles: nobis tamē ob natalis soli forsan interualla ignobiles, nisi quòd ser-

mo uester uos esse Ethruscos, uestitus uerò ex Aegy-
pto aduenas prodit. Quum igitur Ethruria & Latinus
ager, quem Cyrce uenefica incoluit, copia medicamen-
torum tam salubrium quàm uirulentorum adeò abun-
det, ut Aeschylus isto elegiaco testatur,

Gens Tyrrhena suis clara ueneficijs:

Dicite uos obsecro, quid uos compulerit, per loca de-
serta, serpentib. crocodilis, draconibus infesta, Aegy-
ptum adire ac perlustrare? Tum Crateias: Vir optime,
boni consule, inquit: nescio enim quo alio quàm ami-
ci nomine te digner. nos quidem non ut mercatores au-
ri sacra fames adegit, sed quia & ueterum monumenta
testantur, Democritum & Pythagoram ad Persarum
Aethiopiæ & Aegypti magos, primos astronomiæ &
Magicæ artis medicamentorum auctores, profectos, ut
ab illis magicas herbarum uires explorarent, de quibus
Democritus & Pythagoras omnium primi uolumina
Apollini & Aesculapio dicata condiderunt: & Theo-
phrastus Aegyptum Nili effluuio fœcundam, salubri-
um ac delibutoriorum medicamentorum copia, Ethru-
riã longè superare, Homeri testimonio probat, qui Me-
nelaum & Helenam, nobile illud Nepenthes, omnis lu-
ctus & mœroris pharmacum, multaque alia quæ Polydã-
nas Thonis Aegypti regis uxor ei dono dederat, ex Ae
gypto in Græciam attulisse tradit:

De herbarum scriptor. hæc Plin. li. 25. ca. 2.

Aegyptus uenenis fœcũda, Theophrast. lib. 9. cap. 15.

τοῖα Διὸς θυγάτηρ ἔχε φάρμακα μητιόεντα,
ἐσθλά, τά οἱ Πολύδαμνα πόρε, Θῶνος παράκοιτις,
Αἰγυπτίη, τῇ πλεῖστα φέρει ζείδωρος ἄρουρα
φάρμακα, πολλὰ μὲν ἐσθλὰ μεμιγμένα, πολλὰ δὲ λυγρά.

Vidisse uos (subiũxit) arbitror, & legisse mea & Me-
trodori uolumina, in quib. herbarũ effigies, subscriptis
effectib. depinximus, plerasque nobis inexpertas. Atqui,
ut Galenus refert, temerarium sit facinus, tantũ lecta, &
non experta conscribere. decreui itaque & Aegyptum,
deletrijs fœcundam, peragrare: unde nos, Dei auspicio,
tot

De herbarum pictoribus hæc Plin. lib. 25. cap. 2.

tot pericula emensos reduces uidetis. Tum ego: Nos inquam faustū ac felicem, uobis ad patrios natalis soli limites reditū precamur, & cōgratulamur: cuius nos quoque fore participes cōfido. poteritis enim nobis magnū eximere scrupulum, qui nos diu torsit. Nostis haud dubie, ferocem illum Turcarū imperatorem, truculentissimarum gentium, Parthorum, Scytharum, Arabum, Aegyptiorum, Dalmatarum ac Dacorum subsidio, nos Christicolas oppugnare: qui non modo, ut Galli & Hispani ad occidendas feras, sed ut nostros milites quoque lethali ueneno perdant, tela eorum toxico inficiūt. quae quum ex composito hactenus nos celarunt, quis obsecro iustis alexipharmacis, nostris militibus saucijs medicam ferre opem potest? Quoniam igitur, ut hospes nobis significauit, & nomen ipsum indicat, Philiater Polyclas, ut haec exploraret, multa per mare per terras, iactatus & alto, passus, sudauit denique & alsit: eum omnes uno ore supplices obtestamur, ut ob salutem Christianorum, quid in hac peregrinatione de illis compererit, nobis communicet: ac his'ne gentibus omnibus unum commune toxicum, an unicuique sit proprium: quod'que huius sit denique antidotum. Tum Polyclas: ô Langi, inquit, quamuis ardua, & quae ingenij mei superant uires, ob Christianorum tamen salutem magno atque praeclaro quidem nomine exigis, tibi ea conditione gratificabor, qua olim Orpheus theologus, Orus Mēdesius, Aratus, & Heliodorus, poetae Graeci, toxica cōscripserunt, non ut scelerati his impias manus conquinarēt: sed ut innocentes, suis antidotis tueri se, horumque uires obtundere possent. Haec enim omnia generali nomine toxica appellabāt: quia barbari sagittas telaque sua, quę toxeumata dicūt, his inficiebāt. propriū tamen Parthorū & Scytharū toxicū, quo sagittarū aciē inungebāt, humano sanguine & uiperina sanie cōstabat, irremediabile scelus, quod mortē leui tactu, ea qua sagittae celeritate

De toxico Parthorū Plin. li. 11. ca. 52. Ouid. li. 1. de Ponto. Lucan. lib. 3. Aristot. de Mirabil. aud. Nicandri interpres in Alexiphar.

tate

tate accelerat: quod poetæ ideo finxerunt ex Lerneæ hydræ ab Herculis sagitta occisæ cruore enatum, unde & toxicum appellarunt. quod Scythicum etiam ideo dicitur, quoniam (ut Aristoteles refert) Scythę uiperas iã enixas uenantur: quas captas, dies aliquot donec in saniem computruissent, contabescere sinebant: deinde toto unius hominis sanguine in ollam effuso, eam exquisitè coopertam, fimoq; obrutam, computrescere sinebãt: cuius tandem supernatans sanguini ichor, uel serum, cũ uiperina sanie permixtum, lethale Scytharum toxicum erat. Qui hoc potarunt, his lingua labiaq; intumescunt, nec mente sibi constant, sed rabie efferati, instar luporũ uociferant. His autẽ passum cũ oleo rosaceo potũ, raporũq; semẽ ex uino haustũ, ac crebra uomitione redditũ auxiliatur. Cottonea quoque mala concisa, ac cum pulegio comesta, eos ita iuuant, ut reliquũ tamen uitæ attoniti degere cogantur. At Aegyptij cum suis toxicis, & Arabes, cautius egerunt: ac ne illorum confectiones temerè inuulgarentur, eas saltem per manus posteris tradiderunt, ut olim Gallorum Druides sacra sua ex uisco pharmaca. Quis enim modò nouit, an Pharicum Aegyptiorum uenenũ simplici medicamine, an composito cõstabat: nisi Hesychius, φαρικόν, dixisset, δὴ φάρμακον σύνθετον θανάσιμον? cuius quidem nomen & noxias uires Dioscorides & Nicander posteris prodiderunt, sed compositionem uterq; penitus obticuit. Nicander quidem ita nos in Alexipharmacis admonet,

Cottonei mali contra toxica uirtus.

Hæc toxici alexiphar. Nicander & Dioscorid. lib. 6. cap. 20. tradunt.

μὴ δέ σε γ' ἐχθομένη λήθῃ πόσις, οὐ γὰρ ἄιδρις
φαρικοῦ, ἣ γναθμοῖσιν ἔδει βαρὺν ὤπασε μόχθον.

Poculũ certè eius uno die homines mente attonitos, conuulsos, ac furore percitos interemit. huic malo exitiali medetur uinum absynthites, cum momento cinamomi, & ex Cilicia nardo, potum. at efficacissima eius antidotus fertur esse malũ cottoneum, Struthion appellatum: cuius etiam uires solus odor cottonij, etiã rhisco

inclusi

inclusi obtundit, eneruat, & ab eius uirulentia præseruat. Vnde Philarchus in sexto Historiarum libro ait, Cottonia mala suo odore omnium deleteriorum uires obtundere. Nam & pharicum, inquit, pharmacum rhisco, quod cotonea olet, impositum, emacescit, eiusque uires omnino dispereunt, manifesta quadam ἀντιπαθίᾳ. Hoc quidem uenenum Praxagoras, à pharmacopola quodam eius inuentore, pharicum: alij quod in φάροις Arcadiæ reperiatur, dictum esse contendunt. alij in Pheris Thessaliæ, alij circa Pharim Laconiæ oppidum repertum asserunt. Nec defuerunt, qui medicum ex Colchide Medeæ ueneficij poculum, Pharicum quoque appellarunt: nec nomen à Pharo excelsa illa in portu Alexandriæ turri deducerent, quæ nocturnis chorusca facibus, nautis, ne scopulis illiderent, tria, sed angusta, quasi alueos, Alexandrini portus uada indicabat, ut Statius in Syluis ait:

De pharici ueneno, & cotoneis, hæc Athen. lib. 3. ex Philarcho.

De Pharo turri Alexandrina Solin. cap. 41. Egesipp. lib. 4. cap. 2. Statius lib. 3. Sylu. Lucan. lib. 9.

— Sed trepidis ubi dulcia nautis
Lumina noctiuagæ tollit Pharus æmula lunæ. id quod & Lucanus testatur:

Ostendit Pharijs Aegyptia littora flammis.

Sed qui exactius pharici uirus nomenclaturã scrutantur, à Pharo insula nomen obtinuisse contendunt, quæ olim tantum unius diei & noctis uelifico nauigiorum cursu, à terra aberat, modò Alexandriæ ponte coniuncta, diuersis iobolis & aspidibus infesta: quibus Canopus intoxicatus, Menelai nauclerus, ibi interijt. Sed ut natura horũ perniciẽ certis remedijs cõpensaret, pharmacis fœcundam effecit, quæ Menelaus unà cum Helena uiginti dies in ea detentus, plurima secum in Græciam detulit, partim noxia, partim salutaria. Sic Asclepiades ex uino & porri succo ad mellis spissitudinem decoctis, electuarium sanguinem excreantibus salubre conficere docuit, quod pharos quoque nominabat. Verumenim-

De Pharo insula Homer. Odyss. Δ. Plin. lib. 13. cap. 11. & lib. 5. cap. 31.

De pharo Asclepiadis Gal. lib. 8. de compos. med.

uero nimis prona ad ueneficia uidetur animalium natura. Bruta quidem intra se uirus habent, quibus sese tueantur: at homo plura reperit, maleuola quadam solertia; toxica, quibus hostes suos in bello oblæderet, quale est dorichnij agrestis plantæ, cādore, sapore, & odore lacti similis uirus, quod quia eo δούρατα, cuspides in bello inungebātur, δορύχνιον Romani ac pariter Græci appellarunt: Crateias halicacabum solani furiosi succum dicit, qui intoxicatos continuo stomachi singultu, & tremulo ceruicis motu conuulsos, sanguinis eructatione concussos interimit: nisi quis Asclepiadis consilio fretus, illos lac bubulum, dulce ac esculētum, conchularūq; ac maritimorum crustaceorum, nempe carabi & astaci ius, affatim ingurgitare coegerit. Ac olim quidem certè quouis modo uel armis uel ueneficio interimere hostem phas erat. sic Mithridates rex Ponti, ut hostes prosequētes necaret, aquas ueneno infecit: Iugurtha quoq; fontes & pabula ueneno corrupit in Aphrica, quo strategemate quamuis scelerato, & Iuba rex fertur usus. at Aquilio Romano, magno crimini est adscriptum, quòd impuris medicaminib. in Asia Romana polluisset arma. Præclarius est autem fortitudinis specimen, hostem armis & robore corporis, quàm ueneno prosternere. Quare Galli & Hispani maiori præconio sunt digni, qui uel hodie toxico non ad interimendos homines, sed ad occidendas in uenatione feras, utuntur. Sic uenatores in Gallia Narbonensi aconito, quod thoram appellant, lupos & capreolas capiunt: cuius radix glires & pantheras quoq; enecat, ob id Myoctonum & pardalianches dicta. Habent & Galli herbam limeum dictam, qua sagittas in uenatione tingunt, quod uenenum ceruarium uocāt. Vnde Aristoteles refert, Celtas Gallos habere pharmacum, quod ξενικὸν uocant, tam præsentis ueneni, subitoq; putrefacientis, ut quāprimùm animal aut ceruus eo læsus

De dorychnio hęc Nicāder in Alex. Dioscor. lib. 6. ca. 6. Gal. lib. 2. de Antidotis.

De ueneno ceruario Plin. lib. 27. cap. 11.

De ueneno Celtarum toxico, hæc Aristot. de mirabil. aud.

læsus conciderit, confestim accurrant uenatores, antequam uirus penitius dispergatur, aut putrescat, carnemque sauciatam telo uirulento excidant, ad spithami circa uulnus latitudinem. Huius antipharmacum esse tradit folium quercus, & fagi: aut aliud folium, quod à coruis, qui eo sibi medentur, coracinum appellāt. & quia folia quercus Nicander & Dioscorides asserunt esse ephemeri ueneni, à Medea in Colchis reperti, antidotum, plerique hoc Celtarum toxicum esse ephemerum suspicantur. Alij uerò syluestre elleborū, aut Columellæ cōsiliginem: quòd A. Gellius tradat, Gallos in uenatibus tingere elleboro sagittas, quòd ijs ictæ & exanimatæ feræ, teneriores ad epulas fiant: sed propter ellebori contagium, uulnera ex sagittis facta circūcidere latius dicuntur. Et Plinius: Galli, inquit, sagittas in uenatu tingunt elleboro, circūcisoque uulnere, teneriorem fieri carnem affirmant. Nec solum Galli, uerùm & Hispanorum agricolæ in regno Nauari & Portugalliæ, ex elleboro, quem pedigambrā aut ysambram appellant, toxicum cōficiunt, quo ceruū, uix quarto, à Granato oppido amplissimo, lapide interemptum, citra noxam comedimus. Non desunt, qui coniectura haud dubia affirmant, hanc ellebori speciem esse, nō illud aromaticum helenium, sed Aegyptiacum, & Græcorum quoque helenium uirulentum: quod quia optimum in Helicone nasceretur, Dioscorides ueratrū heliconium appellauit. de quo Paulus Aegineta ex Galeno ita scribit: φασὶ δὲ τοὺς Δάκας καὶ Δελμάτας περιπλάσσειν ταῖς ἀκίσι τὸ ἑλένιόν τε, καὶ νῖνον καλούμενον, καὶ οὕτως ὁμιλῆσαν μὲν τῷ αἵματι τῶν προσκομένων ἀναιρεῖν, ἐσθιόμενον δὲ καὶ ὑπὸ αὐτῶν ἀβλαβὲς εἶναι, καὶ μηδὲν δρᾶν. id est, Ferunt Dacas & Dalmatas, spicula helenio, quod Ninū uocant, illinire, quæ cum sanguine in uulnere cōmixta uirulēta sunt, atque interimūt: gustatū uerò ab illæsis, est innoxiū: nec quicquā mali, nisi cruori cōmixtum, affert. Vnde Cornelius Celsus: Neque Hercules, inquit, scientiam præcipuam habent

De elleboro hæc Gell. lib. 17. cap. 15. & Plin. lib. 25. cap. 5.

Hispanorum ex elleboro toxicum.

De heleno toxico Dacorum Galen. lib. de theriaca ad Pisonē, Paulus lib. 6. cap. 88.

Cor. Cels. lib. 5. cap. 27.

hi qui Psilli nominãtur, sed audaciam, usu confirmatam. Nam uenenum serpentis, ut etiam quædam uenatoria uenena, quibus Galli præcipuè utuntur, nõ in gestu, sed in uulnere tantum nocent. ideo colubra ipsa tutò estur, ictus eius occidit. ergo quisquis, modò in ore palato & gingiuis sit illæsus, exemplum Psilli sequutus, uulnus exsuxerit, & ipse tutus erit, & tutum hominem præstabit. Ego tamen ob affluxum cruoris insperatum, helenio non libenter ulcus humidum & sordidum purgarem, ut Galen. suadet, qui passim hoc helenium inter herbas acuti uigoris enumerat. unde Nicandri interpres refert, Arabes Gerræ ciuitatis incolas, intoxicatos curaturos, eorum alexipharmaca ita probare: aliquam pedis eorum partem, scalpro incisam, & cruentam toxico illinũt, & quamprimùm per sanguinem discurrit, aut dispergitur, ne uirus cor subeat, ocyus antidotis toxicum detergere. Nec ullum huius toxici remedium, cottonei mali succo præsentius, Hispani nouerunt: quo etiam scammoneæ uirus & corrigitur, & obtunditur. Tum his dictis, omnes gratias Philiatro egimus, quòd uirulentum Galeni helenium, omnibus medicis modò ignotum, ac reliqua uenatoria Gallorũ toxica nos docuisset. Verùm cur ea non gustata, sed cruentis illita uulneribus tantum occidant, à Botanologo, herbarum peritissimo, sciscitabamur. Tum Botanologus: Viri, inquit, multarum rerum peritia clari, uereor uos dudum explorata percontari: tamen, quid sentiam, uos non celabo. Ex Theophrasto probè nostis, Thrasiam quẽdam, historiæ radicum consultissimum, ac quosdam pastores, integros ellebori fasciculos citra noxam deuorasse: & tamen eo Gallorum Hispanorumq́; uenatores occidere feras, ceruos, & homines quoque saucios, uel solo eius contactu, & experientia, & præter Gellium Plinius quoque & Celsus testatur. Sed id de Galeno, altero rei medicæ Aesculapio, non satis admirari possum, qui de theriaca ad Pisonem,

[Margin notes:] Gal. lib. 5. de composit. medic. general. — *Nicandri interpres in Alexipharmacis.* — *Cottoneũ malum toxico resistit.* — De helleboro hæc Theophrast. lib. 9. cap. 18. — *Toxicum Hispanorum quare sauciatis tantum lethale.* — *Galen. causam effectus heleni obticuit.*

sonem, empericos grauiter incessit, quòd hos admirandos pharmacorum effectus cognoscere gaudeant, causas uerò scrutari cunctentur: quas tamen nec ipse nobis satis clarè reddidit, nisi quòd æquè admiranda nobis obtrudit: nempe morsus, ictus, ac uirulenta iobolorum uulnera, eisdem à quibus inflicta sunt curari: crocodilorum morsus, eorum seuo aut pinguedine inunctos, sanare Aegyptios: & murem araneum, quem Græci μυγαλῆν appellant, ac scorpionem, lethales eorū ictus, inspersos, & oleis quoque in quibus macerati sunt, rectè curari asserit. sicut cacoethes Telephi uulnus etiam, nō nisi auctore uulneris Achille ipso curari potuit: quod rubigine ab hasta sua detersa sanauit Achilles. Sed horum omnium causam uel spōte obticuit, uel saltem dissimulauit. quam tamen in libro de Temperamentis multis ambagibus scrutatur, dum ait: Vt summatim dicam, nullum pharmacum intus assumptum, & externè applicitum, pariter operatur: neque uiperæ uirus, neque rabidi canis spuma, nec aspidis uenenum, intus quidem sumptū, sicut sinapi, cæpe, & allium, ac alia quæ exedendi acrimoniam habent, dum intra corpus concoctricis facultatis uires sustinere coguntur, alterantur quidem, discernuntur, & purgantur, alijsque multis commiscentur humoribus: sic dispartita, passimque per corpus dispersa, in nulla particula ita continuè morantur, sicut foris cuti applicita, uel uulneribus infixa. Sed hanc causam plus ponderis habere arbitror, qua traditur, quorundam deleteriorum uires quibusdam rebus & succis obtundi: ut pharici ueneni, helenij, ac colchici uirus, pulegij, nepete, ac citoniorum succo eneruari, & uicissim alijs succis uegetari & exacerbari. Sic certè ex putrida uiperarum sanie toxici uires, admixto humani cruoris ichore, redduntur uegetiores. Quid enim quæso obstare poterit, quin humanus cruor helenio commixtus, in uulneribus non idem præstare queat? ut eo citius sanguinis ac spirituum infectorum

De iobolorū ictus cura hæc Galen. ad Pisonem, & lib. 10. de simpl. med. Columel. lib. 7. cap. 15.

Telephi uulnus rubigine ferri curatum, testis Plin.

Gal. lib. 3. de temperatura, hæc copiosè.

Venena non primùm cor, sed membra appropriata petunt.

Venena nō primum cor, sed mēbra appropriata petunt. Cantaridum, leporis marini, ac hydrargyri proprietas.

ctorum uehiculo, cordis aut aliorum membrorum, quæ hoc uenenum respicit, penetralia irruere posſit? Non enim certè quoduis uenenum primùm cor petit: sed habent sua, ex congenita & cœlesti uirtute membra sibi dicata, quæ etiam foris applicata primario affectu infestant. Sic cantharides manu detentos, aut genui impositos, cruentum urinæ profluuium proritare: leporem marinum, pulmonem oblædere: hydrargyrium inunctum, dētes, gingiuas, cerebrum, neruos, & epar offendere experimur: quorum uires tandem cor quoque perreptare, nemo inficiabitur. Cū hæc à Botanologo dicta omnes approbaſſent: Tandem, inquit Crateias, ô Anonyme, dic quæso, si famelicus eſſes, auderes'ne carnem ceruorū, qui toxico interierūt, edere: aut & pisces, quos Campani aristolochiæ rotundæ puluere, admixta calce, pacato æquori inſperso capiunt, ad quem pisces agminatim confluunt? quem cum deguſtarint, exanimati, supernatantes manu piſcatorum comprehenduntur. Pari autem ratione audio Germanos & Italos, paſtillis ex cocculis de leuantho, id eſt oriente allatis, baccis lauri similibus, cymino, casei tetrimate, farina tritici cum uino sublimato coadunatis, ac amnibus pacatis inſperſis inescatos, & horum uirulento illicio stupefactos, manu capere. Dic quæso, an his uesci auderes? &, an edendo arbitraris eſſe noxia? Tum Anonymus respondit: O Crateia, hæc dum cruda sunt, uenenosa qualitate participare, uel ex hoc conijcere poteſtis, quòd pardi crudis carnibus, aconito delibutis, capiuntur, unde Pardalianches appellatur: & pellibus uulpium atque luporum aconito captorum, quantauis induſtria præparatis, pili excidunt, unde Lycoctonum uocant: raphanus infixis ueratri albi radiculis, illarum uiribus imbuitur: & si crudus comeditur, eadem quæ elleborus operatur. Quare uenenum per totam corporis intoxicatorum molem crudam diſpergi, nemo dubitat: quod, dum in

An toxico capta edēdo sint innoxia.

Captura piſcium cum aristolochia: Plin. lib.25. cap.8.

Captura piſciū cum cocculis de Leuantho.

Ignis calor uenenis reſiſtit.

in ueru ignis calore, qui omnia lustrat, torrentur, uel elixantur, dissipatur & euanescit. Nam uulnera á uenenatis animalibus illata, si candenti ferro uruntur, calore eius uirus insumitur. Sic & Hippocrates pestiferam aeris in Græcia luem ignis incendio expiauit. quo aduenticias ueneni, in rebus ab hoc alienis, qualitates, facilius cognatis corrigi posse, nemo rerum causarumq; naturalium peritus negabit. His dictis, consobrinus meus Georgius: Certè, ait, quicquid sit, nescio: hoc scio, ex uino Cretico, uel piscibus soporiferis, cocculorum orientalium baccis captis, grauem mihi somnū obrepere. Porrò quum & tempus iam, & ratio, ne aduenis molesti essemus exigeret, quisq; domum cōcessit, alterā inuitationem expectaturus. Atq; ut tu quoq; nostri conuiuij esses particeps, hæc ut acta sunt, tibi per literas communicare uolui, ut spopondi. Vale.

AN VENENO ALTA EDENDO SINT *innoxia.* *Epistola* LXIX.

ADERAS nuper Pamphile, quando comitis Palatinij uenatores & aucupes, quos quædam contra iobolorum uirulentos ictus antidota docueram, mihi anates, palumbos, hyoscyami pastillis inescatos, præterea coturnices & sturnos ex ellebori ac cicutæ pastu obœsos: ac pisces cogolis de lephanto, uel nuce uomica captos, offerebant: ubi territus, quia uenenis alerentur: non minus fideliter, ut ab illorum esu mihi temperarem admonuisti., quàm Aristoteles Alexandrum regem hortatus fuit, sibi ut à coitu puellæ, omni puellari ueneris decore uenustæ, sed napello nutritæ, caueret: quam rex Indorum, ut illius contagione inficeretur, Alexādro dono miserat. Nec enim falsò ista ex scintillātibus, & serpentium more nictabūdis puellę oculis, Aristoteles præuidit: nec omnino euētus defuit, nā quicūq; cum

De puella napello nutrita, Aristot. in lib. de reg. princip. Auerr. in promœ. 3. Physſ. & Auicenna.

cum puella, ab Alexãdro repudiata, concubuerant eius contagione infecti perierunt. At ego Pamphile mi, fidũ tuum consiliũ grato quidẽ animo amplector: uerùm de anatibus, coturnicib. ac sturnis, nihil tale uereor. quãuis Aristoteles scripserit καρποὺς εἶναι ἡμῖν μὲν ἀβρώτους, ἄλλοις δὲ βρωσίμους, ὥς ἐστιν ὁ ὑοσκύαμος, καὶ ὁ ἐλλέβορος, ἀνθρώποις μὲν δηλητήριον, τροφὴ δὲ τοῖς ὄρτυξι. Idem asserit Lucretius, de secta Epicuri poeta dicens,

Præterea nobis ueratrum est acre uenenum,
At capris adipes & conturnicibus auget:
Quippe uidere licet, pinguescere sæpe cicuta
Barbigeras pecudes, homini quæ est acre uenenum.

Fateor equidẽ Pamphile, has uolucres, coturnices elleboro, sturnos cicuta, quam Arabes ac Auerrois napellũ dicut, uesci. At hæc nec ipsis, nec alijs animalibus aut hominibus, qui horũ esui sensim assueuerunt, aut quorũ tota cõgeniti caloris substantia, qua strutio etiam ferrũ digerit, fortis est, esse uenenum. Nam ut Theophrastus ait, omniũ pharmacorum uires debiliores in assuetis deprehenduntur, in nõnullis etiam omnino inertes. Porro fit, ut quædam ex medicamentis, propter hominis assuetudinem, uim suam amittant, nec amplius medicamina esse posśint. Cum enim à natura acceptantur, deuincuntur, conficiuntur, non amplius inter medicamenta censeri possunt: & ut Thrasias, Mantinensis medicus, radicũ peritisśimus, naturas singulatim discernens, dicere solebat: Idem medicamen alijs, alijs uerò non esse medicamen. Quidquid enim calore, aut congenita uel ex consuetudine acquisita corporis proprietate alteratum, in corporis alimoniã digerit, id alito uenenũ esse nõ potest. Sic porrò puella illa Indica, & anus illa Attica, à momento cicutæ, quod natura euincere & cõcoquere posset, assueuere integros cicutæ manipulos innoxiè deuorare. Sic modica cicutæ sorbitione Aegyptiorũ sacerdotes, ut Hieronymus in Epistolis refert, se impunè castrabant, assueti

De coturnicibus ac sturnis Lucret. lib. 4. & 5. Aristot. lib. 1. de Plantis, & Gal. lib. 3. de simpl. medic. & lib. 2. de Alim.

Napellum Arabum nõ esse aconitum, sed cicutam Græcorum. Auerroes 5. colliget cap. 24.

Qua ratione uenena digeruntur, alunt, & non obsunt, Theophrast. lib. 9. cap. 18. Gal. lib. 3. de temperat. & lib. 3. de simplicib. medicam.

Consuetudinis in cibis efficacia, quæ est natura acquisititia. Gal. & Theophrast. Hippo. in reg. acut. lib. 3.

Galen. lib. 3. de tẽperatura, de anu Attica.

assueti πλεῖστον (inquit Galenus) δύνασθαι τὰ ἔθη, καὶ φύσεις ἐπικτήτους. id est, plurimũ pollere cõsuetudinem & naturas acquisititias. Sic uenena quotidie, præsumptis tamen remedijs, hausta, Mithridati à consuetudine innoxia fuerunt: adeò ut captus à Pompeio Magno, in carceribus ueneno se interimere non potuerit. Sed cicutæ succum nõ assuetis, & puluerem quoq; esse lethale & soporiferum uenenum, Atheniensium supplicia indicant, qui morte condemnatos sorbitione cicutę interemerunt: quam & Socrates, impietatis condemnatus, in carcere hausit. Sed qua ratione celeriter & sine cruciatu inferret mortẽ, Thrasias Mantinensis, & Alexias eius discipulus, ingenij acrimonia pręceptore pręstantior, ac Chij conficere nouerant. Deinde illud te obseruare oportet, uenenosæ contagionis seminaria, calore concitata, in uiuorum corporibus energia esse longè uegetiora, in defunctorum corporibus, calore extincto, ferè consopita. Vnde in Veneris cum muliere, morbo Gallico infecta, conflictu, quo corpus & spiritus, ueneni uehicula, incalescũt, contagionis seminaria fiunt nocentiora: quæ in feris ac uolucribus toxico interemptis, præcipuè si ignis feruore in ueru torrentur, uel in lebete elixantur, ignis calore dissipata, difflãtur & euanescunt. His mi Pamphile persuasus, si uolucres aut feras ueneno pastas uel captas, nihil abominaris, precor ut cras cœnæ, ad horam quintam in ædibus meis intersis: ubi hæc cũ optimis carbonibus tosta, partim quoque elixata, apponentur: unà cum mero & cottoneis melle conditis, prẹsentia omnium deleteriorum alexiphamaca. Vale: & da operam, ne tua persona in amicorũ symposio desideretur. Iterũ uale: & quo minus ista fercula abhorreas, cogita gallinas uiperis saginatas, & tandem elixas, labe elephantiasis infectis fuisse salutares.

De Mithridate hæc Pli. lib. 25. cap. 2.

Socrates cicuta obijt.

Cicutæ uires, Theophr. li. 9. cap. 17. Diosc.

Gallinæ uiperis saginatæ medentur elephantiasi.

DE VARIA STIRPIVM, FRVgum, animalium, & humani sexus metamorphosi. *Epistola* LXX.

Causam transmutationis plan. Theoph. li. 4. ca. 6. & li. 5. ca. 8. Aristot. li. 1. de Plantis.
Chymistæ species rerũ trãsmutare nõ possunt substantiales.

VALEANT tui, Bergkmãne, chymistæ, spe Crœso ditiores, inopia uero Codro & Iro pauperiores: qui, quamuis natura stirpium & animaliũ sit ad omnes metamorphoses, ob temporis anni, ex terra & stipitibus alimenti, cœli, natalis soli, ac culturæ uarietatem, prona, substantiales tamen rerum formas nec ipsi, nec natura, nisi in proximas & cõgeneres species, transmutare possunt. Nam cum terra imbriũ frequentia largiorem alimẽti copiam præstat, tunc degenerandi occasio fit, quæ uirtutem generandi non penitus tollit, sed in aliam alterat. Semper, inquit Theophrastus, ad proximum, & quod congener sit, mutatio prouenit. sic triticum in lolium degenerat. nam omne triticum solo uliginoso, inquit Columella, post tertiam sationem conuertitur quoque in siliginem. at quod ad culturam spectat, mille sunt, quæ certa cultura saporem ac colorem, uiresq́ culta uel neglecta alterant. Mala enim punica acida, radicibus arboris suillo fimo obrutis dulcescunt. Sisymbrium hortense, cultura neglectũ, in mentã degenerare, Theophrastus tradidit, sisymbrio ferè cõgenerẽ. Porrò eiusmodi mutationes ita Theophrastus accidere putat, ut aliq̃d similitudinis uelut tui chymistæ faciant, nõ ut omnino speciẽ exprimant alienam. Sic quoq; natura soli, ut matrix suos fœtus, transmutare stirpes quoq; potest. Nam ocymum in aprico loco satum, in serpillũ abit: & teste Galeno περσαῖον φυτὸν εἰς αἴγυπτον μετακομισθὲν, ἐξήλλαγη τὴν ἰδέαν· ἀλλὰ χρηστῆς ὑπολαβόμενον τροφῆς, τὸν καρπὸν ἐδώδιμον ἔχειν. id est, Persea planta translata in Aegyptũ, ex bona fœcundi soli alimonia, fructũ innoxiè esculentum profert: translata in Rhodũ, sine fructu tantũ floruit, Populus alba deposito ob

Columella lib. 2. cap. 9. Theophra. li. 2. ca. 5. de Tritici permutatione in lolium & silig.

De ocymo & populo Theophrast. lib. 5. de Causis plant. cap. 8.

De Persea hæc Galen. lib. 2. de Spermate, & li. 6. de Causis symptom.

ob seniũ & alimẽti inopiã corticis læuore, succo effœta in nigrã degenerat. Similes quoq; permutationes in animalib. & præcipuè eorũ generatione accidere, Theophrastus testat. Ex eruca sanè nascit aurelia, quæ mox in papilionem alatũ conuertitur. Diomedis quoq; de bello Troiano redeuntis socios, multis periculis attritos, uindice sauciatæ Veneris ira, in uolucres erodios aut ardeas transmutatos, Troiani belli historia refert: easq; Diomedis templum in Apulia, prope Garganũ montem, incolere, ac admirabili obsequio, rostro aqua pleno, tẽpli arcã aspergere, Græcos aduenas blãdo alarum remigio applaudẽtes excipere: Barbaris uerò infesti, eorũ capita pertũdere rostro. Diuus tñ Augustin. inclytus Christianæ fidei & ueritatis antistes, sublatis à latronib. Diomedis socijs, alites hos, incolas substituisse, ut his figmẽtis Diomedis nomẽ accresceret, suspicat. Qui tñ dum in Italia diuersaret, sese audiuisse perhibet, quasdã mulieres stabularias, degustato casei ueneficio, uiatores, ut earũ onera deferrẽt, in iumẽta cõuertisse: & Præstantij pater delibato casei ueneno cõsopitus, diu exanimis iacuit, experrectusq; tãdẽ sese caballũ fuisse, ac onerarias clitellas & annonã militib. gestasse dixit. q̃d uerũ fuisse cõpererũt. At hos mẽte quidẽ, rõne uerò nũq; destitutos, laborib. aũt defũctos, pristinã hominis effigiẽ recuperasse tradit. Sic Apuleius Magiæ discipulus, & affectati eloquij obseruator, accepto ueneficio, hũano tñ permanẽte animo, sese asinũ factũ indicauit, aut finxit. Nec em̃, ait Augustin. dæmones aliquid, præcipuè in animã, operari possunt, nisi is permiserit, cuius iudicia occulta sunt multa, iniusta uerò nulla. Nec enim dæmões naturas creãt, sed specietenus quæ à uero Deo creata sunt cõmutãt: & præstigiator ille phantasmatib. homines, obseratis sẽsib. illudit. Has terribiles hominũ metamorphoses Virg. qbusdã herbis põticis, & carminib. Cyrces Homerus acceptas referũt. inqt em̃ Virgil.
His ego sæpe lupum fieri, & se condere sylvis

De sociorũ Diomedis metamorph. Augu. lib. 18. de ciuit. Dei. c. 16. Ouidius li. 14. metamorph. Plin. li. 10. Aristo. de Mirab. auditu.

De ueneficio mulierũ cũ caseo, Augu\u017ft. li. 18. cap. 18.

Hominũ metamorp. in iumẽta. Augu\u017ft. lib. 18. cap. 18.

De hominum in lupos metamorphosi Pli. li. 8 cap. 22. Solin. ca. 9. Arist. li. 9. ca. 36. & 8. cap. 5. August. de Ciuit. Dei. lib. 18. cap. 17.

Sacra Augustini uerba ex li. 18. ca. 18.

Quãta sit dæmonum potestas.

Moerim, sæpe animas imis exire sepulchris,
Atque satas alio uidi traducere messes.

Euantes uerò tradit, Arcadas quendã ex familia Anthei selectum, postquam stagnum suspenso in quercu uestitu, tranauerit, in lupum transfigurari: qui cum citra hominum cõmercium nouem annos cum lupis diuersatus fuisset, reuersum per stagnum, ac recepto habitu, pristinã recuperasse effigiem, addito IX annorũ senio. Mirum est, inquit Plinius, quò procedat Græca credulitas: nullũ tam impudens est mendacium, quod teste careat. Ego uerò non carminum aut herbarum ueneficio, sed ferinis animi uitijs, ac atræ bilis lupinæ morbo, quem Græci à λυκῶ, id est lupo, lycaonem & lycanthropiã appellant, in lupos mutari arbitror. De qua Paulus ait: Qui lycãthropia correpti sunt, nocte domũ egressi, lupos, donec illuxerit, per omnia imitantur, ac circa defunctorum monumenta oberrant. cuius morbi signa pathognomica sunt, faciei pallor, oculi obtusi & sicci, lingua aridissima, nulla saliua madida, nec quicquam expuunt. quin & ulcera ex melancholia tali enata, uulgus chirurgicorum quoque lupum appellat. Equites Comitis Palatini ex proxima cõtra Turcam, nomine Romani imperij suscepta expeditione, redeuntes, narrabant mihi, se uidisse in Austria hominem, qui latratu ac cursus pernicitate cum canibus contenderet, ac cum illis illæsus in syluis uenaretur. Eruditã curandi hunc morbũ methodum Paulus ibidem te docebit. Vt uerò Varro hanc Diomedis sociorum & Arcadum in lupos metamorphosim, pluribus astrueret exemplis, narrat, Demænetũ, quem Copas in Olympicis, & Plinius, Demarchum Parrhasium appellant, in sacrificio, quod Arcades Ioui Lyceo humana cum hostia faciebant, immolati pueri exta degustasse, & in lupum confestim trãsmutatũ. Hac certè sacrificij fabula, Plato refert Arcades tyrannorum mores designasse: qui degustato semel puerorũ, id est, innocentium sanguine, quadam

Græcia mẽdax.

Ex morbo melancholię lupi. De lycanthropia Paul. lib. 3. cap 16.

Cancer lupus quare dicatur.

Mysticũ Iouis lycei sacrificiũ. Plin. li. 8. ca. 22. & Augu. li. 18. cap. 17.

dam luporum rabie concitati in subditos, quos timẽt, grassuntur: quos tueri deberent. de quo Socrates apud Platonem, in dialogo de Iusto, cum Adimanto ita scitè disserit. Quærit enim Socrates, quæ nam sit origo mutationis tutoris in tyrannum: an uidelicet qui præest, cœpit id agere, quod circa templũ Iouis Lycei in Arcadia fieri fabula refert: quòd qui humana uiscera, cũ aliarum uictimarũ incisa uisceribus fortè gustarit, lupus fieri cogitur. Non'ne fabulam audiuisti? Respondit Adimantus: Equidem. Cui Socrates: Eodem modo & hic, cuius imperio uulgus ualde obtemperat, cognato non abstinet sanguine, sed falsis (ut solent) confictis criminibus, in iudicium trahit eos quos timet, & iniusta cæde se cruentat: uiri uitã extinguẽs, gustansq́ lingua impura & prophano ore generis proximi sanguinem: ac nõnullos expellit, enecat alios, causatus scilicet aeris alieni reserationes, partitionesq́ agrorum. Quare necesse est huiusmodi hominem uel ab inimicis interfici, uel tyrannidem exercere, lupumq́ ex homine fieri. Vitia quidem non tam corpus quàm animã, uerum hominem, immutãt. sunt enim uitia animorum ueneficia, quibus auari & raptores in harpyias, libidinosi in Satyros, obscœni in porcos transfigurantur. At illa utriusq́ sexus in quibusdam animalibus & hominibus metamorphosis, plurib. nititur testimonijs. de prima quidem classe auctores tradũt, hyænam animal ferox & astutum, quod humanos sermones assimilare nouit, alternis annis sexum commutare, ac sine mare gignere: quod Aristoteles negat, Ouidius ait:

Alternare uices, & quæ modò femina tergo
Passa marem est, nunc esse marem miremur hyænam.

& Oppianus lib. 3. de Venatione canum, inquit:

θαῦμα δὲ καὶ τόδ᾽ ἄκουσα περὶ στικτῇσιν ὑαίναις,
ἄρσενα καὶ θήλειαν ἀμείβεσθαι λυκάβαντι.

Sic lepores utriusq́ sexus naturam habere experimur. masculum æquè ac fœminam, sine mare etiam gignere,

Plato circa finẽ octaui dialogi, De iusto.

Vitia animorũ ueneficia, quæ homines in lupos & bestias transformant.

De hyęna Pli. li. 8. ca. 30. & li. 28. ca. 8. Aristo. lib. 6. de Nat. animal. cap. 32. & lib. 8. cap. 5. Ouid. li. Metamorph. ult.

Sexus humani & animalium metamorphosis.

Bigus & Plinius affirmant. At illud maiori admiratione dignum, in utero cerui, quem illustriss. princeps Henricus Comes Palatinus prope Oelwangh cæperat, cornigeri, dum euisceraretur, repertũ fuisse hinnulum, membranulis circunseptum. Ceruos quosdam naturam sexus uariare, cornua, uirilia ceruorum arma, attestantur, quæ ceruas quandoq; gestare obseruatũ est: quali marchio quidã Badensis olim capta, eius cornua regi Gallorũ dono miserat, quæ Ambasi in regio horto prope ianuam interiorem parieti affixa, subscriptis in tabella testibus qui uenationi interfuerant, cernũtur. Sic fœminas mutari in mares, & uicissim, non esse fabulam, Plinius asserit. & Empedocles Agrigentinus, Pythagoricæ philosophiæ assecla, inquit:

De Empedocle hæc Philostrat. lib. I.

Et puer ipse fui, necnon quandoq; puella.

Licinius Mutianus prodidit, uisum à se Argis Arescõtem, cui muliebre nomen Arescusæ, nupsisse, & confestim à nuptijs barbã & uirilitatem ei creuisse, uxoremq; duxisse. Plinius quoq; ipse uidit, L. Cossitium nuptiarum die mutatum in marem. quod eleganti epigrammate Ausonius Burdegalensis Gallus, uir consularis poeta & medicus, ita expressit:

Hęc mutati sexus exẽpla Plinius lib. 7. cap. 4 Gell. lib. 9. ca. 4. tradunt.

Valle bane res nota, & uix credenda poetis,
Sed quæ de uera promitur historia.
Femineam in speciem conuertit masculus ales,
Pauaq; de pauo constitit ante oculos.
Cuncti admirantur monstrum: sed mollior agna
Astitit in tecrnum de grege uersa marem.
Quid stolidi ad speciem notæ nouitatis habetis,
An uos Nasonis carmina non legitis?
Cænea conuertit proles Saturnia Consus,
Ambiguoq; fuit corpore Tiresias.
Vidit semiuirum fons Salmacis Hermaphroditum,
Vidit nubentem Plinius Androgynum.
Nec satis antiquum quòd Campana in Beneuento
Vnus epheborum uirgo repentè fuit.

De Cœneo Ouid. 12. metamorph.

Nolo

Nolo tamen ueteris documenta arcessere famæ,
Ecce ego sum factus fœmina de puero.

Et rectè quidē Ausonius ait, nil opus esse ueterū testimonia arcessere, quū ab hinc annos paulo minus L X. Volaterranus cardinalis sub Alexādro, Romano eius appellationis pōtifice sexto, Romæ duarū uirginū ꝓdigia accidisse cōmemoret, quarū altera ex canis cōcubitu semicanē enixa, alteri uerò in nuptiarum die subitò mētula erupisset: & utrunq; casum expiationis gratia à Mario Volaterrani fratre recōciliāte, ad eundē pōtificem fuisse relatū, tradidit. Sed ueterū pōtificū decreta, has sexus et animaliū metamorphoses, ut falsas refellūt. De his uirginū portentis Volater. lib. 24. de Genitalibus.

AN IVDAEI SANGVINE HVmano utantur. *Epistola* LXXI.

ACCEPISTI, ut arbitror, Critobole, problemata, quę Venetijs scrutandę ueritatis ergò, ad medicinę incrementum, seriò quidem tractauimus: quibus cum triduum in conuiuijs, & sub diui Marci porticu transegissemus, Geraldus congenito natalis soli amore compulsus, cum iam uires peregrinatione fessas, quiete refecisset, in patriam redire constituit. Nos uerò cum amicum nobis uernaculum deserere, præter fidelis amici officium esse arbitraremur: manè collectis in sarcinulas impedimentis, antelucano tēpore anteq; ingrauesceret calor, itineri accincti, per Mantuā, Veronā, Brixiā, ac Tyrolenses alpes argēti & auri metallis locupletes, quæ lapide quoq; Cyaneo & Armenio uero abundāt, tridui iter emensi, Tridentū, Simonis pueri martyrio ac Arno flumine celebre, deuenimus. Tū Geraldus ab hospite sciscitabatur, ob quam causam Iudæi, scelerati Christianorū sicarij, in puerum innocentem tāta atrocitate grassati fuissent? Cui hospes respōdit: Aiunt Iudæos, nisi Christiano sanguine quottānis

Verus lapis Armenius in Tyrolensiū metallis reperitur.

corpus

corpus abluerint, fœda contagionis labe & scabiei fœtore pollui. At enim, ait, Langius uetus meus etiã olim cõuiua & hospes, Mantuæ, Bononiæ, Venetijs, Iudeis, ut illorum uel in cæremonijs, aut medicamentis, si qua haberent, arcana, exploraret, diu familiariter conuersatus est. is ergo uerã uos causam edocere poterit. Tũ ego inquã: Quæ mihi hac de re uel auditu uel lectione comperta sunt, uobis amicis bona fide referã. Viginti enim præterierunt anni, quũ ego adolescens Bononiã per Mirandulã proficiscerer. Aderat ibi tum comitate morũ & omnifariæ eruditionis splendore clariss. princeps, Ioannes Franciscus Picus, Mirandulæ comes, & Concordiæ dñs illustris: qui quum ab hospite accepisset, nos esse ex Germania aduenas: mox à nobis per nũcium accersitis, primùm omnium de uita & conditione Ioannis Capnionis sciscitabatur: & an cõtrouersia eius cum monachis studiorũ osoribus, per iudicem aut Cæsarem transacta esset. Cui respondi: intempestiuam Capnionis mortem contentionẽ illam diremisse. Tum ingemiscens Mirandulæ comes: Ah quid audio? interijt certè, inquit, triplicis linguæ culmen, & Germaniæ decus: cuius opera factũ, ut Tyberis defluxerit in Rhenum: & sancta illa ac uetustate uenerabilis lingua Hebraica, olim uaga & incondita, nunc auctore Capnione certis constricta legibus, certa dicendi scribendiq́; norma facile omnibus facta est obuia. mehercle obitu huius uiri hebraismus multũ detrimenti accepit. Tandem ego: Probè, ô comes, hunc uirũ depinxisti, inquã. Siquidem omnes docti & boni uiri, præter monachos, quibus cum literis uel Musis nihil commune est, huius mortem deplorant: quos tamen & tua, & eius affinis Melanchthonis eruditio non uulgaris, unicè consolatur, qua iacturam illam facile resarciri posse sperãt. Sed ô comes, si fas esset, aduenas tantũ territorij huius Principem interrogare, qui eruditionis capessendæ gratia

Quare Iudæi pueros Christianorum occidant.

De Capnione hæc Picus in Epistolis prædicat.

Melanchthon Capnionis affinis.

dulce

dulce natale solum deseruimus, libenter à tua eruditionis omnifariæ excellētia percunctaremur, quæ'nā sint præcipua Iudæorū de re medica & secretiori philosophia uolumina. Ibi tum Picus, pro sua ingenua humanitate, quæ sedula ueræ eruditionis est pedissequa: Libēter, inquit, uobis aduenis, quantum quidem in præsentia licet, gratificabor. Scitote igit' præter legē Mosaicā, pauca, & ferè nulla Hebræis fuisse uolumina: cuius sacratiorē interpretationē, quā Cabalā dixerunt, Moisi cœlitùs reuelatā, nō per literarū monumenta, sed alter alteri, nō minus quadraginta annis nato, quasi hæreditario succeßsionis ordine reuelabat. Sed postq̄ Iudæi à captiuitate Babylonica per Cyrū uindicati sunt, instaurato sub Zorobabele tēplo, ad legē quoq; restituendā animū appulerūt. Cui negocio tū Esdras, singulari eruditione & pietate sacerdos, præfectus est: qui sacra diuinæ legis uolumina expoliuit, in eūq; ordinē digeßsit, quo tādē sub Philadelpho à LXX interpretib. in Græcam linguā trāslata sunt. Sed cū Esdras uideret, Iudæos exilio, fugaq; aßsidua fluctuare, & cædib. affligi, ueritus quoq; secretiorē diuinæ legis interpretationē interituram, cuius arcana, ueluti thesaurus, saltē in memoria seniorum erāt recōdita: iccirco septuaginta uiros, sapientia & sacrosanctę legis eruditione de gente Israelitica præstātiores, in synedriū cōuocauit, ut unusquisq; quæ de legis mysterijs arcana memoria teneret, palàm referret: quę adhibitis notarijs, fideli calamo excepta, Esdras in LXX uolumina digeßsit, quā Cabalā dixerūt: quæ ineffabilē de diuinitate, & angelicis intelligētijs sapiētiam, & de reb. naturalib. exactā traditionē cōtinebāt. Quā postea iuniores, præter artē reuelationis literarū, mille magicę artis, quā in Aegypto didicerāt, deliramētis, & goetiæ uanitatib. cōspurcarūt. fingebāt enim sibi explorata esse secreta Dei, & spirituū nomina (quale est illud impudēs Schēhamphoras) perfricta frōte nu-

De Iudæorum Cabala, Crinitus li. 22. cap. 3.

De restitutione Iudæorum Hierosolymā per Cyrum, & Esdræ operib. Ioseph. lib. 11. cap. 4. & 5.

Cabala magicis uanitatibus referta.

gaces affirmabāt, quib. dæmones cogerent, & miracula operarētur: ac CHRISTVM ipsum etiā illorū nominum energia miracula fecisse mentiunt. Nec impia goetiæ mysteria, quæ à magis in Aegypto didicerāt, quib. spiritus defunctorū ab inferis elicere, & futura prædicere cogerēt, celarūt. Nec fuit mediusfidius in toto terrarū orbe gēs ulla, ut Pli. ait, cōtumelia numinū insignior, et in magiæ superstitionib. obstinatior: q̄ q̄ primū Aegyptum duce Moise egressa est, à ueri numinis cultu, quē Moises et Aarō eorū legislatores instituerāt, desciscēs, ut canis ad uomitum, sic ad Aegyptiorū idololatriā rediijt: omniū beneficiorū, quę in deserto à Deo acceperat immemor. Nā ex collatis argēteis & aureis uasis & annulis, simulachra & uitulum Iudęi cōflarūt: quos Deus per ꝓphetā Amos, & Stephanus protomartyr in Apostolorū Actis his uerbis ob id seuerè obiurgat: Nū, inquit, uictimas & hostias in deserto annis XL obtulisti mihi domus Israel? Suscepisti tabernaculū Moloch, & sidus dei uestri Remphā, & figuras quas fecisti ad adorandū eas. Nec uulgus Iudæorū tantū magicis idololatriæ artib. addictū erat, sed eorū duces, reges & ꝓceres, has optimè callebāt. Erat eñi Moises, ut Stephanus refert in Apostol. Actis, eruditus in omni sapiētia Aegyptiorū, & erat potēs in factis & dictis, quorū lenocinio eius obtrectatores aiebant, sibi populum Israel, alioqui σκληροτράχηλον, duræ ceruicis, subiugasse: quē & Plin. tradit, unà cū Lotopeo Iudęo, aliā magicis factionē instituisse: sed (ut Philo Iudęus in lib. 1. quē de Hypothecis inscripsit, docet) à uera religiōis pietate nō alienā, quā nec Salomon, sapiētiæ antistes, ignorauit, auctore Iosepho: cui Deus singularē præstiterat potestatē, qua dæmones malignos ꝓfligaret, et morborū tormēta leniret. Refert & idē Iosephus, quendā de gēte Hebraica Eleazarū, præsente se & Vespasiano Cęsare, magicis annuli uirib. sub cuius gēma radix Salomonis suberat, dęmonē de narib. obsęsi elicuisse. Annō quæso Manaemus, de

Goetiæ dæmonum cultus, & necromantia.

De Iudæis Pli. lib. 13. cap. 4.

De Iudæorum idololatria, Amos c. 5. Exod. 32. in Act. apostol. cap. 7.

Moises Aegyptiorū magiæ peritus in Act. apostol. Lucas ca. 7. Euseb. li. 8. ca. 2. Plin li. 30. cap. 1.

Salomon & Eleazarus dæmones cogebant.

Iosephus lib. 8. Antiquit. ca. 2. & Crimi. lib. 9. cap. 15.

secta

secta Essenorũ Iudęus, ob magiã Herodi regi percharus fuit: qui Herodi, adhuc sub pędotriba puero, qui manũ ferulę nõdũ subduxisset, prędixerat, eũ regio diademate insignitũ iri, & quot deniq; annos regnare deberet: At hoc forsan ęquiori animo ferẽdũ, q̃ illud, q; Saul rex uitæ suæ periodũ percõctaturus, fatidicã in Endor anũ, quæ Pythonẽ dæmonẽ subditum fouebat, cõpulit, per goetiæ fascinationes, Samuelis ꝓphetæ umbrã uerius q̃ animã, ab inferis ad eius colloquiũ euocare, ut ab eo sciscitaret̃, an hoc morbo, quo decubuerat tũ, interiturus esset. At proh dolor, hęc perniciosa goetię species à mortuorũ spectris & uaticinio, Necromãtia dicta, pręter carmina, lapidũ uires, aromatũq; suffumigia ac herbas, suis dęmonib. cõsecratas, p̃cipuè cruẽtis hominũ & pecorũ sacrificijs cõstabat, q̃ dęmones cõsulti, per suarũ sacerdotũ oracula in perniciẽ hũani generis suadebant & imperabãt. Perhibẽt sanè Aegyptiorũ philosophi, & Indorũ Brachmanes, dæmones nulla re magis oblectari, & in cõmerciũ hominũ allici, et irata spiritus maligni numina litari, q̃ sanguine humano: & ob id eos circa sepulchra, nisi lustralis aqua aspergine arceãtur, oberrare. Vnde uidemus quoq;, in nuper repertis insulis dęmonum cultores, suos mactare parẽtes, & liberos immolare, ac cõiuges uiuas omni muliebri mũdo adornatas, in rogũ cõiectas cũ maritis mortuis comburi, quo se dęmoni obsequiũ præstare arbitrant̃. Sic quoq; Vlysses à Circe uenefica & saga instructus, diffuso in scrobẽ cubitalẽ pecorũ & agnellorũ cruore, & melicrato Achillis & Troiani belli heroũ animas, in colloqũ accersiuisse tradit̃. Vñ Hom. omnis magię peritissimus uates, ait:

τὰ δὲ μῆλα λαβὼν ἀπεδειροτόμησα
ἐς βόθρον. ῥέε δ' αἷμα κελαινεφὲς, αἱ δ' ἀγέροντο
ψυχαὶ ὑπ' ἐξ ἐρέβους νεκύων κατατεθνηώτων.

Quod Horatius quoq; de ueneficis & Canidia saga tradit, dum ait:

— Scalpere terram
Vnguibus, & pullam diuellere mordicus agnam

De Manaemo mago Essenio, Iosephi. lib. 15. cap. 10.

De Pythonissa hæc 1. Reg. ca. 28. & in Actis apost. cap. 16. in Decretis cau. 6. q. 5. cap. nec mirum.

Dæmones homines sacrificare suaserunt.

Deorum cultores in Nouis insulis homines sacrificant.

Dæmones humano & pecorum sanguine delectantur & alliciuntur. Homerus Odyss. λ. Horat. sat. 8. libro 1.

Cœperunt, cruor in fossam confusus, ut inde
Maneis elicerent, animas responsa daturas.

Humano cruore dæmones delectari.

Pli.li.30. cap.1. Macrob. lib.1. Satur.cap.6.& lib.3.Lactan.li.1.cap.21.

De Iphigeniæ immolatione, Euripides totã scripsit tragœdiam.

De humanis hostijs prohibitis, hęc Plin. lib.30. cap.1.& lib.16.cap.ulti. Suet.in Claud.

Sed pecorum cruore humanus erat dæmonibus longẽ gratior: adeò ut Hostanes magus, hominem in sacrificijs occidere, esse religiosissimũ, mandere uerò saluberrimũ, tradiderit. Nec Chalcas augur, à dæmonibus ex Aulide Græcorũ ducibus felicẽ nauigationis abitũ ad Troiã impetrare potuit, nisi cõsultis extis Iphigeniam Agamẽnonis filiã, Dianæ immolandã suasisset, ut uirginis cruore iratũ Dianæ numen litarẽt. Irrepserũt & hæc cruẽta sacrificia ultra mare ad extremos orbis Britãnos, & inde ad Gallorũ Druidas, quos Tiberius Cæsar ob id ex Gallia sustulit, memor fortasse ueteris senatusconsulti, quo anno ab Vrbe condita DCLVII, sub Cn. Cornelio Lentulo & Licinio Crasso consulibus cautũ erat, ne homo immolaret. Palamq; in tẽpus cõticuit prodigiosi sacri celebratio. Sed hæc de Iphigenia, forsitan poetarũ dices esse figmẽta: quæ tamen uerissima esse magiæ ueterum inuolucra, fateri cogẽris. Age igitur ex philosophis & ueterũ annalibus uerissimas adducamus historias, de nefario sanguinis humani abusu. Scribit enim Psellus de magorum secta fuisse Euchetas, qui deprecationibus fascinabãt: & Gnostos, quos circunferentes Zoroastris libros, Plotinus editis cõtra eos libris, hæreseos & mendacij cõuicit. hi ut dæmonia toto cõciperẽt pectore, nefanda sacrificia perpetrarunt. cõueniebant enim die quo passus est Saluator uespere, ad locũ destinatũ, unà cũ puellis sibi notis: & sacris peractis, ac cãdelis extinctis, indiscriminatim cum sororib. aut filiabus, ut fors eas obtulerat, coibãt. ex hoc nefario & incesto cõcubitu infantes aut pueros à maternis uberibus auulsos iugulabant, ac omnib. corporis puerorũ uenis incisis, sanguinis effluuiũ phialis excipiebant, corpora exanguia cremabãt, cinerẽ sanguini admiscebant, quo epulas & pocula cõdiebãt, tum sua tum

De Euchetis hæc Psellus de Dęmonibus, & Tripar. histor. lib.7. cap.11. De Gnostis hæc Porphyr. in uita Plotini.

alio-

aliorũ:quo ueneficio existimabãt charactere diuinũ nobis impressum,dæmonia ꝓcul arcentẽ,penitus aboleri, & dęmonũ furorẽ fatidicũ, & audaciã ad quęuis scelera obeũda,cõcipi. Homicidia quippe spiritib.malignis iter ad animũ patefaciũt:q̃d homicidarũ atrox oculorũ (qui mẽtis sunt indices) intuitus,aperte prodit.Quod uerũ esse, nuper in supplicio cuiusdã pastoris sicarij & homicidæ cõperimus,qui duos habebat filios,quos sibi in sui facinoris & latrocinij subsidiũ asciuit. at cũ pater iuniorẽ,ad tã sæua obeũda facinora pusillanimũ agnouisset, occiso in sylua Otthonis tabellario, qui ab recto itinere deuiauerat,pater panẽ sanguine occisi madidũ, filio esuriẽti edendum præbuerat.quo degustato,tanq̃ dæmonis œstro percitus,sese ad quęuis perpetrãda flagitia longe audaciorẽ factũ, dũ de eo & patre in Beynsem sumeret̃ suppliciũ, & frater etiã unà meritas pẽderet pœnas, ingenue confessus est. His quoq; sceleratis puerorũ homicidijs,Iudęos se crebrò polluisse,Gallorũ & Germanorũ annales testãt̃:quos ob id Philippus rex Galliæ,cũ cõperisset eos quotãnis die quo CHRISTVS peccata nostra in crure luit, puerũ Christianũ in specu subterraneo occidere,tã nefarij sceleris auctores octuaginta Parisijs uiuos cõbussit: alios uerò flagitij cõscios Iudęos,ad unũ oẽs cõfiscatis bonis, è Gallia proscripsit. qui postea leprosorũ ministerio,cruore capillisq; hominum, additis in fasciculũ quibusdã herbis, fontes infecerunt,unde uirulẽta cõtagionis lues in Gallos desæuijt. Tradũt quoq; Heluetiorũ annales, Iudæos Veronæ puerũ cognomento Ruffum occidisse, cuius execrãdi flagitij auctorũ corpora rotis cõfracta,in escã feris & uolucrib.exposuerũt:reliquos uerò proscripserũt,qui collatis opib.Rudolphũ regẽ Romanũ in eorum uindictam contra Veronẽses sollicitarunt: quos Rudolphus triginta millib.peditũ & equitum,bis frustra obsedit,& oppugnauit.At quęso uos, an nõ Vberlingẽsis oppidi

Latrones cruoris humani gustu audaciores fieri.

Iudæi quare pueros Christianos occidant.

Iudæi Parisijs combusti.

Iudæi in Heluetia combusti.

Iudæi Vberlingæ combusti.

magiſtratus,ut iuſtus, ita quoq; ſeuerus fuit hũani ſanguinis uindex: qui trecentos Iudæos, q̃ puerũ ciuis cognomẽto Frhei,occiderãt,unà cum liberis & uxorib. in unã domũ,muro circumſeptã,uelut in ergaſtulũ conie ctos, cõflagrauit. Sed hæc uetuſta, & ferè obliterata, illis cõdonemus. At illud quod à CHRISTO nato ſupra milleſimũ ac quadringẽteſimum anno ſeptuageſimoquinto (ut Euſebius refert) in Tridento accidit, longè deteſtabilius: in quo Iudæi furtim quendã cerdonis puerũ bimatẽ, cui nomẽ Simõ erat, ſubtractũ, & octauo Calendas Aprilis, quo die CHRISTVS paſſus fuit, perfidæ huius gentis ritu & more ſtrangulatũ, ut ſanguinẽ innocentẽ emũgerẽt, ita multifariã perfuderũt, ut corpus puerulí totum Dominicæ paſsionis ſchema ſtigmatibus referret. Nec tam deteſtabile Iudæorũ flagitium (ſiquidẽ uox innocentis ſanguinis, mirabili facti manifeſtatione, uindictã Dei implorat) inultũ mãſit. Nã cũ Ioãnes Sala iurecõſultus Brixianus in huius atrocis ſceleris reos, decreto põtificis anquiſiuiſſet, cõperti meritas ſupplicij pœnas in rogo pependerũt: puero uerò in martyrũ catalogũ relato, tẽplũ ſatis auguſtũ, ob miracula Tridenti cõſecratũ fuit: in quo pueri corpus exoletũ, & nigrũ, cras æditus uobis ſpectandũ exhibebit. Nec tñ his & tãtis ſupplicijs Iudæorũ pertinax, dæmonis inſtinctu, in homicidijs obſtinacia, mitigari potuit. Nam quinquẽnio poſt, eiuſdẽ impietatis & crudelitatis ſcelus Venetijs uindicatũ fuit. ex Motta oppido Forijulij, q̃d Liquẽtia amnis alluit, occiſo à Iudęis in die Paraſceues puero: tres de Hæbraica gente ſontes, Venetias ad ſupplicium deportati, meritas luerũt pœnas. At, ut audio, nõ deſunt qui Iudæorũ impietati patrocinentur, & hęc de Iudęis cõficta fuiſſe crimina affirmẽt, ut eorũ bona cõfiſcerent, & iudices diteſcerẽt. Iamdudũ em̃ ſublatis eorũ holocauſtis & hoſtijs, nec ulla amplius eſſe ſacrificia, quæ uel hũano uel ferarũ ſanguine ab eis peragãtur: nec legẽ Moſaicã ullũ ſanguinis hũani uſum præcipere,

De Simõe puero Tridẽti à Iudęis occiſo, Euſebius in Chronicis, Sabellicus li.7. Eneadis decimæ.

Iudæi Venetijs combuſti.

pere,uel docere.Sed ô impiorũ patrone, tuorũ Cabala, magico Aegyptiorũ incãtatiõis ac diuinationis artificio,literarũq; sacrę scripturæ sortilegio,& mẽdaci diuinorũ nominũ schẽhãphoras & aliorũ supstitiosa interpretatione referta, dæmonũ culturã & pstigias necromãtię uos docuit,q̃ sine sanguinis effusiõe fieri nõ possunt,ut uotis uestris dęmões adsint. Vnde decreta põti ficũ aiũt:Ad suscitãdos mortuos cadaueri sanguis adijcit.Nã amare sanguinẽ dęmones dicunt.Quũ uerò hęc magica Aegyptiorũ & auita Hebręorũ dogmata,olim successorib.eorũ tantũ uelut p manus tradita, & adhuc pculdubio sint quorũdã alta mẽte reposta: de his periculũ facturi, sanguine hũano egẽt.Quare nõ immeritò quispiã Iudæos p hęc execranda puerorũ homicidia,in die q̃ Christus suũ,p nr̃a salute effudit sanguinẽ, q̃ nos de potestate dęõnũ redemit,Iudęos quoq;,ut Euchetas & Gnostos magos,cõqrere sanguinẽ, suspicari poterit. His uel credere,uel fidẽ derogare, penes te sit arbitriũ. Tũ Geral.Hęc q̃ nobis de Iudęorũ magica impietate,& eorũ goetiæ pstigijs,q̃ sanguinẽ,dęmoniorũ philtrũ,reqrũt disseruisti, nõ multũ diuersa à Capniõe nr̃o,ex lib. de Verbo mirif.accepimus. Verũ qd stẽmate auorũ generosus,& rara eruditiõe uerè admirãdus comes Picus Mirãdulanus,de Iudęorũ in re medica libris et pitia statuerit, uel tu diuturno (ut hospes refert) eorũ usus cõmercio cõperisti,nõdũ nobis significasti:quũ tñ hęc scire Germanorũ max.intersit, q̃rũ ut marsupia Iudęi fœnore,ita facultates corporis uitales medicamẽtis exhauriũt,ac experimẽta p mortes agũt(discũt.n.piculis nr̃is) Iudæoq; Chr̃ianũ medicamẽtis occidere sũma impunitas sit.qppe cũ nulla lex sit, q̃ in hac arte puniat inscitiã capitalẽ. Accedit ad hoc auaritia pfectorũ et psidũ,q ac cepto paruo tributo,data illis,q Christũ & illibatã eius matrẽ uirginẽ Deiparã blasphemãt,maiore q̃ Christianis immunitate,hos ut mali pastores nõ tõdere,sed Hebraicos hos lupos, subditos ut oues deglubere pmittũt.

In Decre. caus. 26.q.5.can.nec mirum.

Magistratus auaritia finit subditos fœnore & medicina Iudæos perdere.

Pudet

Pudet fateri, solos in toto terrarũ orbe Germanos cuilibet apostatæ, sacrificulo, agyrtæ, carnifici, perfidoq; Iudæo, profitenti se medicum, corpus & uitam cõcredere. Quare, mi Langi, si quid de illorum medicina cõperisti, aut quid tandem sentias, ob communem patriæ salutẽ in lucẽ proferas, te omnes obsecramus. Cui ego respondi: O Geralde, equo certè sponte sua currẽti frustra impingis calcaria. A' teneris quippe didici, neminẽ sibi soli natum: sed potiorem nostri ortus & uitę partem sibi partim amicos, partim patriam uendicare. proinde quicquid de Iudęorum in medicinis scientia exploratũ habeo, ut ab illorum tyrannide & fraude ægroti semel uindicari posśint, ut ingenuè, ita quoque uerè ac citra omne odium uobis referam. Primùm gloriantur Iudæi, se quosdam de re medica habere libros reconditos, ac Christianis medicis inuisos: quorum nec Picus Mirandulanus, nec Capnio, Hebraicæ linguæ antesignani, ulla saltem fragmenta extare perhibebant. Nam Iudæi æquè ac Gallorum Druides, ante tempora Esdræ sacerdotis, cum Cyrus eos ex captiuitate Babylonica in Syriam Palæstinã Hierosolymamq; restituisset, nec secretiorem diuinæ legis interpretationem, nec ullam aliam artem literarum monumẽtis concrediderant: sed eorum successoribus hæreditario reuelationis iure ueluti per manus tradiderunt. Quare neque ulla de philosophiæ encyclopædia monumenta habent, nec proferre possunt, præter Cabalam & Thalmud, nugarum superstitionibus plena. Illud tamen fateri cogimur, in Syria, præcipuè Palęstina, ante & post CHRISTVM natum, quam Iudæi incoluerunt, studiũ medicinæ plurimùm floruisse. Nam in Antiochia diuus Lucas medicus, & Damasco, præclaris Syriæ ciuitatibus, sanctus Paulus ac Mesue, medicinam profesśi sunt: uerùm eam, quam Græcis, quos Mesue in testes adducit, acceptam referre iure deberent: quemadmodum Rasis &

Auicenna,

Auicenna, ac reliqui Arabes, Hippocrati & Galeno, quos in re medica ut duces obseruāt, & sequuntur. aliā uerò medicinā magicis Aegyptiorū uanitatib. defœdatam, Aegyptijs debēt. Nam cū in terra Canaan magna annonæ caritas & fames incidisset, Abraham cū Loth & Sara, eius uenustę indolis uxore, & uniuersa prole in Aegyptum profectus est, ubi pecoribus plurimùm ditescebant. Siue, ut sanctus Stephanus in Actis apostolorum refert, quum terra Chanaan magna frumentorū inopia affligeretur, Iosephiq; auctoritas olim à fratribus per inuidiam Aegyptiorum mercatoribus uenditi, apud Pharaonem magni fieret, Ioseph misso nuncio patrem suū Iacob, omnemq; cognationē eius cū LXXV animalibus in Aegyptum accersiuit: in qua pręter idolatriæ cultum, ex magia pharmaca & incantamenta didicerunt, quibus morborū curā temerario ausu professi sunt: quibus quoq; sacrosanctum Dei donum medicinam prophanassent, si monumentis literarū ab Aegyptijs excepta posteris tradidissent. Sed ne syncerae medicinæ puritas, eorum nugis contaminaretur, diuina prouidentia obstitit: cuius nutu accidit, ut Iudęi Iesū duce in Syriam Palæstinam reduces, ac ex captiuitate Babylonica, per Cyrum Persarū regem asserti, ut iterū gens illa effrenis Artaxerxis bellorū cladibus ac Ptolemæi insidijs afflicta, proprijs quoq; seditionibus pessumiret. Nam imperante adhuc Claudio Tiberio Cæsare, oborta Hierosolymis in solēnitate Paschæ seditione, intra portas templi triginta Iudęorū millia oppressa tradūtur. Nam à CHRISTO passo hæc gens Deo hominibusq; exosa, continuis bellorū ac seditionum calamitatibus fuit attrita. Quippe cum in ciuitate triplici discordiæ intestinæ factione dissideret, illius proceres crebrò ante templi portas cruenta intestini belli clade conflixerūt, in qua optimi quiq;, qui aliquid ex Aegyptiorum doctrina, uel auita maiorum reuelatione di-

De Iudæorum strage hęc Cornelius Taci. li. 21. Ioseph. li. 11. cap. 6. & lib. 12. cap. 1.

De Iudæis seditione oppressis historia Tripartita lib. 2. cap. 19.

dicerãt, uel armis, uel obsessa ciuitate, fame interierũt: qua mures, liberos, scutorum coria, & calceorũ alutas, ac fœnum edere coacti, tam confertim periert, ut per unam tantum portam centum ac quindecim cadauerũ millia fuerint elata, ut Egesippus refert. Fex igitur tantum, & indocti uulgi colluuies, mansit superstes: quæ, postquam Titus Vespasianus ciuitatem triplici muro uallatam ac dirutã solo adæquasset, dispersa, sine pastore & duce, passim per Europam & Indiam, et per aliquã Africæ partem oberrauit, nulla illis certa uel trãquilla sede derelicta, in qua literis uacare possent, à CHRISTO nato, uero Messia, semper alieno obnoxij dominio. Id quod illorum dux & propheta Moises, futurum illis, tali ueridico uaticinatus est oraculo: Non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de fœmore eius, donec ueniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium. quẽ ex Deipara uirgine natum, obuijs (ut aiunt) ulnis excepimus: quem Iudęi adhuc, sed serò nimis, expectãt. De hac uaga gente Israelitica, hæc nostra Iudæorũ propago repullulat, omniũ bonarum artium, & præcipuè philosophiæ ignara, quæ se illicito fœnore, quo æraria diuitum & principum exhauriunt, & medicinæ impostura, qua impunè Christianos perdunt, alit, & ditescit. nõ enim sibijpsis, suæ in medicina ignorãtiæ sibi cõscij, medẽtur: sed Christianorũ (quod Bononię & Venetijs crebrò uidi) consiliũ & auxiliũ implorãt. Qui enim obsecro medicinã scire possunt? cũ prima illius elementa, nẽpe humani corporis fabricã, non plus ꝙ lanij nouerint? philosophiã ne à limine quidẽ salutauerint? cuius tamẽ pauca quædã seminaria, nunc ꝙ fructũ ꝓductura, Cabala eorũ inspersa habet. Prudenter igitur & sanctè Pontificum decreta, sub pœna exauctorationis, aut excommunicationis cauerunt, ne quis Christianus sacris initiatus, uel laicus, cũ Iudæis conuiuetur, lauet, aut eos ad infirmos accersat, aut medicinam ab eis accipiat.

Egesippus de excidio Hierosol.

Sceptrũ Iudæ aufertur. Gen. 49.

Medicina Iudæorum prohibita, causa 28. q. 1. can. nullus eorum.

VETERES

VETERES EX AEGYPTO PHIlosophos diuina herbarum medicamenta, magica & anili superstitione infamasse turpiter. LXXII.

SOLET quidem, sed non immeritò, fraudulenta iniquitas omnibus bonis & probè doctis uiris mouere stomachũ. Quare omnes boni te facilè uenia, imò laude potius dignantur, quòd omnibus theologis & logiatris ac Iudæis malam crucem imprecaris, qui sacrosanctam religionem ac medicinam, execrandis magicæ artis uanitatibus defœdarunt: quas dum herbas aut radices, certis prius decãtatis ἐπῳδαῖς, & non sine lustralis aquę ceremonijs eruũt, expiant, & consecrant, audire & uidere licet: quorum ludibrio cacodæmon mentes mortalium ita perstrinxit, ut graues eruditione & fama totius ueteris Latij & Gręcię philosophos, ea docere aut scribere olim nõ puduerit. Quare ut scias, quibus iustè succensere debeas, paulo altius in re medica & religione magicæ uanitatis auctores tibi, & originẽ repetam. Non adeò magni referret, Hebræos magiæ arcana ab Aegyptijs dæmonum cultoribus, & idololatris, olim didicisse: quoniam illius arcana usque ad Esdræ sacerdotis tempora, non literis inuulgarunt: sed ut Gallorum Druides, illius sacra alter alteri, ueluti hæreditarij iuris successu, per manus tradebãt. Et postquam Esdras diuinę legis interpretationem, quam Cabala dicunt, cõmunicato cum LXX uiris Iudæis, ex omni eorũ tribu doctorib. selectis, cõsilio, cõscripsisset, cui illorũ successores multa nephãda magica de schemhamphoras, & literarũ sacræ scripturæ calculatione, & quasi sortilegia inseruissent, ne tamen hęc inerti uulgo paterent, lege cauerunt, ne cuiquam fas esset ante suæ ætatis XL annũ, quando iudiciũ, quo sacra à prophanis discernere posset, assequutus esset, Cabalã legere. At

De Esdra Iudæo Suidas & Iosephus.

De Hostane hæc Pli. lib. 30. cap. 1.

quum Hostanes Proconnesius, secundus post Zoroastrem magiæ auctor, in bellũ quod Xerxes Græciæ intulerat, comitatus, magicæ artis ostentatione ab omnibus ueluti numen ueneraretur, Græcorum populos nõ ad illius auiditatẽ modò, sed ad rabiem ferè illexit. Vnde Græcorũ philosophi, ut magicæ quoq; artis peritia barbaris non inferiores essent, sibiq; famam, eruditionisq; honorem aucuparentur, Pythagoras, Empedocles, Democritus ac Plato, ad hanc discendã exilijs uerius quàm peregrinationibus susceptis, in Aegyptum nauigarunt. Vnde reduces, hanc illustri preconio celebrarũt, & docuerũt. Ante quos tamen Numa Pompilius, Romanorũ rex & pontifex, ex magia quatuordecim libris partim Grecis partim Latinis, Romana iura & pontificia sacra conscripsit: cuius libri, ne diuulgata arte, põtificũ auctoritas uilesceret, arca plumbeis cooperculis deuincta, intus uerò cedri resina oblita, inclusi, inq; eius monumento reconditi, post Numæ obitum anno quingentesimotrigesimoquinto (qui annus, quũ cœlum sex menses nulla pluuia terrã irrigasset, siccitate & frugum inopia insignis fuit) rursum sunt eruti: eo enim anno in agro L. Petilij scribæ sub Ianiculo, dũ cultores altius moliuntur terrã, duæ (ut ait Liuius) arcæ lapideæ, octonos fermè pedes longæ, quaternos latæ, inuẽtæ sunt, literis Latinis Græcisq; utraq; arca inscripta: in quarum altera Numæ Pompilij corpus sepultũ esse, in altera eiusdem libros inesse, titulus indicabat. quas cum ex amicorũ sententia Petilius reserasset, quæ titulum sepulti regis præ se ferebat, inanis reperta fuit, sine ullo humani corporis uestigio, per tabẽ tot annorũ ossibus absumptis: in altera, duo fasces candelis inuoluti, septenos habuere libros, non integros modò, sed recentissima specie à tineis & blattis illæsos. septem libri de iure pontificio Latini erant, septem Græci de disciplina sapientiæ: quæ, ut Liuius ait, illius ætatis esse potuit:

De Pythagoræ, Platonis & Democriti profectione in Aegypum, Eusèb. li. 10. ca. 2. Cic. li. 5. de Fin. bo. & mal.

De libris Numę Liu. Deca. 4. lib. 10. Plin. lib. 13. cap. 13.

tuit:

tuit: quam Numam à Pythagora non didicisse, Cicero ac Liuius rectè asserunt. & hinc, Eusebius, Ouidius, ac Plinius, qui Numã Pythagoræ auditorẽ fuisse asserũt, erroris cõuincuntur. Siquidẽ peragratis Arabię, Persidis, Aethiopiæ Aegyptiꝗ finibus, Democritus, erutis ex sepulchro Dardani, ex Phœnicia magi, uoluminib. circa belli Peloponnesiaci tempora (ꝙ gestũ est à trecentesimo urbis Romanæ anno, qui orbis cõditi 4770 fuit) magiã in Gręcia docuit: Pythagoras uerò, regnãte Seruio Tullio, & plus centũ post Numã defunctum annos, in ultima Italiæ ora: quæ tũ uetus Græcia dicebatur, circa Metapontũ, Heracleã, & Crotonã, frequẽti discipulorũ cõcione magiã professus est: quã & uarijs symbolis obscurauit, & ne quispiã discipulorum ante assequutã magiæ sapientiã de ea quippiã temerè effutiret, aut eliminaret, silentium triennale discipulis indixit. Cæterùm si annalibus credimus, in eadẽ belli Peloponnesiaci tẽpora Hippocrates & Democritus inciderunt: quorum ille salubribus præceptis medicinã auxit & illustrauit, hic uerò eam & religionẽ ethnicorum arte magica miscuit & polluit. Nã illud magis persuasum erat, neminẽ, quãuis corpus nullis conspersum neuis haberet, nec unquã in mare expuisset, sacris magiæ initiari, aut ritè dæmonũ sacris operari posse: nec ἐπῳδαῖς ἢ γοητείαις, carminibus, uel lugubri incantamento mortuorũ manes aut dæmones in colloquium aut subsidium, uel ad uindictam arcessere, aut ueneficijs, spectris, ac præstigijs mentes mortalium perstringere posse: nisi prius magicas, ac naturales quoꝗ, sed occultas, herbarũ, aromatum, lapidũ, radicumꝗ uires & suffitus, ac præcipuè reconditã rerum naturaliũ cum dæmonibus & astris sympathiã, probè didicisset: sine quorũ peritia, nec dæmones ad magorum sacrificia & officia cogi posse crediderant. Quare his philosophis magis omnibus uetustior Orpheus (id quod eius hymni, qui adhuc

Pythagorã nõ fuisse Numæ preceptorem, Cic. libro 2. de Orat. & lib. 4. Tuscul. quæst. Dionys. lib. 2. Plutar. in eius uita, Plin. li. 2. cap. 8.

Eusebius li. 9. ca. 3. Ouid. lib. 15. Metamorp. Plin. lib. 13. ca. 13. asserunt Numam fuisse Pythagoræ discipulum.

De Dardano Aegyptio Ioseph. lib. 8. cap. 2. Pli. li. 30. c. 1.

De Hippocrate & Democrito hæc Plin. li. 30. cap. 1.

Magiæ opera, quę ex sympathia dæmonũ cum rebus naturalib. & astris.

Veteres poetæ omnes magiæ periti.

De polio herba Plin. lib. 21. cap. 7. & lib. 25. cap. 2.

huc extāt, testant͂) aliqua de his curiosius scripsit, et post eū eius discipulus Musæus, & Hesiodus, magicas polij herbę uires & suffitus cōmēdarunt: & Homerus quoq;

De moly Homer. li. Odyss. 10. Dioscor. li. 3. ca. 50. Arsen. in Apophtheg.

suum Moly, agrestis rutæ speciē, Mercurijq́; cōtra Circes ex mandragora ueneficia, pharmacū ita collaudat:

Mādragorā esse amoris philtrum, testatur Theophil. li. 9. cap. 10. de Hist. plant.

ὥς ἄρα φωνήσας, πόρε φάρμακον ἀργειφόντης,
ἐκ γαίης ἐρύσας, καί μοι φύσιν αὐτοῦ ἔδειξεν.
ῥίζῃ μὲν μέλαν ἔσκε, γάλακτι δὲ εἴκελον ἄνθος.
μῶλυ δέ μιν καλέουσι θεοί, χαλεπὸν δέ τ᾽ ὀρύσσειν
ἀνδράσι γε θνητοῖσι. θεοὶ δέ τε πάντα δύνανται.

Quòd Andreas & Pamphilus medicinam magicis uanitatib. defœdarint, Gal. lib. 6. de Simpl. med.

Decana sacrificia, Suid. in uer. δεκατεύειν.

Herbæ horoscoporum.

Gale. lib. 6. de Simpli. medic.

Post hos longa annorum serie, Andreas & Pamphilus non erubuerūt ἐπῳδὰς καὶ μεταμορφώσεις τῶν βοτανῶν, καὶ δεκανῶν καὶ δαιμόνων ἱερὰς βοτάνας γράφειν. id est, incantamenta, trāsformationes, & decanorū ac dęmonū sacras herbas conscribere. Idē Pamphilus gloriatur, herbam aquilæ, Græcis omnibus ignotam, ac triginta sex horoscoporum sacras herbas, ex libro Hermetis Trismegisti magi Aegyptiaci didicisse. Erant autē Decana sacrificia, in quibus ex uoto decima pars predę, Pythio Apollini cōsecrabatur. Horoscopi erāt, qui ex herbarū indicio, quis dæmonū quauis hora præsideret, & quid eius auspicio feliciter fieri uel auspicari posset, indicabant. At esse de heliotropiorū genere herbas, quæ se motui solis accommodant, herbasq́; indicent, inficiari nō possumus. Nam quotidie uidemus molochi & cicoreę flores ad solis ortū dehiscere, ad eius occasum conniuere.

De lupinis hęc Plin. li. 18. cap. 14. de molocho Columel. li. 11.

En lupinus cū sole quotidie circūagitur, horasq́; agricolis, etiā nubilo die, demonstrat. At esse herbas, quæ demones horarum pręsides indicent, puerilia esse deliramēta Galenus rectè monet. At illud lōgè impudentius, q̀ idē Pāphilus herbarū descriptioni aniles fabulas inseruerit: fascinationes, carmina, ac magicas cęremonias in herbarū & radicū euulsione obseruādas, ne dęmonis astus, cui herba dicata, euulsori fraudi sit, docet. At illud omnē superat admiratione, etiā graues erudi-

tione

tione testes his magorũ nugis nõ deesse. Euulsori radicum moly imminere mortẽ Homeri interpres asserit. Appion grãmaticus, Plinio adolescẽti uisus, ꝓdidit, cynocephalæã herbã, quæ in Aegypto uocaretur Osirites, diuinã, & cõtra omnia ueneficia pollere: sed si ea erueretur, euulsorẽ statim moriturũ. At his periculis, aut potius uulgi terriculamẽtis, quo herbę pluris uenirẽt, certis precationib. aut obseruationibus obuiã iri, magi docuerãt. Sic Druides Gallorũ magi, pręceperũt selaginẽ herbã, sabinæ similẽ, cõtra omnẽ pniciẽ & oculorũ uitia efficacẽ, sine ferro legi: dextra manu p tunicã qua sinistra exerit, uelut furãte, cãdida ueste uestito, purẽq; lotis nudis pedib. sacro (priusq; legit) uino & pane facto, & ut lecta in mappa noua deferatur. Alias uerò plures, æquè superstitiosas, magicas in eruendis ellebori, mandragoræ ac panaceæ Asclepiadeæ radicib. obseruationes, Theophrastus in nono de Historia herbarũ refert, & ut nugacia radicidij additamẽta floccipẽdit. Attamẽ nõ negamus quarundã, æquè ac hydrargyri, esse ita noxiũ uirus, ut si nõ flatu auerso eruant, uirulẽto earũ uapore caput, faciẽ, oculos, ac nõ rarò totum corpus obledatur. Sic nemo innoxiè thapsiã euulsurus est, nisi faciẽ uesica obduxerit, manusq; & corpus oleo inunxerit. Atqui nõ tantũ hac magica obseruatione in eruendis simplicib. sed etiã in medicamentorũ cõpositione ueteres usi sunt. Sic Andromachus, in cõficienda sua cõtra calculũ antidoto, semẽta diuretica in pila lignea pistillo ligneo contundere pręcipit: illiusq; opificem, annulum ferreum, aut calciamẽta ferreis trãsfixa clauis, ut Thraces & Pannones solent, gestare uetat. At parum uisum est cacodæmoni, his nugis irretire animos hominum, & sacrosanctã medicinam defœdare: nisi, ut plus auctoritatis magię accederet, in eius fraudulentũ consortium medicinã & astrologiam asciuisset. Rectè mediusfidius inquit Plinius ille polyhistor, natam è medicina

De Appione hæc Plin. li. 30. cap. 2.

De selagine Pli. lib. 24. c. 11.

De superstitiosa herbarũ collectione Pli. & Theophrast. li. 9. cap. 9.

De Thapsia hæc Theophr. li. 9. ca. 9. Dioscorid. libro 4. cap. 147.

De Antiochi antidoto hæc Aetius serm. 11. cap. 13.

Magia medicinam & astrologiam sibi coniunxit, Pli. lib. 30. cap. 1. hæc.

cina magicen nemo dubitat, ac specie salutari irrepsisse, uelut altiorem sanctioremq; quàm medicinã: ita blandissimis desideratissimisq; promissis addidisse uires religionis, ad quas etiamnum maximè caligat humanum genus. atq; ut hoc quoq; suggesserit, miscuisse artes mathematicas, nullo nõ auido futura de se sciendi: atq; ea uerissimè è cœlo peti credebant. & ita obsessis triplici uinculo humanis sensibus, in tantũ magia adoleuit, ut etiam hodie in maiori totius Europæ & orientis parte regũ regibus imperet. Quod uerissimũ esse, etiã nostro æuo Nouarum insularũ exploratores Lusitani cõperenrunt: in quibus rex nulla bella, sacrificia, aut queuis reipublicæ munia, sacerdotibus magis, dæmonumq; cultoribus inconsultis, suscipere audet. Verùm hæc magorum documẽta, aut si mauis, potius delirameta, meras esse nugas, Nero etiã Cęsar didicit, qui nullis ad hãc artem discendã pepercit opibus, nihil quod hæc exigeret reliqui fecit: hanc tamen falsam expertus, postremò repudiauit. Quod si hæc aliquo ueritatis fundamẽto niteretur, certè libri Numæ Pompilij non fuissent publico prudẽtissimi senatus Romani decreto in foro cõbusti. Quare sacra pontificum decreta his uerbis præcipiunt & mandant: Vt sacerdotes admoneant populos suos, ut nouerint, magicas artes incãtationesq; quibuslibet infirmitatibus hominũ nil remedij posse conferre, non animalibus languentibus aut claudicãtibus, uel etiam moribundis quicquam mederi: sed hæc esse laqueos & insidias antiqui hostis, quibus ille perfidus genus humanum decipere nititur. Quare qui in collectionibus herbarum carmina dicunt, aut pictaciolas pro quauis infirmitate scriptas, super homines aut animalia ponunt: si hoc clericus exercuerit, degradetur: laicus uerò, anathematisetur. Quare age mi Critobole, quum tua eruditio ac fidei integritas magistratui tuo sit dudum perspecta, effice, ut sagæ, anus ueneficæ, Iudæi,

In Nouis insulis magi dæmonum cultores.

De Nerone hæc Pli. lib. 30. ca. 2. & Suetõ.

Libri Numæ combusti. Liu. Dec. 4. lib. 10. Pli. li. 13. cap. 13.

Verba ex Decretis pontificum 26. quæst. 7. can. admoneant.

Iudæi ac ſacerdotes medicinam profeſsi (quam quidē ne à limine ſalutarunt, cuius prætextu uita & pecunia miſeros ægros impunè ſpoliant) à uobis eliminentur. quos Galenus prædonibus longè nocentiores eſſe rectè affirmat: qui pecuniam tantũ uiatoribus, ſed tamen non impunè adimunt. at his, cum uitam & pecuniam ægris ademerint, mercede gratia refertur. Quòd ſi effeceris ut hæc reipub. ueſtræ monſtra, pernicies, calamitas ac lues ciuium, proſcribatur: nemo erit, qui te nõ ciuica corona dignabitur, qui hoc unico conſilio uitam ægrorum à tyrannide imperitorum, medicorumq́ carnificina uindicaueris. Vale.

DE NECESSARIA ET ERRONEA *ſimplicium medicamentorum ratione.*

Epiſtola LXXIII.

QVàm frugifera, q́ deniq́ neceſſaria ſit medico, ſimpliciũ medicamẽtorum, ſuę artis organorum, cognitio: nemo eſt mortaliũ tam pinguis Mineruæ, qui id ignoret. q́ uerò præclara & honorifica, uel ex hoc Demophile conijcere poteris, ꝙ orbis terrarũ reges Lyſimachũ, Gentium, Eupatorem, ac Iubam Mauritaniæ regem, non piguit, indefeſſo herbas ſcrutari ſtudio, & repertas ſuis nominibus indigitare. Vnde iam adhuc poſt tot annorũ ſecula nõ in pharmacopolijs tantũ, & circa ægros in noſocomijs, ſed in toto terrarũ orbe, regalia & illuſtria Lyſimachi, Eupatoris, & Gentij regũ nomina, ſub eiuſdẽ herbarũ & radicum nomenclatura, decantant. Adde ꝙ Euax rex Arabum, de ſimpliciũ medicamentorũ uirib. præclara conſcripſit uolumina, quæ Neroni Cæſari dedicauit: & ſub Ser. Tullio Hoſtilio Pythagoras ſuas de herbarũ efficacia libros, tanq́ ſolis dijs digna donaria, Apollini & Aeſculapio cõſecrauit. Hoc præclarũ dign oſcẽdi her

Quas reges inuenerint herbas, Plin. lib. 25 cap. 2. docet.

Pythagoras primus herbarum ſcriptor.

bas studiũ, partim linguarũ imperitia ita perijt, ut corruptis Arabiæ medicorũ translationibus confisi, lethalia pharmaca pro salutaribus miscuerint: partim uerò ignaua medicorũ desidia neglectũ iacuit, qui id uesanis mulierculis & indoctis seplasiarijs cõcrediderunt: ipsi uerò, ut Erasistratij Alexandrinorũ medici, domi desides, ex sola librorum lectione (ut nostrates ex sola lotij obseruatione morbos, & ex pictura herbas exactè dinoscere temerè confidunt) medicorũ se officium assecutos putarunt. quos, ita me Deus amet, Galenus noster scitè, ἐκ τοῦ βιβλίου κυβερνήτας, id est, ex libro nautas appellat, qui ex solis Geographiæ chartis nauigationis docti, scopulis, prius non exploratis, nauem illidunt. Vnde Heraclides Tarẽtinus huiusmodi medicos rectè publicis prætoris præconibus cõparauit, qui pro cõcione in foro seruũ fugitiuum, suo uestitu, facie, corporis habitu, capillorũ colore graphicè depingũt & designant, quem sibijpsis assistentẽ non agnoscunt. Sic nostrates medici & myropolę, depictas herbarũ radices, flores, et semina, ex libro referre, uel etiã transcribere norunt: quas in proprio horto, uel ciuitatis pomœrio crescẽtes, digito demonstrare nõ possunt. Verùm quàm fallax sit herbarum ex lectione et pictura dinotio, Plinius, ueterum scriptorũ bibliotheca, his uerbis testatur: Crateuas, inquit, Dionysius & Methrodorus pinxere effigies herbarum, & effectus illarũ subscripserunt: uerùm pictura fallax est, ex colorib. numerosis in æmulationẽ naturæ depictis. multũ enim degenerat sors describentium uaria. Præterea difficile est, singulas earum ætates pingi: cum quadripartitis anni uarietatib. faciem mutent. certè alia corporis facie pullulant, alia floribus decora pubescunt, & alia seminibus fœcunda senescunt. Oportet sanè medicũ herbarũ peritũ, non esse lectorẽ tantũ, sed αὐτόπτην, id est, oculata fide herbarum in quauis earum ætate spectatorẽ, ut copiose & fideliter Diosc. in Prologo

Desidiam medicorũ Alexandriæ grauiter carpit Galen. passim, & in fine libri Hipp. de natur. hom.

Hæc singula Galen. in principio lib. 6. de simplic. med.

Incerta ex pictura herbarũ cognitio.

Plin. lib. 25. c. 2

logo admonet. Prudēter igitꝰ Antonius Castor Rom. fecisse traditur, qui ut exactè herbarũ historiam dinosceret, plurimas herbas in hortulo suo seuisse fert̃, quarum subsidio, illæso sanitatis robore, centesimũ transegit annũ. Non tamen picturam herbarũ historiam illustrare inficior: sed exactam illarũ ad amussim cognitionem inde cōprehendi posse, unà cum Dionysio & Methrodoro pernego. Hac medicorũ desidia, linguarũq́ imperitia, & perplexa nominũ miscellanea accidit, ut nō modò uirulenta pro alexipharmacis offerant̃, sed ut uix dimidia medicamentorũ simpliciũ, aut herbarũ, radicum, metallorũq́ pars rectè dignoscat̃. Qua ignorantia artifici, qui sua ignorat instrumēta artis, ut nulla est impudentior, ita nec ulla periculosior. Dic mihi obsecro, quis medicorũ post Dioscoridē & Galen. saluberrimæ alysi herbæ historiã & eius germen probè nouit? quæ non solũ gustata, sed uisa etiã, uel tacta, sine febre singultus, uirulentosq́ rabidi canis morsus confestim curat: melle contusa, & faciei illita, lentigines detergit: tam præclarũ contra fascinationes hominũ, pecorisq́ morbos amuletũ, ut hac domi suspensa, aut circa caules septaq́ consita, aut collo alligata, pecoris morbos amoliatur. ideoq́ & ouillo & caprino pecori salutaris esse credit̃. Eius tam præclaræ uires frustra tradunt̃, quum nemo probè herbam hanc hodie, nec ante multos annos, nouerit. Plinius suspicat̃ esse rubeã minorē, Aegineta & Aetius sideritim Achilleam. At nostræ ætatis medici herbarij, qui in herbarũ pictura, & illustranda earũ notitia, nec impensis, nec ingenij corporisq́ uiribus pepercerunt, alysum esse hepaticam, quam uulgus chirurgicorũ Waldtmenlein appellant, falso arbitrantur: à qua tota alysi historia dissidet. Nam Actuarius in libro de Medicamentorum compositione, ex Galeni Antidotis ita eam describit: Alysum herba marrubio similis est, asperior tantum, spinosioribúsque pillulis,

Hortulus herbarũ Antonij Castoris, Plin. ut suprà.

Ex quib. causis herbarũ cognitio perijt.

Alysum herba ueteribus et nostris medicis ignota.

Alysi cōtra fascinationis uires.

De alyso hæc Diosc. li. 3. c. 97 & Gal. lib. 2. de Antidotis. & lib. 6. de simpl. med.

aut ſphærulis cauli agnatis, flore cærulæo. hanc legere oportet, flagrante caniculæ æſtu, ac ſiccam tundere: incerniculoq; cretam, ita recondere, ne quid uirium exſpiret. In tua uerò hepatica, uel galacio, quam in caule ſingulari aſpredinẽ, quos uerticillos, quos deniq; flores cœruleos uides? Certè nullos. Verùm cum ſideritidis hiſtoria alyſo ſunt ferè omnia cõmunia, pariterq; huic quam Gallorum herbarij ruſticam uel ſylueſtrem canabim appellant. Quare non obſtante, q Dioſcorides alyſo proprium, & à ſideritide diuerſum dicauerit capitulum (in tanta enim medicæ materiæ ſylua, rem eandem etiam ſub diuerſis nominib. bis deſcribere, nil mirum) tuum quoq; expectabo iudicium, utram illarum uelis eſſe alyſum. Vale, & q̃ primum reſcribe: aut ſi nil reſcripſeris, attamen ipſe ueni.

Alyſum an ſit ſideritis, aut canabis ſylueſtris

DE PAEONIA, SCOLOPENDRIA, ET *Seſamoide.* *Epiſtola* LXXIIII.

Iuriſconſultorum ſolertia.

ACcepi literas tuas, Demophile, in quibus prudenti iuriſconſultorum ſolertia uteris, qui reo aut creditori ſuadere ſolẽt, ut duplũ eius quod debeat, uiciſsim ab actore exigat: ut ſi cauſa per arbitrũ ante litis conteſtationẽ tranſigi debeat, aliquid (ut arbitro obſecundet) citra ſortis diſpendium remittere poſsit. Hac tu uideris induſtria uti: quum ego à te uerũ alyſum peterem, tu uerò antequam me uoti compotem reddas, confeſtim à me ueram pæoniam maſculam, ſcolopendriam, ſeſamoidem, aut illius comparem elleborum nigrum, deſideraſti. Quamuis Demophile iniqua ſit, trium prçſtantiſsimorum medicaminum pro uno compenſatio: ingens tamẽ cognoſcendi alyſi deſiderium, & ſalutares eius, quas de eo Plutarchus in Sympoſio commemorat, uires, me huic auctioni corollarium addere cogunt. Pæoniæ herbæ utrumq; ſexum,

Pçona

Pæona deorum apud Homerum medicum reperijsse, nomẽ eius testatur: quam Theophrastus Glycisidem, ob similem in malis punicis dulcorem, & Romani Castam herbam appellarunt. Fœmina folijs in margine, instar smyrnij serratis decora, radice uerò nigra adnata, ut in asphodelo, singulis annis instar glandis oblõgæ, sobole & stolone fœcunda. splendescit calice floris roseo, in lata coloris purpurei folia dehiscente: quib. decidu is, subnascuntur in summa caule, quini folliculi oblongi, lanugine pubescẽtes, amygdalis similes: in quibus maturitate dehiscẽtibus, grana punici mali acinis similia, partim nigro, partim coccineo colore rutila emicant: quorũ 15 in melicrato sumpta, uires cerebri roborant, uertiginososq; uapores digerunt: potantur autem, uel cum passo deglutiuntur totidẽ, contra Faunorum in somno ludibria, & nocturnas incuborũ suffocationes: propter quod pæoniam etiam uocarunt ephialtion. Hæc passim hortos & topiaria decorat. At pæonia mascula promontoriorũ & montium potius q̃ horторũ incola, folia nuci iuglandi in principio similia habet: radicem digitali crassitudine, longitudine dodrantali, colore candido, gustuq; stiptico: in summo pediculo, flores instar maluæ purpureos, candicantibus tamẽ intus maculis conspersos, gratum naribus spirantes odorem: quibus tabescentibus, subnascuntur quinq; folliculi, suis discreti septis, et granis nigerrimis referti. Et quoniã natale suũ solũ, supra montiũ uertices, & intra scopulos (quos ignauos conscendere medicos tædet) sibi collocauit, medicis diu ignota fuit: donec studio & opera medicorũ Germaniæ, hanc uulgare esse nostrũ dyctamũ comperimus. & quemadmodũ à radicis colore elleborũ albũ aut nigrũ dicimus, sic & pæoniam illã nigram, hanc uerò albam appellare poteris. cuius radices collo appensas, Galenus, & post eum Thadeus, crebrò repetito experimento, epilepticis mederi cõpererunt.

Theophrastus de hist. plant: lib.9.cap.9.

Historia pæoniæ fœminæ.

Historia pæoniæ masculæ.

De pæonia alba hæc Galen. lib.6.de simpl. medicina.

Theophrastus li.9.c.9.Diosc. lib.3. cap.149.

runt. Proinde rectè Iacobus Syluius Parisiensis inquit: Pæoniæ maris radix oblõga, altheæ æmula, cõtra epilepsiã & melancholiã recens collo appensa, potius q̃ fœminę radix iuuat. Tradũt, cruentes eam interdiu, uiso pico marcio excæcari, radicis uerò euulsorib. procidere sedẽ: quare noctu, etiã silẽte luna, pæoniã eruere, anilia magorũ deliramenta suadent. Cæterũ, q̃d ad ueram antiquorũ scolopendriæ historiã & cognitionẽ attinet, quã nostrę ætatis medici ambitiosa altercatiõe magis obscurarunt q̃ illustrarunt, ueteres sanè ob scolopendri insecti multipedis (qui, teste Nicandro, pedibus suis æquoris stagna, ut nauis remigio, perreptat) asplenon herbam, & hemiotiden, scolopendriũ appellarunt. unde Asclepiades, ad pharmaci, tumorẽ splenis digerentis, compositionẽ, accipere iubet καππάρεως φλοιοῦ <.δ. μυρίκης καρποῦ, βοτάνης ἀσπλήνου λεγομένης σκολοπενδρίου ἢ ἡμιονίτιδος ἀνὰ <.β. & Andromachus, non illaudatus uetustate & eruditione singulari medicus, ad similis effectus pharmaci compositionẽ accipere præcepit, μυροβαλάνου σαρκὸς <.γ. ἡμιονίτιδος βοτάνης, ἣν οἱ μὲν ἄσπληνον, οἱ δὲ σκολοπένδριον λέγουσι. Accipis ne modò, ueteres Græcorũ medicos hemionitida & asplenon herbas, natura nõ adeò diuersas, scolopendriũ appellasse: quas Arabes, & eorũ æmuli, Ceterah nominarunt. Nostrã uerò uulgarẽ officinarũ scolopendram, uerius esse Dioscoridis phyllitin, q̃ hæmionitida, historia eius testatˀ, quã uides Andromachũ quoq; & asplenũ ac scolopendrã, tanq̃ unam eandẽq; herbam, appellasse. nec obstat, ꝙ Dioscorides, ut herbas diuersas, in diuersis capitulis describit. Nam qui præclarũ illud Diosc. opus cõsarcinarunt, crebrò capitula, ob nominũ diuersitatẽ, diuulserunt. Et ipse quoq; Diosc. idẽ simplex medicamentũ, ut id magis illustraret, in diuersis capitulis sub diuersis quoq; nominib. nõ raro descripsit. Quàm uellẽ quoq;, ut Gerardus, qui semestri præterito Noui orbis insulas perlustrauit, in Anticyrã quoq;, elleboro salubriori fœ-

De scolopendro animali Nicander in theriac. Diosc. li.2 cap.14.

Ex Andromacho & Asclepiade hæc repetit Gal. li. 8. de cõpos. med. cap. de splene.

Vulgaris nostra scolopendria est phyllitis.

Dioscorides idem simplex bis describit.

cundam,

cundã,nauigaſſet.aut Appionẽ grammaticũ Pythago rica palingeneſi reuiuiſcere (q umbras Homeri,ad percunctandũ qua patria quibus'ue parentib. natus, fert̃ euocaſſe) ut nobis quoq; manes paſtoris & uatis Melampodis ab inferis accerſeret,quo nos certiores redderet:quali elleboro aut ſeſamoide,an horũ fructu uel radice furentes Prœti filias in Arcadia apud fontẽ Clitoriũ curaſſet: & an noſtrũ uulgare elleborũ,cõſiligini ſimilimũ,etiã in cenſum ueratri referret,cui Dioſcoridis deſcriptio certè parũ cõpetit.nam nec caulis illi ſcaber, nec flores in candido purpuraſcẽtes,figurá ue racemoſi ſunt:nec ſemẽ cnico ſimile,q̃d aluũ,cerebrũ & ſplenem ab utraq; bile mirabiliter expurgaret.quę minori Anticyrenſiũ elleboro potius cõpetunt, q̃d iuxta Creutzenach,Palatinatus oppido,ac intra Ingelheym,Cęſareã olim Caroli imp.ſedẽ,et Maguntiã,paſsim creſcit.Hoc effoſſum agyrtæ Italorũ Venetias,p uero (ut q̃q; eſt) elleboro deferũt,q̃ ueterinarij pecora,et Melampus capras ſe purgare obſeruauit, quarũ lacte mentẽ multis ademptã reſtituit.Eſt ſanè ſeſamoides minus herba, dodrantales caulicos ac foliola nigellæ aut coronopodis ſimilima habens:& radices nigras graciles,mutuo amplexu implicitas,ex baſi caulis uelut ex cepoſo aliq̃ capite erũpentes.habetq; flores racemoſos figura, quorũ mediũ in flauo albicat,ſemen uerò cnico aut ſeſamo nõ admodũ diſsimile:unde ſeſamoides appellat̃,& ui alui deiectoria pollet. Proinde Theophraſtus:Elleborũ, inq̃t,nõ ſolũ radice, ſed etiã fructu eſt utile. ſiquidẽ in Anticyra, ut fertur, fructu eius purgant̃. fert aũt hunc ſeſamoides. Et Dioſcor.in capite de Elleboro nigro,in q̃uo hiſtoriã ſeſamoidis & ueratri nigri cõfundit: Fert ſemen, ait, cnico ſimile, quod in Anticyra ſeſamoides uocatur. utuntur eo ad purgationes. Et in ſequẽti capite, de Seſamoide: Quia (inquit) in purgationibus candido ueratro miſcetur, elleborum Anticyreni ſeſamoides hoc uocarunt. Recte igitur Theophraſtus, ſeſamoi-

De Appione hæc Plin.li.30. cap.2. Gell.libro 3.cap.2.

De ueratro nigro Dioſc.li.4 cap.142.

Seſamoides minus Anticyrenorum elleborus.

De ſeſamoide minori hæc Dioſcor.lib.4. cap.144.

De elleboro et ſeſamoide hæc Theophraſtus lib.9.c.10.& 11.

Elleborina est sesamoides.

sesamoides minus elleborinam appellat. Miscetur, ait, in potione ueratri albi, ut uomitio bene succedat, ellebori ue semen. Hæc, ait, herbula quædã est, eius sanè semine, uirus ueratri albi suffocãs mitescit. Proinde Strabo: In Phocidis, inquit, Anticyra melius quàm in Oeta preparatur, admistione sesamoidis. quare ualetudinarij elleborũ potaturi, in Anticyram secedebant. in qua Drusus Romanus, plebis tribunus, ellebori potu à morbo comitiali liberatus fuit. Erat, & est, igitur sesamoides genuinus Anticyrenorũ elleborus, quod Paulus Aeg. his uerbis testatur: σησαμοειδὲς τὸ μέγα, ὅπερ καὶ ἀντικυρεὺς ἐλλέβορος ὠνόμασαι, διὰ τὸ ὁμοίως ἐλλεβόρῳ καθαίρειν τὸ αὐτοῦ σπέρμα. Et Hippoc. ad Democr. Sesamoides, inquit, per superna purgat. Potio eius est, drachma dimidia, in aceto mulso trita, admiscet ei tertia ueratri pars: tum minus suffocat, aut strãgulat. Semen aũt sesamoidis maioris, purgat (inquit Diosc.) superiorẽ uentriculũ, pituitam, bilemq́ põdere quantũ quis tritũ tribus digitis capere posit, bibitur in aqua mulsa, cum ueratri albi obolo & semisse. At sesamoidis minoris semen purgat bilem, pituitamq́, acetabuli semisse cum aqua mulsa potum. curatq́ ea potio quartanas diuturnas, ut perhibet Hippocrates, & diuturna febre lipyria, mania, melancholia, ac morbo comitiali diuexatos. Ex his, grauissimorũ autorũ locupleti testimonio clarè cõstat, ueterũ nigrũ elleborũ fuisse utrumq́ sesamoides: quorũ non radicibus, ut modò assolent medici, quas Dioscorides inefficaces asserit, sed seminibus (grato coturnicibus cibo) in potionib. colagogis & flegmagogis utebant̃: quæ contrita etiam puluisculo & potionibus ex ellebori albi radicibus, ut lenimen, addebant. Postremò nostra etiam ætate cõperimus, sesamoides minus non tantũ in Anticyra, sed etiã in præfatis locis Rheno finitimis, affatim crescere, illiusq́ radiculas nigras insigni pollere uirtute purgatoria. Prætereà medicos, etiã ueterinarij nostri exploratum

De elleboro Anticyrensi, Strabo li. Geograph. 9.

Drusus Rom. trib. elleboro curatus.

Plin. lib. 25. c. 5. & Gell. lib. 17. cap. 15.

De sesamoide elleboro Paulus lib. 6. & 7.

Sesamoidis utriusq́; uires, et dosis ac potio.

exploratum habent, quod Dioſcorides ignorauit: qui helleborí ſui nigri hiſtoriã, cum ſeſamoidis minoris, a deò miſcuit, & confudit, ut nemo quæ'nam herba eius uel Meſuę, fuerit elleborus niger, facile diuinare poſsit: niſi quis eſſe conſiliginis ſpeciem, aſſerere uelit, penes hunc ſit arbitrium. Mihi uerò interim eius uicem, ſeſamoidis minoris radices & ſemina ſuppeditabunt. Habes Demophile mi, ea quæ pro alyſio tibi offerri deſideraſti. Reliquũ eſt, ut nobis cũ Alyſio reſpõdeas. Vale.

An elleborus niger Dioſcoridis & Meſue ſit conſiligo.

DE GAGATIS ET SVCCINI SVFFITV.

Epiſtola LXXV.

QVòd tã ſerò, Philadelphe literis tuis reſponderim, id certè erumnoſa ſeruorum in aula equeſtriũ curatio efficit: qua ita diſtringor, ut ferè nihil temporis ſuffurari poſsim, quod uel literarũ ſtudio, uel amicitiæ officijs impartiri poſsim. Idq́ ſanè procerũ aulę culpa accidit, q̃ equũ empturi, caput, oculos, dẽtes, crura, & ipſas deniq́ ungulas adhibito hippocomo cõtemplantur: at ſeruũ cõducturi, nec cuias ſit, ulcerosus'ne, an aliquo per temporis interualla morbo ſontico laboret, perconctantur: quo fit, ut alter alterum ſua cõtagione & lectiſternia & ſtragula coinquinet. Non certè temerè Romanorũ ędiles curules edicto cauerũt, ut mangones, andrapodocapeli, qui pueros, puellas & mancipia fuco & inani ſagina, uerũ corporis robur mẽtiente, adornabant: titulos ſingulis ſeruis uenalib. adſcriberent, q̃ emptor rectè intelligere poſſet, quid morbi uitij'ue cuiq́ ſeruo ineſſet. Vnde præter Labeonem Trebatiũ, ueteres iuriſconſultos, etiã Maſſurius Sabinus libro iuris ciuilis ſecundo, ſeruos uitioſos aut morboſos poſſe andrapodocapelo uenditori redhiberi, rectè ſtatuit. Certè ueteres Græci & Romani in emendis ſeruis adeò ſollicití erant, in quibus conducendis noſtrates

In cõducendis ſeruis aulicorũ incuria.

Quid morbus ſonticus, Gell. lib.20 cap.1.

Edictũ de ſeruorũ uenditione, Gel. lib.4. cap.2. repetit.

Qui fuerint andrapodocapeli Gal. lib.14. Method. & Suidas docent.

Morboſi mancipij redhibitio. Cic. lib.4. Tuſcul. q.

ſtrates nihil penſi habent, ut ſi uenditor uel ſeruus morbum celaſſet epilepticum, nō deeſſent illis experimenta & ſuffitus, quibus morbum explorarent: Accenſis enim, inquit Plinius, utrislibet ceruorū cornibus, odore fugantur ſerpentes, & comitiales deprehenduntur morbi. Vnde præter Dioſcoridē & Plin. L. Apuleius in prima defenſione, mirum id refert, incenſum lapidē gagatem morbū comitialem facilè explorare: Cuius, inquit, odore etiā uenalitiarij uulgò ſanitatē, aut morbum uenaliū experiuntur. Galenus quoq;, aut quiſquis remediorum euporiſton, id eſt, facilè parabiliū, autor extitit, ſcribit: ὑποθυμίαμα ὑφ' οὗ τῷ γνῶναι εἰ ἔστιν ἐπιληπτικός· λίθον ὑποθυμίασον τὸν ἀγάτην, αὐτῷ συμπεριβαλὼν, ὡς μὴ διασκίδνασθαι τὴν ὀσμήν. καὶ καταπεσεῖται, εἴπερ ἑάλω τῷ πάθει. Id eſt: Suffitus, quo cognoſcitur ſi quis eſt epilepticus: Lapidem incende agaten, & hominē ne odor diſpergatur, ſtragulis circundato: tum, ſi morbo huic eſt obnoxius, cadet. Verùm quum antiquiſsimus poetarum Orpheus hunc lapidem & morbum ſcitè deſcribat, operæpreciū duxi, eius adſcribere carmina:

Suffitu cornu cerui & gagatis epilepticos deprehēdi, Pli. lib. 8. cap. 32. & li. 36. c. 19. & 15. Dioſcor. lib. 5.

Galen. de fac. parabil. cap. de epilepſia.

Orpheus in libello de lapid.

φεύγει καὶ κνίσσῃσι γαγάτην ὀρνυμένῃσι,
τείροντα θνητοὺς ἐχεπευκέϊ ἀϋτμῇ,
χροιῇ δ' αἰθαλόεις, πλατὺς, οὐ μέγας, ἔλπετ' ἰδέσθαι,
καρφαλέῃ δ' ἴκελον πεύκῃ φλόγα δῖαν ὀρίνει.
ἀλλ' ὀλοὸν ποτὶ ῥῖνας ἄγει μένος, οὐδ' ὅγε φῶτας
λήσεται, ὧν καθέλοις ἱερὴν ἀπὸ νοῦσον ἐρύξαι.
γνάμψει γὰρ σφέας αἶψα χαμαὶ περὶ πηλώεας ἕλκειν.

Eſt namq; gagates lapis niger, ex ſulphureo bitumine in oſtijs Gatis fluuij Lyciæ, ubi ſeſe in mare exonerat, concretus: cruſtaceus, incenſus nidorem bituminis ſpirat, nullius ferê ponderis: foſsilis tamen, carbonibus ex terra ampelitide concretis ſimilimus: qui ob id indurati & politi, in eius cenſu habentur. cuius ergò Galenus Lyciam peragrauit: quem in ea non repertum, tandem

De gagate hęc omnia Gal. qui Lyciā & Syriā pagrauit lib. 9. de ſimp. med.

tandem in orientali Cœlesyriæ collis uertice, qui mare mortuum circundat, & ubi asphaltus nascitur, copiose reperit, qui accensus asphaltum redolebat. Quare nil mirum, eius malè olenti odore & suffitu epilepticos deprehendi: quum etiam aromatum odor & exhalatio caput repleat, & cephalalgiam excitet. Sed illud longe magis dignum admiratione, quod quidam logiatri ac Iudæi, & agyrtæ, quo pluris succinum uẽdant candidum, audent, illius per nares attractum fumum homines ab epilepsia & apoplexia præseruare, profiteri: quarum paroxysmus, quum ex glutinoso in terræ uisceribus detento bitumine, in Oceano septentrionali statis temporibus scaturiente, nascatur, potius accelerent. nam bitumen quidem ustum, ut Plinius ait, comitiales morbos deprehendit. Id quod longè uero similius arbitror, quàm quod tradiderunt, ex resina populi nigræ in subiectum mare destillante coagulari. Quòd enim formicas, muscas, foliorum aut corticum detrimenta in electro concreta conspicimus, ea æquori aut eridano innatantia, undarum maris illisu electro impinguntur. Sed hunc perniciosum errorem inde in medicinam irrepsisse arbitror, quòd gagates & succinum utrumque facilè accendatur, attritu'q; uestium calefactũ paleas attrahat, ideo'q; in uernacula Germanorum lingua nomen ab agathe deflexum, Aidsteyn obtineat: cum, ut olim erant herbarij cultioris latinæ linguę imperiti, legissent gagatem suffitu epilepticos deprehendere, id procurare intellexissent, easdem quoque uires succino attribuerunt: nescij, huiusmodi medicamentorum effectus plus à substantia, quæ partim bituminis, partim sulphurea est, quàm à manifestis qualitatibus dependere. Neque te mitior succini, quàm est gagatis, odor & suffitus decipiat: quoniam etiam fragrantissimus aromatum odor, ut Mesue ex Hippocrate docet, quantumuis mulcebris, caput, nisi prius bene expur-

De succini suffitu.

Bituminis nidor epilepsiã redarguit. Pli. lib. 35. cap. 15.

Aromatum odores capita repleta offẽdere.

Gal. lib. 5. aphor. 28 Mesue in fine cap. de soda frigida. de loc. affect. lib. 3. capite 9.

expurgatum fuerit, calidi flatus repletione offendit. Quare Germanis, qui quotidiana gula, uiniq́ meri crapala, capita onerata habẽt, hũc nidorulentũ electri suffumigiũ periculosissimum censeo: à quo si tibi plethorico cõsultũ uoles, caueto. Vale: nec temerè credas Mesuæ, oleum gagatis epilepticis prodesse, cum nullius au ctoritate uel ratione id asserat. Sed potius credas Alexandro Aphrodiseo, qui libro Problematũ secundo inquit: Quanquam malè olida uuluis prosunt, tamẽ comitialibus auertenda omnino sunt. faciunt enim, ut qui eo morbo capi solitus est, collabatur & æstuet. ergo uitent pennas igni iniectas, lapidem gagatem, bitumen, cornu omne, lucernas, lapidem thracium, qui aqua uritur, oleo extinguit. de quib. Auicẽ. lib. 2. trac. 2. cap. 117.

Problem. 60.

DE ABSVRDA ET AFFECTATA MEdicamentorum citra methodum compositione.

Epistola. LXXVI.

INoleuit, Christophore, nostris temporibus perniciosa quidẽ apud indoctos pharmacopæos, & ignarũ empiricorũ uulgus, opinio, ut illi ob lucri aucupiũ, hi uerò ob ambitiosã & uanã pluralitatis remediorũ ostẽtationẽ, ea credãt præstantiora esse pharmaca, quæ ex uniuersa succidaneorũ, radicum, lapidũ, metallorum, herbarum, ac florũ sylua, nulla certè methodo congesta sunt: precipuè si exotica, & iam ferè euanida, ab extremis Indis allata fuerint, quũ non rarò domi in pomœrio meliora nascantur: quod ut semper sumptuosum, ita ægris crebrò noxiũ est, & periculosũ, præcipuè si unicus indicationũ scopus fuerit. Vbi uerò cõtrarię diuersorũ affectuũ indicatiões coinciderint, tum miscenda sunt simplicia medicamenta, uiribus diuersa, non quę eadem uirtute pollent: quæ nostri logiatri omnia ad inanem pluralitatis ἀντιβαλλομένων ostentationẽ,

in

in unum pharmacum numerosum, ueluti in confusum chaos, conglomerare solēt: quibus magis pharmacopolas locupletant, quàm ægros alleuiant. qualia, ut ipsis uidentur, magnifica pharmaca, ex numerosis medicamentorū simpliciū, ac nō rarò compositorū fragmentis, scrupulatim consarcinata, Plutarchus in Symposiis irridet, ac Erasistratū quoq; in testem accersit: ἀλλὰ πολὺ μᾶλλον ὅτ' ἂν μιγνύντων τὰς βασιλικὰς καὶ ἀλεξιφαρμάκους ἐκείνας δυνάμεις, ἃς θεῶν χεῖρας ὠνόμαζον. Ἐρασίστρατος δ' ἐλέγχει τὴν ἀτοπίαν καὶ περιεργίαν, ὁμοῦ μεταλλικὰ, καὶ βοτανικὰ, καὶ θηριακὰ, καὶ τὰ ἀπὸ γῆς καὶ θαλάττης, εἰς τὸ αὐτὸ συγκεραννῦντας. καλὸν γὰρ ταῦτα ἐάσαντας, ἐν πτισάνῃ καὶ σικύᾳ καὶ ὑδρελαίῳ, τὴν ἰατρικὴν ἀπολιπεῖν, ἀλλὰ νὴ Δία τὸ ποικίλον ἐξάγει, καὶ γοητεύει τὴν ὄρεξιν. Cui Plinius ille polyhistor, his uerbis perbellè suffragatur: Hinc ex terræ nascentibus nata medicina. hęc sola naturę placuerat esse remedia, parata uulgò, inuētu facilia, ac sine impendio, ex quibus uiuimus. Postea fraudes hominū, & ingeniorū capturæ, officinas inuenere istas, in quibus sua cuiq; homini uenalis promittit uita. Statim cōpositiōes & mixturæ inexplicabiles decantantur. Arabia atq; India in medio æstimantur, ulceriq; paruo medicina à rubro mari importatur: cū remedia uera pauperrimus quisq; cœnet. Ita est profectò, magnitudo populi Rom. perdidit ritus, uincendoq; uicti sumus. paremus externis, & una artiū medicina imperatoribus quoq; imperat. Hæc eadem Plinius alibi clarius explicat: quæ, nisi te obtunderem, libens quoq; ascriberem. Veruntamen quia proximè ad scopum collimant, addam ea quoq;: Scrupulatim quidem, ait, colligere & miscere medicamentorum uires, nō coniecturæ humanæ opus, sed impudentiæ est. nos nec Indicarū Arabicarumq; merciū, aut externi orbis attingimus medicinas: nō placent remedijs tam longè nascentia: nō nobis gignuntur, imò ne illis quidem: alioqui non uenderent. Odorū causa,

Hęc Plutarch. in 4. decad. Sympos.

Plin. hæc li. 24. cap. 1. & Blondus ea repetit.

Plin. li. 22. c. 24

unguentorumq́ & deliciarum, si placet, etiam superstitionis gratia emantur, quoniam thure supplicamus & costo. & reliqua ibidē plura leges. At ego aromata, gūmi, radices, & alia Arabum Indorumq́ medicamenta exotica, si modò mercatores citra imposturam ea sincera ad nos perferrent, non auersarer. Nec medicamentorum compositiones recta methodo concinnatas despuo, quas cum cōtrarietatis proportiōe oporteat morbo esse analogas. Remediorum igitur & medicamentorum compositionis esse easdem indicationes, Galenus asserit: & recta curandi morbos ratio quæ contrarijs constat, exigit. Nam ut primus & præcipuus curationis & remediorum scopus, ex morborum διαθέσει, affectus dispositione (quæ remediū morbo contrarium, suiq́ ablationē & correctionem indicat: cui & natura corporum, ac situs loci affecti, ætas & aer coindicāt) sic eadem morbida affectus dispositio, pharmaci compositionē indicat, & talem postulat, quæ cum contrarietatis æquilibrio, morbum quasi ex diametro oppugnat, suisq́ uiribus membra principalia & locum affectum corroboret, & sua cōgenita proprietate uires pharmaci ad eum deferat, eaq́ contineat, quæ pharmaci saporem grata suauitate saporis & odoris, naturæ corporis conciliant. Et propterea Alexander Aphrodiseus theriacam summopere laudat, quia ex pluribus herbis cōstet, quæ singulæ membris principalibus subueniūt singulis. Dyctamus enim cordi accommodatur: quippe qui mirificè cor firmet, atq́ conseruet. Eupatorium epar adiuuat, scolopendrium lienem, petrapium os uentriculi, hyssopus septum transuersum atq́ pulmonem, inula campana renes, ruta intestinum laxum, gentiana cerebrum, seseli uesicam. Quod si nullum simplex medicamen ex tanta simplicium medicamentorum sylua habere poteris, q̄d uniuersas remedij uires & proprietates, quas compositionis pharmaci & curæ morbi indica-

Methodū componendi pharmaca tradit Gal. lib. 1. compos. phar. generał. & lib. 6. cōpos. medicam. part. in principio, & libro 2. eiusdem.

Alex. Aphrodis. lib. 1. problem. ult.

dicationes requirunt, contineat: tum Medicus, ut sedulus naturę minister, ita fidus eius æmulus, tale pharmacum non ex homogeneis, sed ex simplicibus uiribus, & natura diuersis, ut natura facit, conficere debet: quæ etiam simplicia medicamenta, ac corporis alimenta, ex diuersis elementorum substantijs & uiribus, ac qualitatibus certa mixtionis tēperatura refractis, producit. Sic Medicus seligat simplex medicamentum, quale cum rationis indicationes postulant, tanquam basim, & aliorum fundamentum. huius uires si defecerint, additis alijs roborabis, & defectas compensabis: si uerò excesserint, aliorum additione franges: additisq́ue his quæ locum affectum respiciant, & eundem ac membra principalia roborent, simulq́ue medicamētum palatui gratum reddant, pharmacum conficies, quo in complicatis affectibus ac indicationibus contrarijs defectum simplicium compensabis. Tali methodo Andromachus, Asclepiades, & alij nonnulli composuerunt emplastra, antidota, & alexipharmaca, quibus exitiales depulerūt morbos. At nostri doctorculi pharmacopœi nulla ratione, nulla deniq́ue indicationum methodo, coacervatis scrupulatim omnium electuariorum, quæ obscurum illud Luminare maius continet, puluisculis, ad ostentationem pharmaca cuiusuis generis componunt: unde remediorum bonitas & præstantia, non ab artificio compositionis & medicatorum uiribus, sed saltem à numero simplicium æstimatur: & quo quis plura, ut arena sine calce cohærentia, in unum pharmacum uel decoctum congesserit, tanto sibipsi doctior esse uidetur. quum protritum illud testetur adagium, eos grauiter delinquere, ego uerò dico desipere, qui pluribus aliquid expediunt, quòd paucioribus transigi posset.

De

DE EMPLASTRIS BARBARIS ENAEMIS.

Epiſtola LXXVII.

ITerum enixè deſideras Chriſtophore, ut quæ ueteribus dicta ſint emplaſtra barbara, enæma nigra, tibi explicem: quamuis Galenus paſsim apertè illorum meminit, & cōpoſitionis ſcopum oſtendit. Vt tamen mea cōpendiaria compoſitionis remediorū methodus unico illuſtretur exemplo, ſcito, ex emplaſtris cōglutinantibus,
Corn. Celſ. li. 5 cap. 18. Gal. in 5 Method. ut Celſus ait, nulla maiorem uſum præſtare, ꝗ quæ cruentis protinus uulneribus, deterſo ſpongia ſanguine, et labris prius ſutura aut fibulis (quas Græci ἀγκτῆρες dicunt) coarctatis inijciuntur, ἔναιμα Græci uocant. hæc enim reprimūt inflammationē, niſi magna uis eam cogit: atq; illius quoq; impetū minuunt: tum glutinant uulnera, quæ id patiuntur: cicatricemq; eiſdē inducūt. ideo paracolletica dicebantur, & rectè quidem. Conſtant aūt ex medicamentis non pinguibus, ideoq; Alipene nominātur: quia pinguia relaxant & humectant. Atqui huiuſmodi uulnerum diatheſis, id eſt præternaturalis diſpoſitio, eſt continui, nulla deperdita parte, ſolutio, ex humorum affluxu humida per accidens, quæ indicat & requirit medicamenta exſiccantia, & quæ ci
Hæc uberius Galen. li. 2. de compoſ. med. gener. & lib. 3. de fract. oſsiū. tra abſterſionem aſtringant: ſed tamen pro ætatis & ſexus ratione, & loci affecti natura, diuerſa: ut quæ ex lithargyrio, oleo & aceto ac myrrha præparantur, imbecillem mollemq; puerorum, mulierum, eunuchorūq; carnem agglutinant, & illorū qui muliebriter degunt. at ualidioribus indigent uirorum corpora, qui ex uirilibus uel agriculturę munijs, & ſolis æſtu, duriorē corporis habitum contraxerunt: qualia ſunt ærugo, pix arida, aloes, reſinæ, & bitumen: non artificiale illud gluten, ſed naturale: qualis eſt ex Iudaico lacu aſphaltus, & quę ex eo concreta ſunt, ut electrū, & gagates lapis: quem

quem emplastro barbaro additum, Galenus ait, τὰ ἔναιμα τραύματα κολλᾶν: id est, recens cruenta uulnera agglutinare. & quod clarius Glauconi his uerbis indicat: Si recens, inquit, cruentũ uulnus medicaris, impones emplastra cõglutinatiua ex asphalto facta. uocant autem ea, ait, nescio quo pacto emplastra barbara. Ego uerò barbara dici ideo arbitror, qa asphaltus, aloes, myrrha, ex Cœlosyria, barbarorũ terra, afferrentur. Dum Amberge, Palatinatus metropoli, Medicinam profitebar, quidam aulicus ex Heluetiorũ thermis glebas nigras, instar pumicis leues ac lapidescẽtes secum attulit, quę in aqua calida instar bituminis lentescebant: quas ab arena elutas, ac instar ceroti distentas, ulceribus uulneribusq; applicabat, quę ea facile consolidabant. hęc nobis argumẽto sunt, thermarum aquas ex sulphureo bitumine, in uiscerib. terræ ab undarũ fluctu calce & halitu accenso, feruere. Nec mirum, quum & lapis Thracius bituminosus, ut gagates, aspergine aquarũ accendatur, oleo uerò extinguatur. unde Nicander in Theriacis ait:

Galen. libro 9. simpl. med. de gagate.

Gal. libro 2. ad Glauconem.

Feruoris thermarum causa uerissima.

De Thracio lapide Diosc. li. 5. ca. 100. Gal. lib. 9. simplic. med.

ἢ ἐσύ γε θρήισσαν ἐνὶ φλέξας πυρὶ λᾶαν,
ἥθ' ὕδατι βρεχθεῖσα σελάσσεται, ἔσβεσε δ' αὐτὴν
τυτθὸν, ὅτ' ὀδμήσηται ἐπιῤῥανθέντος ἐλαίου.

Hos uersus eo libentius adduxi in testimoniũ, quoniam apud Galenum à chalcographo uitiati leguntur. Tali methodo Andromachus emplastrũ barbarũ conglutinatiuũ ex asphalto bitumine cõposuit, q̃d Aphrodas medicus admiratus est. Accepit picis aridæ pondo libras duas: bituminis, id est asphalti, ceræ, singulorum pondo libram: guttæ ammoniaci, mannæ, singulorum pondo uncias sex: cerusæ pondo uncias tres, olei heminæ dimidium, aceti heminas quatuor. At si uelis emplastrum conglutinatoriũ cephalicũ conficere, tum accepta indicatione à loco affecto, qui sui roboris, temperamẽti, ac plasmatis conseruationẽ indicat, & requirit:

Enæma loco affecto accommodare docet Gal in fin. li. 2. de Artic.

tum certè nec gagates, nec asphaltus bitumen competeret: quoniam omnia quæ bitumen redolent, cerebro & capiti sunt infesta. Quare commodius pro bitumine asphalti resinam aliquam odoriferam substitueres. nec acetum, quamuis exiccat, ualde cōpetit: quoniam sua mordacitate pericranium, & alia capitis ac cerebri ossiumq; uelamenta offendit: sed ut in eo & oleo asphaltus & gummi liquescāt. alijs uerò emplastris barbaris, quę ex lithargyro, ęrugine, & calchante, id est atramento sutorio constant, oleum addit, ut eius lenimine aliorum acuitas mitescat: & lithargyrium, si cera desideretur, uel non competat, in oleo ad lentam et nigram usq; uiscedinem decoquatur, qua reliqua coadunentur.

De compositionis medicamētorum methodo declaratio.

Accipis'ne iam, mi Christophore, ad medicamētorum compositionem non sufficere tantum ea simplicia, quæ morbi indicatiōes efflagitant: sed opus quoq; esse hęc admiscere, quæ illorum uires & qualitates defectas roborent, & adaugeant: excedentes uerò obtundant, & corrigant. Quare exacta compositionis medicamentorum methodus requirit, ut non emplastra & unguenta modò, sed etiam alia pharmaca quæuis cōposita, ex contrarijs coadunentur: quibus simul in aliquo liquore maceratis, uel decoctis, aut fermētatis, tertia quædā singularis uirtus ex horū mixtura prodeat, quam nulli simplicium acceptam referre poteris. Quare præcipuè illa magnifica, nuper adeò cōposita medicamenta, non rarò nos suo effectu frustrantur, si non satis macerata, & (ut aiunt) fermentata fuerint. uides quoq; quanta sit compositorū medicamentorū simul necessitas & utilitas: & quantum delirent nostri pharmacopœi, qui ex multis medicamentis homogenijs, ad ostentationem in unum pharmacum cōgestis, sibi secretioris medicamentorum eruditionis famam arrogare student: quod certè rectius chaos confusum, q; medicamentū appellabis, Vale.

QVID

QVID SIT APVD GALENVM LEX *adrastia, & equi Prasiani ac Venitiani.*

Epist. LXXXVIII.

PRudenter, Didascale mi, mediusfidius suasisti: quandoquidem caniculæ æstus studiosis noxius (quem & orygem Aegypti feram, lacrymis ferè supplicem deprecari tradunt) ingrauescit, ut seueriores de re Medica hypotheses in aliud tempus trãsferamus, & modò iucundiora Epistolarũ medicinaliũ lẽmata, quę non egeant philosophicis argutijs, sed ex ueterum historijs aut legibus declarari possint, modò tractent̃: quale illud est. Cum nullus reperiatur equus natura Venetus, id est cæruleus, aut Prasinus, id est uiridis, quos'nam equos ita indigitauerit Galenus in Therapeuticis, dum de bonitate lactis & diæta asinæ ita disserit: Curandum ut quam optimè animal concoquat, cõtemptis uidelicet ijs, q, si asinorũ q̊q; uictus rationi consulemus, ridebũt. Si em̃, qui ueneti uel prasini studio tenent̃ ueterinarij, equorũ stercora, q̃ intelligãt quẽadmodũ alimenta cõcoxerint, odorãt, tãquã ex eo omnẽ eorũ bonam habitudinem cognituri: multo profectò magis nostrũ fuerit, ꝓ hominis salute nihil tale nõ ꝓspicere. Quare ueteres medici etiam sudorem in balneis strigili exceptũ, degustare nõ erubuerũt. Vt hęc sanè intelligas, obseruabis (ut Dion in Nerone, & Christophorus poeta Thebanus, tradiderunt) Romæ quatuor fuisse aurigarum, qui in Circensibus ludis per uarios uiarum anfractus, ad metas olim ensibus designatas, in curru decertabant, factiones, colore uestitus & pannorum, quibus ut phaleris equos uelabant, distinctas. Cassiodorus colores explicat: Ludi, ait, theatrales & Circenses in urbe adhuc fiebant, in quibus factionũ uestitus colores, quadripartitis anni tẽporibus accom-

De oryge hæc Plin. lib. 2. cap. 40. Arist. lib. 3. de parti. animal. cap. 2.

Locus Galeni ex 7. Method. declaratus.

Ludi Circẽses. Quatuor aurigarum factiones colore uestiũ distinctæ.

accõmodabãtur. Prasinus, uiridis prasſiȷ color uireſcẽti ueri: ruber, ſiue roſeus, rubeſcẽti calore æſtati: albus, autũno pruinis albeſcẽti: uenetus autem color, hyemi nebuloſæ. hic aũt color nubilus, & quia marinis fluctibus ſimilis, cæruleus & thalaſsicus appellat̃ q̃q;. unde Vegetius li. 4. de Re militari: Nautas (ait) ueſte ueneta eſſe induendos, & uela nauiũ exploratoriarũ colore ueneto tingenda. & Aelius Lãpridius perhibet, Heliogabalũ piſces comediſſe, quaſi in marina aqua cũ colore ſuo cõditura ueneta coctos. Ab harũ factionũ coloribus, nõ aurigæ modò, ſed equi quoq;, populus, proceres, ac ipſi deniq; Cæſares, prout quiſq; ſtudio ſuo factioni affectus erat, aut in Circẽſibus applaudebat, nomen quoq; ueneti, uel praſini, aut aliorũ obtinuit. Nam harũ factionũ ſtudio Cæſares q dã, Domitianus, Nero, Vitellius, & Antoninus Verus, ac ipſe Caligula, ad amentiã ferè inſanierũt. Vnde Sueton. Caligula, inquit, praſinę factioni ita addictus & deditus erat, ut cœnaret in ſtabulo, maneret aſsiduè in eo, agitatori Cythico, comeſſatiõe quadã in apophoretis uicies ſeſtertiũ cõtulit. incitato uerò aurigę, ob equũ, cuius cauſa pridie Circẽſes, ne inquietaretur, uiciniæ ſilentiũ per milites indicere ſolebat, præter equile marmoreũ, & præſepe eburneũ, prætereq; purpurea tegumẽta ac monile è gemmis, domũ etiã, & familiã, & ſupellectilẽ dedit. Idẽ auctor tradit, Vitelliũ Cæſarem quoſdã interemiſſe ciues, quia palàm Venetę factioni maledixiſſent. Vnde Martialis purpuratos ita admonet:

Si ueneto praſino' ue faues, qui coccina ſumis,
Ne fias iſta transfuga ſorte, uide.

Vnde Antoninus Verus etiã, ut refert Iulius Capitolinus, aſsidente M. Antonino (ſub quib. Galenus Romæ profeſſus eſt Medicinã) magnas paſſus eſt iniurias à Venetianis, quòd praſinę factioni contra eos faueret. nam & equo ſuo praſino, quem Volucrem appellabat, aureum

Color praſinus.

Quis ſit uenetus & cæruleus color.

De pãno & populari aurigarum fauore, Plin. ſecundus lib. 8. Epiſt. 3. ad Caluiſium.

Piſces conditura Veneta, id eſt, in aqua maris cærulea elixati, bloe abgeſotten.

Caligula factionis praſinæ ſtudioſus.

Auriga Cythicus, id eſt, ex Cypro natus, ut Ioſephus li. antiqui. cap. 11. habet.

De incitato circenſiũ auriga, Martialis paſsim in Epigrammat.

Vitellius uenetæ factionis: Sueton.

De Antonino Vero hæc omnia Iul. Capitolin. in eius uita.

Equus Antonini praſinus.

aureum ſimulacrũ fecerat, quod ſecũ portabat: cui quidem paſſas uuas & nucleos hordei, inuicem in pręſepe ponebat. quẽ ſagis fuco tinctis coopertũ, in Tiberianã ad ſe duci iubebat: cui mortuo, ſepulchrũ in Vaticano fecerat. In huius equi gratiam primũ cœperunt aurei equi et brauia poſtulari. In tanto aũt equus ille honore fuit, ut ei à populo praſinianorũ ſæpe modius aureorũ poſtularetur. Hæc Capitolinus. Quo minus mirũ, ueterinarios aut mulomedicos ueneti & praſini equorũ ſtercora olfeciſſe.. odoris enim qualitas aut rei putrefactionem, ſi male olet: aut ſi bene, concoctionẽ quoque ſignificare poteſt. Alterũ uerò tuæ quæſtionis de Adraſtiæ lege lemma, quia ab ea nemo ſe ſubducere poteſt (ei namq; diuina & fatali conſtitutione omnes ſumus obnoxij) præter noſtrũ inſtitutũ, tuũq; fidele conſilium, his diebus canicularibus (qui meritò ferijs Palladis dedicarent) arcana Platonis ſapiẽtiæ ſacraria adire & introſpicere cogor, ut quæ ſit apud Platonẽ Adraſtiæ lex & regula, exactius cognoſcamus. Adraſtus enim ille, non erat Argiuorũ rex, Polynicis Thebani ſocer, qui in Cadmæo prælio ſolus ſuperſtes manſit: ſed ille ex Myſia, qui Adraſteam urbem in Helleſponto, prope Aeſepum amnem, non longè ab Abydo condidit, quã Lampſacũ fuiſſe alij contendunt. Hic ex demoliti Parij oppidi ſaxis fert̃ templũ Nemeſi deæ, ſcelerũ ultrici, bonorũq; retributrici, ędificaſſe: quã deam Nemeſim Antimachus, ob id Adraſtiã uocat his uerſibus,

De Adraſti oppido & tẽplo hæc Plin. lib. 5. cap. 32. Strabo lib. 13. Suidas in dictione ἀδραςίας.

ἔςι δὲ τις νέμεσις μεγάλη θεὸς, ἣ τάδε πάντα
πρὸς μακάρων ἔλαχεν. Βωμὸν δὲ οἱ εἵσατο πρῶτος
ἄδρηστος. ποταμοῖο παρὰ ῥόον αἰσήποιο.
ἔνθα τετίμηταί τε, καὶ ἀδρήςεια καλεῖται. Eſt enim Adraſtia apud Orpheũ, & alios ueteres ethnicorũ philoſophos & theologos, potẽtiſsima ineuitabiliũ ac diuinarum legũ (tam Saturniarũ, pertinentiũ ad mentes, q̃ Iouialium, concernentiũ rerũ natũras) regina: quas fatali

Adraſtia eſt diuinæ mentis prædeſtinatio, & fatalis cauſarum ordo.

causarũ ordinis successione instar catenæ annulos agglutinatas, diuinæ mentis prouidentia condidit: cuius manus oculosq́ effugere potest nihil, ut Orpheus cecinit. & Aristot. in fine libri de Mundo: Deũ, inquit, uocant Adrastiam, ἀναπόδραστον αἰτίαν οὖσαν κατὰ φύσιν. Proinde Plato perpetuas de Repub. cõditurus leges, quas neq; obliuio deleat, neq; defraudet astutia, neq; uiolentia frangat, Adrastiam supplex adorat, & implorat, fatalemq́; per gradus dignitatis descẽsus animarũ in corpora, ac Pythagoricæ palingeneseos seriẽ. Idẽ in Phædro, Adrastiæ regulam his uerbis appellat: Dum regula, inqt, Adrastiæ deæ, id est, ineuitabilis numinis, hæc est, ut quæcunq; anima Deũ comitata, aliquid uerorũ inspexerit, ea usq; ad aliũ circuitũ regeneratiõis sit indemnis: & si semper hoc facere queat, sit semper illæsa: & reliqua, quæ apud Platonẽ in Phęd. Socrates refert, & Plotinus in lib. de uniuscuiusq; dæmone uberius repetit. Est & alia apud philosophos necessaria ex hypothesi ueritatis cõsecutio & demõstratio, fatali Adrastiæ legum & causarũ successui similis, de qua Philoponus in 1. Poster. Analyt. libro tale dat exemplũ: Si quis, ait, cõcesserit, in rebus humanis subsistere prouidentiã, tamen animam esse immortalẽ probabo. si postremum id quoq; mihi dederis, tũ ex necessaria huius hypotheseos cõsecutione animam esse à corpore separabilẽ demonstrabo. Has ex hypothesi necessarias cõsecutiones Plutarchus de fato, Adrastiæ legi & fato assimilat: μετὰ δὴ ταῦτα, οἷον μὲν ἐστιν ἐξ ὑποθέσεως; ὅτι δὲ τούτων καὶ ἡ εἱμαρμένη, οἴεσθω. ἐξ ὑποθέσεως δὴ ἔφαμεν, τὸ μὴ καθ' ἑαυτὸ τιθέμενον, ἀλλὰ πρὸς ἑτέρῳ τινὶ ὡς ἀληθῶς ὑποτεθὲν, ὁπόσα ἀκολουθίαν σημαίνει, θεσμὸς δ' ἀδραστείας ὅδε. id est: Verũ, inquit, quale est tandẽ quod ex hypotheseos diximus? nam huiusmodi esse fatũ existimetur oportet. ex suppositiõe quidem id dicimus, quod non ex sua natura ita constitutũ est, ut fatum: sed ex alio quodam, ut uerè suppositũ, &

Hæc Orpheus copiose in hymno νεμέσεως, id est Adrastię.

Plato in dial. de Repub. 5.

Fatalis animarum secũdum Adrastiæ legẽ, id est, prouidentiá, in corpora descẽsus & ordo. Plato in Phædro.

De Adrastię lege mecum sentit Budæus in commentarijs græcæ linguæ.

quæcunq;

quæcunque consequentiam indicant: quæ etiam lex Adrastiæ dicitur, propter consecutionis necessitatem: & συνειμαρμένα, quasi affata, uel fatum comitantia, dicuntur. Ex his elicere potes, apud ueteres Theologos & philosophos duplex fuisse Adrastiæ legis fatum, aut constitutionem: Primum diuinum & naturale, quod diuinæ mentis prouidentia, ex indissolubili causarum cœlestium cohærentia, ut naturæ legem inexpugnabilem, constituit: cuius uiribus & uirtutis informatiuæ subsidio, naturæ opifex fabricam organorum humani corporis effinxit, in qua ineffabilis opificis sapientia elucescit. Huius organorum compositionis quinque causarum genera, & præcipuè finalem, quæ opificis prouidentiæ accepta sunt referenda, quoniam Asclepiadi ignota, Galenus declarare studuit. Aliud uerò conditionale, necessaria ex hypothesi scilicet ueritatis aut quæsiti consequutio, quam nullo orationis fuco euertere poteris, quin recta ratione iudice subsistat. Galenus igitur ex hypothesi in alijs locis probata, contra Asclepiadem disputaturus, eum Adrastiæ legis ignarum & immemorem esse asserit: Constitui sanè (inquit) eorum in quibus Asclepiades lapsus est, de uasis pulmonis mentionem facere, ostendereque, neminem Adrastiæ legem posse effugere, etiam si quis astutus admodum, & dicendi peritus fuerit, quin confiteatur tandem & ipse suam uafriciem, ferát que ueritati testimonium. Erasmus in Adagijs, expositurus hunc Galeni locum: Minatur (inquit) Galenus medicis, qui falsa pro ueris docent, ultricis scilicet Nemesis pœnas. At rectius dixisset, Galenum ex necessaria hypothesiũ ueritatis consecutione ostensurum, neminem in naturę operibus, præcipuè in corporis humani fabrica, diuinæ legis Adrastiæ uel prouidẽtiæ constitutionẽ falsò interpretari posse, quin illius error facilè deprehendatur. At sacra Adrastiæ regula

Obscurissimi loci Galeni de lege Adrastiæ declaratio, in sexto de Vsu particul.

Erasmi in declaratione Galeni error.

regula mihi in mentem quoq; Polycleti statuarij regulã & normam reuocat. Et quia frequens fit paſsim eius in operibus Galeni mentio, eius historiam paulo altius repetitã, his duobus lemmatibus pro corollario addam. Plato ac Hippocrates ſanitatem corporis in elementorum iuſta proportione & temperie, pulchritudinem uerò in recta membrorum proportione, plaſmate, & συμμετρίᾳ conſiſtere affirmant. quam Polycletus integro libro, quẽ Canona appellauit, deſcripſit: & ut ſuã doctrinam opere approbaret, duo fertur ſculpſiſſe ſimulacra: alterum ad plebis arbitrium, & temerarium uulgi iudicium effinxit, & uariauit pro uniuſcuiuſq; ſpectatoris arbitrio: alterum uerò ſecundum artis normam & peritiæ rationem ſculpſit, quod ut librum, Canona, id eſt regulam nominat: ut aliorum artificum ſtatuæ, ad perfectam illius ſculpturam & effigiem, ueluti ad Critolai libram, expenderetur. Quũq; utrunq; in proſpectum populi, in officinæ exedram collocaſſet: alterum ſecundum artis canonem affabrè ſculptum, omnibus admirationi fuit: alterum uerò iudicio uulgi accommodatũ, omnibus ludibrium fuit. Sic Galenus exactam corporis optimè ſani temperaturam, & in mẽbris ſymmetriã, Polycleti regulam paſsim appellat, ad quam ueluti canonem & regulam, aliarum defectus uel exceſſus expendi poſſet: ut Aelianus de Varia hiſtoria copioſe refert. An igitur, Didaſcale, de uenetis & praſinis equis, ac de Adraſtiæ regula, & Polycleti norma rectè ſenſerim, cum tu uelut alter Ariſtarchus, grauis ſis ueterum ſcriptorum interpres & cenſor, penes te & quemuis ſincerè doctum, ſit iudicium. Si quis autem ueriora adducere poteſt, non modò libenter cedam: ſed ô Didaſcale, ferulæ tuæ manum, ut olim, ſubdere non uerebor: Vale.

Regulæ Polycleti meminit Gal. lib. 17. de util. part. de optima corporis conſtitutione & lib. 2. de ſalub. & lib. 2. Microtech. Hiſtoriam Polycleti ſtatuarij deſcribit Aelianus de Varia hiſtoria lib. 14. Pli. lib. 34. cap. 8. Gal. lib. 5. de doctri. Platonis & Hippocrat.

De

DE NATVRALI VITAE PERIODO, *& an prolongari poßit.* Epist. LXXIX.

Quandoquidem M. Varro, ille togatorum literatissimus, hominem ob uitæ breuitatem scitè bullæ cõfert, quæ in undis labrocera uel imbre largo subitò decidente, incluso flatu turget, & derepentè rursum disflatur & detumescit: & cum singulæ horæ, imo tẽporis momẽta, aliqd de nobis depẽdentur, adeò ut dum loquimur, immutemur: ut nõ ineptus uitæ nostræ typus uideatur esse, candidus ligustri flosculus, qui manè ad solis ortum expansus floret, ad uesperam uerò marcescat: proinde admiraris longæua ueterum, qui septingentos & plures excesserint annos, uitæ tempora: & quæris, quænam sit naturalis hominis uitæ periodus. Primùm itaque nosti, præter sacras literas, Iosephum ac Eusebium testari, Noe post diluuiũ trecentos & quinquaginta adhuc uixisse annos, ob religionis pietatem, sobriam uictus rationem: & ut genus humanum, quod cataclysmo pessum iuerat, repararet, simulq; exactius astronomiam & geometriam scrutaretur: quæ explorare non potuisset, nisi sexcentos & plures uixisset annos. tot enim annis magni illius anni circuitus constat. ob hæc Deus Israel, omnium bonorum & uitæ largitor, illi uitam in noningentesimum & quinquagesimum annum prorogauit. Sed quales fuerint anni, inter chronographos non satis constat: qui dispares fuisse antiquorum annos tradunt. Siquidem Arcadum annus tribus mensibus, Acarnanum sex, at Romanorum decem mensibus, quorum Martius primus erat, constabat. Aegyptij uerò, ut Plinius ait, annum lunæ senio terminabant: itaq; apud eos aliqui singula annorũ milia uixisse traduntur. Nec apud Aegyptios modò,

Homo bulla, flos ligustri.

Breuitas hominis uitæ.

Longæua Noe ætas, Ioseph. li. 1. Ant. cap. 5. & 8. Euse. li. 9. ca. 4. Lact. li. 2. ca. 13. & 14. Aug. lib. 5. de Ciuit. Dei cap. 9.

Dispares antiquorũ annos Xenoph. in Aequiuocis. Soli. ca. 2. Cẽsorin. de die Nat. ca. 14. Pli. li. 7. cap 48. Macro. li. 1. Saturn. cap. 8.

Aegyptios fuisse longæuos ob cœli serenitatẽ, Plato in Epimenide. & Euseb. lib. 10. ca. 2. testantur.

uerùmetiam apud Grȩcos Neſtorem trecentos uixiſſe annos, auctores non proletarij aſſerunt. Anacreon poeta Argantonio Tarteſiorum regi cētum quinquaginta attribuit annos, Cynirȩ Cypriorũ regi centũ ſexaginta uitæ annos Theopōpus annumerat.

Quid ſit annus ſolaris, aut lunaris.

Aegyptiorũ uerò annos nō fuiſſe ſolares, qui proprio ſolis per duodecim ſigniferi orbis animalia motu dimetiũtur: ſed lunares, qui motu lunæ per duodecim zodiaci circuli ſigna menſurantur, uel ex hoc conijcere potes, ꝙ Martianus Capella perhibet, Aegyptios aſtrologiã, ne temerariũ uulgi iudicium eam profanaret, quadraginta millia annorum occultaſſe.

De anni ſecundũ Palȩſtinos, Macedones & Romanos diuiſiõe, Gal. lib. 1. Epid. Hip. Cõ. 1.

Cum uerò mundus nondũ tot annos ſolares ſubſtiterit, quis alios Aegyptiorũ annos ꝗ̃ lunares fuiſſe ſuſpicari poterit?

Martianus Capella hȩc lib. 8. Philolog.

At idem tradit Ioſephus, cũ homines & gigantes longȩuo uitæ tempori confidentes, in nefanda ſcelera & impietatis flagitia proruerent:

Quare Deus uitam hominũ abbreuiarit.

tum Deum illorum facinorum pertæſum, id genus hominum peſſundediſſe, ac tantum centũ & uiginti annos humanæ uitæ naturalē periodũ cōſtituiſſe.

Periodus uitæ ſecũdũ mathematicos, & Pliniũ li. 7. ca. 49.

Vnde Trebellius Pollio ad Conſtantinũ Imperatorē: Doctiſſimi, inquit, mathematicorũ centũ uiginti annos homini ad uiuendũ datos iudicant, nec amplius cuiq̃ cōceſſũ aiũt:

Moſis ætas.

addũtq́, Moſē ipſũ Dei familiarē uigintiquinq; ac centũ annos uixiſſe: qui cũ interitũ hũc ueluti immaturũ cōquereretur, ferũt illi ab incerto numine reſponſum, neminē deinceps plures annos uicturũ.

Ex cordis pondere ætatis & uitæ periodi menſura, Plin. li. 11. ca. 36. Cēſorinus de die Natali, cap. 14.

At q̃ ſcrutinio ex cordis incremento & decremento, ut Varro & Dioſcorides aſtrologus tradũt, Aegyptij & Alexãdrini naturalē uitæ periodũ eſſe cētũ annorũ explorarint, dicere nō cũctabor. Hi.n. ſanè corpora defunctorũ, qui ſine tabe perierant, cedrino liq̃re delibuta, à putredine incorrupta cuſtodiebãt: in q̃b. obſeruarũt, cor hominis ſingulis annis uſq; ad 50 annum binas drachmas creſcere: deinde uerò totidem annis, ſed ſingulis, binas quoque drachmas decreſcere, & ideo hominem defectu

cor-

cordis centesimum annum solarem, id est lunares mille & ducentos excedere non posse, Aegyptij affirmabāt. At Aristoteles & Galenus, totaq; Peripateticorū schola rationib. efficaciorib. demonstrarunt, id quod nemo philosophorum negauit unquam, uitam in calore naturali, & humido radicali congenito ex primis spermatib. & ob id irreparabili, consistere: horumq; tēperatura uitæ periodum metiri. quibus nanque humidum primogenium inest pingue, imputribile, uiscidum, calori naturali proportionatum, ne eius copia suffocetur, hæc esse longæua quis non uidet? Nam experimur, quęcunque illud exsiccant, & quouis modo insumunt, ut uigiliam, tristiciam, & coitum, uitam quoque abbreuiare. Vnde mulos equabus & asinis esse uiuaciores, Aristoteles tradit: & animalia quoque, quæ semel in anno stato tempore, ut cerui, coeunt: aut uirgines Vestales & monachos, qui uoto castitatis, Cupidinis arcum eneruarunt, cæteris obesiora longæuioraq; uidemus. Ea uerò quæ intempestiua salacitate in Venerem prona quouis tempore proruunt, ut Satyros, passeres, & puellas, quibus nec lasciuior uernus est passerculus, ad immaturæ mortis scopum accelerare comperimus. adeò uoraciter intempestiua & coacta Venus humidum radicale, caloris congeniti & uitæ pabulum depascit. Sed & calorem humido proportionatum esse, ad uitæ conseruationem, citra omnem acrimoniam, oportet. Nam si febre, ira, aut putredine efferbuerit, humidum radicale & suum subiectum genuinum insumet, uitamq; abbreuiabit: quæ humido isto, ut ellychnium lampadis oleo, fouetur, & conseruatur. Ex his liquet, naturalē uitę periodū, longitudinē & breuitatem, à caloris naturalis ac humidi cōgeniti tēperatura ac proportione, & à tēperata elemētorū mixtura dependere: ad q̄ cōseruāda, recta salubris uictus ratio plurimū cōfert. Quod Auic. in primo Canone ita testatur:

De uitæ periodo Peripat. & medicorū sententię. Arist. lib. 2 de Ge. & cor. ca. 9. & de Lō. & breuit. uitæ ca. 3.

Coitus abbreuiat uitam.

De coitu & passeribus, hęc Arist. lib. 9. de Nat. anim. ca. 7. Sen. li. 1. quęstion. Nat. Pli. li. 10. cap. 36. & Auer. in Cant. Auicennæ.

Quæ uitā abbreuiant.

Periodum prolongari nō posse, Plato in Timæo docet.

De fonte in Bonica Noui orbis insula, cuius aqua senes iuuētuti restituit, Pet. Martyr, & Cardanus lib. 2.

Hæc est mors naturalis, inquit, cuique indiuiduo destinata, secundum suā primam cōplexionem, usque ad terminum quem in sua potentia habet, ad suam humiditatem conseruandam. unumquodque enim eorum, terminum præfixum habet: qui in indiuiduis diuersificatur, propter complexionum diuersitatem. & hi quidē sunt termini naturales. Sunt uerò & alij termini abbreuiati: totum tamen diuino prouenit præcepto. Sic Deus Ezechiæ regi, graui morbo decumbenti, & cui Esaias propheta mortem indixerat, petenti tamen, quia Dei mandata obseruauerat, uitam quindecim annos prorogauit. An non & parentum ueneratoribus, qui illis ciconiarum exemplo gratam antipelargisim rependunt, Deus uitam prolongare promittit? quare uitæ naturalis scopus non est adeò fatalis & inuincibilis, ut per diuinam potentiam non posit prolongari, aut per prauam uictus rationem abbreuiari, ui gladij uel canabis decurtari: cuius scopū, ob crapulam centesimus aut millesimus quisque uix assequitur. Cęterùm quum omnibus rebus creatis, pro naturalium uirium facultate, finita sit potentia, & determinata roboris mensura; ultra quam nullum creatum suas expandere alas aut brachia potest: ac nullius calor naturalis sit adeò mulcebris, quin quotidie humidū congeniti momentum depascat, idque irrecuperabile: reliquum erit, ut nullus medicorum suis medicamentis naturalem uitæ periodum ultra suæ latitudinis limites prorogare posit. nisi quis mox à statu ætatis humidum irreparabile reficeret, & primogeniam indiuidui temperaturam, ueteri abolita, à nouo instauraret: quod nulla ars, quantūuis naturæ sit æmula, præstare potest. Verùm iuuare, ut calor & humidum illud, uitæ elementa, usque ad naturalē uitæ periodū perdurēt, licebit: quod ea pars medicinę quę q senū ualetudini ꝓuidet, γηροκομικὸν dicta, ꝓstare poterit, Proinde Gal. noster in libris de Salu. & marasmo,

Periodus uitæ diuinitùs prolōgari potest.

De Ezechia, hæc 4. Reg. ca. 2. itē 2. Para. 32. Esaiæ 38.

Naturalis uitæ periodus potest abbreuiari.

Naturalem uitæ periodū naturaliter posse prolōgari, Plato in Timæo negat.

Gerocomicon qualis medicinæ pars.

philo

philosopum sophistam, aut uerius magũ Aegyptiũ, qui de immortalitate comparanda cõmentarium ediderat, his uerbis scitè irridet: Si, inquit, naturæ, ubi ad summũ uigorem animal plantam'ue prouexerit, totidẽ rursus æquis uiribus elementa à nouo inserere posibile foret: sic eius opificium, perito tamẽ adhibito moderatore uel præfecto, senium & marasmum effugere posset: neq́;, si id potis esset, & praua uictus ratio accesserit, incorruptũ & insenescibile fiet, si naturæ uires id præstare possent: tum, inquit, Aegyptius ille artem suam posibilẽ ostendisset. At quando inseri & transmutari prima animaliũ & plantarũ fœturæ elemẽta nequeãt, necessum est, post ætatis uigorem corpus siccari & marcescere, quando caloris quidem actiones nullas habent ferias. Ex dictis elicere poteris, ut unicuiq; indiuiduo est specialis cõgenitaq́; caloris & humiditatis proportio & mẽsura, ita peculiarem esse singulis uitæ periodum: nec illius limites citra omnem latitudinẽ esse coarctatos arbitreris, quippe qui ultra sanitatis latitudinem expandantur. Quare nil mirum, quosdam sobrios & abstemios centesimum excesisse annum. Siquidem & auia mea, ætatis ratione silicernium, post centesimum decimum annum humanis excesit: & Sipontinus, ille grãmaticorum alterum copiæ cornu & pontifex, tradit, Galenum, quem febribus crebrò tamen afflictum nouimus, centum & quadraginta uixisse annos: tanta in cibo potuq́; abstinentia usum, ut nunquam ad satietatem comederit aut biberit: nec suadente etiam patrè suo, geometra & architecto, crudum quippiam unquam degustarit, odorificum semper anhelitum spirans, ac sine aliquo morbo, solo tamen senectutis marasmo, defecit. At illud longè memorabilius & solitarium reperitur exemplum, quòd Plinius scribit, Xenophilum musicum centum & quinque annos, sine ullo corporis incomodo uixisse. Nam uita ualere quidem uiuere est. & si cui ullum cor-

Verba sunt Galeni ex libel. de maras. ubi, & in lib. 1. ac 6. de Salub. illius philosophi meminit.

Periodus uitę ut sanitas, latitudinẽ habet. Gentilis 1. fen. 3. doctr. 3. quęstio. 26. & Petrus de Appano in differ.

De longæua Galeni uita, Perottus in dictione Nestoris. & Suid. in dict. Galeni. Galẽ. in libel. de tremor. & rigo. se quater laborasse tertiana, & semel causone, fatet.

 datum

De ægrotantium uita, hæc Gal. in ueſtibulo li. 5. de Salu. DeXenophilo hæc Pli. lib. 7. cap. 50.

datum pectus eſt, præſtaret ſexcenties mori, quàm uita morbis incurabilibus obnoxia, quibus diu noctuq; ut ab intercutaneo carnifice diſtorqueretur, diu uiuere. Quare non, ut pleriq; in epiſtolarum coronide aſſolēt, Neſtoris, cerui aut cornicis longæuos annos, ſed bene te ualere, inculpataq; ſanitate frui (id quod bene & uerè uiuere eſt) precor, & opto: ſimulq; te fideliter admoneo, ne agyrtis illis medicis confidas, qui ſuo auro potabili & elixire indefectam iuuentutem, & (ut ille Aegyptiorum philoſophus) immortalitatem promittunt. iterum bene uale.

DE CLYSTERIVM VSV.

Epiſt. LXXX.

De errore legiſlatoris, hæc Plato lib. 5. de Republica.

REcte quidem, me iudice, mi Pandolphe, Socrates apud Platonem Glauconis ſententiam approbat, qui cenſuit legum conditorem, qui in conſtitutione legum de honeſtis bonis iuſtisq; aberraret, plus delinquere, quàm eum qui non ſpontè hominem perimeret. Quare Socrates de his legem laturus, ſupplex Adraſtiam diuinæ mentis legem & ſapientiam, ne in legum conſtitutione aberret, implorat. At longè deterius peccant, qui falſa ſciendi perſuaſione (qua nihil eſt ambitioſius) ſeducti, abrogata ueteri ac recta morbos curandi lege & methodo, ac ſpretis uel ſublatis antiquorū remedijs, ratione & diururno uſu ſpectatis, nouā curandi morbos methodū & legem, noua deniq;, ſed inexperta remedia, temerario auſu præſcribunt: parumq; penſi habent, in quàm multorum hominum capita inexpiabilis eorum error redundet. Non mehercule improbè ageretur, ſi in illorum caput ſolū faba cuderetur, ut malum conſilium foret conſultori peſſimum: & non tam multis innocentibus, qui uitam ſuā logiatris illis concredunt, exitio eſſet. quippe cum ſit periculum

Falſa ſciendi perſuaſio eſt duplex ignorantia, qua nihil arrogātius. Plato lib. 9. de Legib.

Exitialis medicorum in præſcribenda curationis methodo error.

Medicorū imperitia, quàm periculoſa. Pli. li. 29. cap. 1.

riculum in nullo mendacio maius. At quanto prudentius ueteres egerunt Greci, qui omnia remedia, quibus quisque sanitatem recuperasset, ut inuiolata manerent, & ex similitudine remedia accrescerent, in templum Aesculapij, aut alterius dei, qui opem attulisset, conscribebant: quæ diligenter exscripta, tandem cremato Aesculapij templo, post bellum Peloponnesiacũ Hippocrates natus in Coo insula Aesculapio consecrata, publicasse fertur, ac medicinam clinicem instituisse.

Remedia in tẽplis deorũ cõseruata, Hippocrates publicauit. Pli. li. 29. cap. 1. Galẽ. de Cõpos. medi. Gen. li. 5. Stra. lib 7.

Ob eandem causam Aegyptij quoque, omnium bonarum artium Mathematices ac præcipuè medicinæ auctores, Græcis longè uetustiores, emplastra & alia uetusta morborum remedia, in Hephestio Vulcani sacrario recondita seruabant: qui natura duce ab animalibus Nili incolis, plurima medicamentorum genera & organa didicerunt. Ab hippopotamo nempe uenæ sectionem: qui assidua satietate obœsus in littus exit, ac uenam cruris spinæ affigens sauciat: & cum corpus sanguinis profluuio exonerauit, plagã limo obducit. Nec minori industria ibis Aegypto peculiaris uolucris, ciconiæ simillima, clysteri ab excremẽtis exonerare aluum eos docuit: quę aquam marinam pleno & aduñco rostro absorptam, collo procero ad anum retorto, in eam eructat: perq́ eam partem uiscera perluit, qua reddi ciborũ detrimenta maximè salubre est. Clysterium nempe usus apud Aegyptios erat adeò (teste Herodoto) frequens, ut singulis mensibus triduo purgarent se uomẽdo, atq́ intestina diluendo gratia sanitatis cõseruandę: existimantes, omnes languores hominibus creari ex cibis. quod Diodorus Siculus copiosius his uerbis tradit: Morbos, inqt, Aegyptij uel ieiunio curãt, uel uomitu: idq́ aut tribus dieb. aut quatuor interiectis. asserunt. n. ex ciborum superfluitate omnes creari morbos, eã ergo ad ualetudinẽ recuperandã curã esse optimã, q̃ morborũ principia auferat. In militiã aut peregrinationẽ profecti,

Aegyptiorum in re medica industria, Strab. li. 16. & li. 3. geograph. De hippopotamo, & ibide, hęc Pli. li. 8. ca. 26. & 27. Cic. libro 2. de nat. deor. Plutarc. in dial. de ratiõe brutorũ. & Herodot. li. 2. Diod. lib. 2.

Purgamina Aegyptiorum, Herodotus in Euterpe.

Sacrosanctam Aegyptiorum medendi legẽ, describit Diodor. Sic. lib. 2.

Ab Aegyptijs uidetur Auicẽna suum de uomitu mẽstruo consilium didicisse.

Publici Aegyptiorū medici.

fecti, nulla impensa mercede curantur. Medici enim ex publico uictum sumunt, ægros secundum legem curāt, ab antiquis medicis comprobatisq́ scriptoribus traditam. Si quis normam sacri libri sequutus, infirmum sanare nequiuerit, omni caret crimine. Si præter ea quæ libris continentur, curauerit illum, morte punitur. Quid si Pandolphe hæc salutaris Aegyptiorum lex, ut æquū esset, in Germania rogaretur? quis, obsecro te, nobis tot sufficeret prætores & lictores, qui agyrtas & ardeliones, medicos impostores, meritas pendere pœnas cogerent? qui quum de sacro medicinæ ac philosophiæ fonte uix tantum, quantum canis crocodilos expauescens, summis labris de Nilo, degustarint, tamen perfricta fronte contra omnem ueterum approbatorum medicorum curandi morbos methodum, & canones siue leges, miseros curare, ne dicam occidere audent. Hic certè nulla lex est, quæ puniat inscitiam capitalem. His enim medicis, sycophantis, ac Iudęis solum ignaris, hominem occidere summa impunitas est. Esto quòd Plato medicos curantes, qui non spontè occiderint, mūdos statuerit. At quæso hi perditi nebulones, quum sibi ipsis malè conscij, nec morbi substātiā, causas, aut remediorum naturam nouerint, eosq́ curare ob turpe lucrū professi temerè occiderint, qua lege hi mundi, aut criminis homicidij expertes esse poterunt? Certè præstaret incidere in coruos, aut prædones, quàm his subditorū cōmittere curam pseudomedicis: qui remedia nō morbis, sed uoluntati ægrorum accommodant, adulatores perniciosissimi. Rectè enim ait Galenus lib. 12. Therap. Qui cubātis delicijs subscribit, eiusq́ uoluptatem pro meta gerendorum habet, adulatoris officiū facit. Quod si medicus peritus ad lenienda alui ex obstructione aut intestinorum ulceratiōe tormina, aut calculi cruciatus, aluum clysteri eluendam suaserit, & æger id genus subsidij ob pudorem detrectauerit: tum audires, quibus blā-

Medicus qui non sponte occidit, criminis expers.

Plato lib. 9. de Legibus.

Præstat incidere in prædones, quàm medicos indoctos.

ditijs medicus ille sycophanta ægro subscribat, ut se illi insinuet, & saluberrimũ enematũ usum, uelut paralyseos, q̃ horũ torminũ est pedissequa, causã infamet. Quorũ usus nõ apud Aegyptios modò, sed Græcos & Arabes, certè in grauissimis morbis, fuit frequẽtissimus: & unicũ nõ rarò subsidiũ, ad quod tanq̃ ad sacrã anchorã cõfugerent, nõ tantũ ad aluũ & simas epatis partes ac renes obstructos expurgãda, sed etiã ad aures ex suppuratione uermibus scatentes, otenchytis, & ad uteros metrenchitis eluendos, ac ad uires corporis nutriẽdas, magnopere prodesse ueteres medici agnouerunt. Si enim neruus aut uilli ipsius gulæ ex defluxu catharri, aut frigidæ potu, aut epidemiali putrefactione, aut narcoticis deglutitis, ita relaxati fuerint, ut æger cibũ, iuscula, uel potũ deglutire non potuerit, dic mihi quæso, qua ratione illi alimentum sufficies? At si ignoras, Auenzoar, ex Arabia medicus, nulli Arabum secundus, his uerbis te docet: Rectus, inquit, & certus atq; uerax est ex præfatis causis gulæ paralysi affectos nutriendi modus, ut prius intestina cum clysteribus abstersiuis expurges, & uesicam capræ lacte, aut decocta ex tritico sorbitione refertam, per cannulam argenteam eius collo alligatam, anuiq; insertam, manu coarctatam, totam exprimas: quod mutua successione per intestina uis uentriculi & intestinorum alimẽti auida attractrix, ad stomachi fundũ usq; alliciet. quippe si odor panis in furno tosti Democritum, donec thesmophorica Cereris festa peracta essent, superstitem conseruauit: & Demetrius Cydonius solius panis recẽtis à furno olfactu, multorum dierum famem tolerauit: quis per clysterem iniecti lactis, uel ex tritico aut ptisano cremoris, si non substantiam, uel saltem uaporem, nutrire negabit? Atqui longè à ueritatis scopo aberrant, qui alimenti cremorem per clysterem iniectum, ad stomachi fundum deferri, deriuari, aut attrahi posse negant: cum in

Auriũ & matricis clysteres, Gal. li. 5. Meth. & li. 1. de locis affectis.

An alimentum copori per clysteria suppeditari posit, Auenzoar lib. 1. tract. 10. ca. 18.

De laryngis in peste putrefactione, Gal. li. 5. Method.

Odore panis Democritus & Demetrius uixerunt: auctor Diog. Laert. & Arsenius Græcus in Apoph.

epatis phlegmone, obstructione, aut scirrho, clysterib. epatis etiã sima & caua expurgentur. Vnde Galenus Archigenis cephalica medicamenta declaraturus, summopere laudat euacuationem, quæ per clysterẽ fit, non eo nomine tantum, ꝙ excrementa, intestinis contenta efferat: sed etiam reuulsionis gratia, ꝙ ea quæ ad caput efferrentur, subtus alui deiectione diuertat. Quòd si tale enema paulo uigorosius fuerit (πολὺ γὰρ ἐν τοιούτῳ κλυστῆρι, τὸ τῆς ἀντισπάσεως ἐστι, πρὸς τὸ μὴ μόνα τὰ κατὰ τὴν γαστέρα, καὶ τὸ μεσάραιον ἐκκενοῦν, ἀλλὰ καὶ τὰ σιμὰ τοῦ ἥπατος. id est, In tali clysteri plurimum reuulsionis est, ad hoc; quòd non solum uentriculum & mesereon euacuat, sed etiam sima epatis expurgat, si uires pharmaci iniecti, quas natura abhorret, epar subeunt) quis dubitabit, alimentorum facultates per aluum receptas, non ęquè, uel potius epar & stomachum subire? quum natura, & famelica præcordiorum uiscera, eas maximè affectet. Vnumquodque alimentum etiam disiunctum attrahere, agricolarum industria probat: qui ex agro plaustra frumento plena uecturi, ne quicquã furtim subduxisse deprehendantur, uasa fictilia aquis plena propè, uel in ipsum frumenti aceruum statuunt, ex quibus attracto uel hausto humore, grana de aceruo subducti frumenti tumorem & pondus recompensant: qua solertia agricolæ furtum suum celant. Quum igitur inanimata à radicibus suis auulsa, & de folliculis excussa, tam singulari uirtute attractiua prędita sint: quis nisi demens uiscera animatorum ea carere credet? ut non de lactis aut ptissanæ cremore per clysterem iniecto, de his suam attrahere, uel quasi alimoniam sugere possit? Vnde Cornelius Celsus in cardiaca passione, si uentriculus nullis medicamentorum subsidijs cibum retinere poterit: Vltimum, inquit, auxilium est, in aluum ptissanæ uel alicæ cremorem ex inferioribus partibus indere: siquidẽ id quoq; uires tuetur. Neq; alienum est, naribus

quoq;

Clysteria uentriculũ meseræon, & epar alere, & purgare.

Gal. hæc lib. 2. de Cõp. med. approp. & li. 13. Methodi.

De agricolarũ celandi frumẽtorũ furtũ industria, & uirtute uẽtriculi attractiua, hęc Gal. li. 1. de uirtutib. nat. cap. 14.

Cor. Celsus li. 3. ca. 19.

quoq; æstuantis admouere quod reficiat: id est, rosam & uinum. Etsi Hippocrates in pleuritide, post phlebotomiam tertio die locum affectum clysteri expurgare iubeat, sumpta tamen à loco affecto indicatione, pręcipuè uerò in omnib. morbis & dolorib. qui infimi uentris uiscera, uentriculũ, epar, splenẽ, renes, uesicam, matricem & intestina affligunt, enemata cõpetere uidẽtur. Vnde Galenus ait; cum partes superius positæ laborãt, per ea q̃ eduntur ac bibũtur: cũ inferiores, per id quod clysteri infusum est, curãtur: quãdoq; dẽ eorũ q̃ bibũtur ac edũtur, uis, anteq̃ ad inferna defertur uiscera, fathiscit: quæ uerò infusa sunt, eorũ substantia omnino ad ieiunũ usq; ascẽdere nõ potest: imò si admodum nitaris, fortasse tenue tantum intestinum continget. Attamen cum uentriculus præter naturam affectus est, coarctatis dolore inferne intestinis, uel lumbricorum glomere obstructis, etiam ab infernis partibus aliquid assumere cogitur. Quippe, ut Galenus refert, nonnullis clysteres adeò ascenderunt, ut uomitione redderentur: quemadmodum & stercus per letales uoluulos, quos ab intestinorum inuolucro, Græci εἰλεὸς dicunt, & cholera ad intestinũ rectũ expulsa, cũ uel in cõuiuio uel in foro uẽtrẽ exonerare dedecori sit, intestini musculo coarctato crebrò ad superna regurgitat, uẽtriculũ rodit, & caput replet. Has stomachi intestinorũq; à cholera rosiones, clysteri lubrico, quod eã per aluũ eijciat, curare, rectè Gal. docet. Quòd uerò clysteres astersiui, ac restrictiui, siue cõsolidatiui, ac ex seuo hircino defẽsiui, dysẽtericis multũ opis afferãt, clarius est q̃ scribi oporteat. At si colõ flatu grosso aut phlegmatis uitrei frigore cruciatu intolerabili, quẽ crebrò extremorũ paralysis excipit, diuellit: si olea subtilioris substãtiæ, quale sabinum est, in quo ruta aut semina cymini, dauci, anisi, q̃ flatus grossos dissipant, decocta fuerint, additis quę phlegma illud uitreum educere possunt, cum clysteri in-

Hip. hæc lib. 3. Reg. acut.

Quib. morbis cõpetat clyste re, Gal. lib. 5. & 13. Met. docet.

Iliacã paßionẽ ex uermiũ com plexu ortã Bononiæ uidi.

Galen. li. 6. de cau. Symp. testatur, clysteres uomitu reiectos.

De rosione uẽ triculi & intestinorũ à cholera, Gal. lib. 8. Therapeu.

Colici doloris cũ clystere curatio.

Gal. li. 12. The. & li. 2. ad Glauco. li. 1. de loc. affect. & lib. 6. cap. 2.

fuderis, patientē cōfestim ab huius doloris colici carnificina uindicabis. At est alius huic non dissimilis renum à calculo intolerabilis dolor, qui ob cōmunia symptomata, ægrè ab illo discernitur: nisi quòd coli cruciatus ob eius situm, dextrum latus potius quàm sinistrū, ac diuersa epigastrio subiecta loca, non rarò ad uentriculum usque uagus, infestare solet. At renalis à calculo, uel arenulis, uiscoso phlegmate uelut calce agglutinatis, dolor, circa lumbos fixus perseuerat: à quibus, moto per ureteres poros lapillo, decliuis obliquè ad pubem uergit. Eadem quippe utriusque affectus sunt accidentia, & communia quoque remediorū subsidia: nisi quòd in nephritide uenæ sectio plus, quàm in coli dolore conferat, obstructis quidē à phlegmate grosso, tophis, calculo, aut arenularum saburra, renibus, cum per uenas emulgentes à uena chili, serum sanguinis attrahere, & eam exonerare non possunt, eam eiusq; ramos, qui renes sepiunt, & ad crura usque uergunt, & uelut rami à stipite uenę chilis, uelut à caudice arboris propagātur, repletione distendi, & una cum arterijs ita coarctari, unde & uis sensilis in crure ex affecti renis directo obtorpeat, ut ex doloris uehementia ac humorum affluxu ad minus alter renum phlegmone corripiatur. In qua dispositione, præcipuè si plethora aut lassitudine corpus oneratum fuerit, uenæ iuxta poplitem aut talum sectione, nihil potest esse salubrius. Vnde Hippocrates: Vrinæ, inquit, stillicidium & mingendi difficultatem, uenæ sectio soluit. Incidere autem interiores oportet: uerùm nec has tantum, sed etiā in cubito, si insignis affuerit repletio, internā incidere uenā prodest. Proinde auctor libelli de Renū affectib. Sed, ait, neq; sanguinē, aut aliū succū plus ęquo redundantem in corpore relinquere par est, ne inde multa renū uasa distēta, plus doloris conciliēt: Vena igit, inquit Aetius, cubiti ꝑpinquè manus in corpore ex repletiōe affecto

Cura calculi cū clysteribus.

Signa colici & renalis doloris disiūctiua, declarat Gal. lib. 6. de loc. affec. ca. 2. & 3.

Gale. lib. 6. de lo. affect. ca. 2.

De uenę sectione in nephritide, Hip. li. 6. Aph. 36. & lib. 7. Aphor. 48.

Aetius Serm. 2. cap. 5.

affecto secāda est, si uirtus imbecillis fuerit: si ualida, ea q̄ in poplite est, aut iuxta malleolos, aperiatur. Ab hac etiā curam auspicari suadet Galenus, etiam ante purgationem: uerùm quum excretioni calculorum nihil æquè obstet, quàm uenosi generis uasorum, quæ corpori & cauernis renum inseruntur, ac intestinorum à flatibus & cibariorum excremētis repletio, quibus & renes poriq; ureteres ita coarctantur, ut per eos lapis in uesicam protrudi non posit: nihil certè melius, quum locus affectus sit diaphragmati subiectus, quàm intestina, quę renes ambiunt, porisq; ureteribus substernuntur, clysteri lubrico, admixto diureticorum decocto, & horum quę flatus dissipant, eluere. ob id auctor libelli de Renum affectib. ipsissima Aetij in curatione calculi, simia: Quippe, ait, manifestum est, stercoris obseptione renes plerunq; exasperari, ut compertum sit, enematis iniectione renalem dolorem esse mitigatum: uel quòd ab ea euacuatione, ren aliquis non sit amplius compressus, uel quòd ex stercore nulli postea flatus prodierint, qui in renes potuerint impingere, quibus ren distenderetur. & Aetius: Aegrotantis, inquit, aluo per clysterem infundere oportet furfurum decoctum, caricarumq; ac fœnigræci, & aristolochiæ: & si quidem decenter euacuentur, sinere: si uerò non, etiam bis aut tertiùm infundere. atq; id maximè, si uenæ sectæ uel purgationis auxilium sit relictum. Et diuinus ille Hippocrates, excrementorum cibi euacuationem calculi dolorem sedare fatetur. & quoniam admirando compendio calculi signa pathognomica, ac utriusq; curæ, etiam præseruatiuæ, capitula complexus est, eius uerba adscribere operęprecium esse duxi. ait enim in libris Epidemiarū:

Methodus Hippocratis curandi & cognoscendi calculum renalē, ex lib. 6. Epidemiarum.

ἢν νεφρὸν ὀδύνη βαρεῖα, ὅταν πληρῶνται σίτου, ἐμέουσί τε φλέγμα. ὅταν δὲ πλεονάζωσιν αἱ ὀδύναι, ἰώδεα. καὶ ῥᾶους μὲν γίνονται. λύονται δὲ, ὅταν σίτων κενωθῶσιν, ψάμμιά τε πυῤῥὰ ὑφίσαται, αἱματώδεάς τε οὐρέουσι, νάρκη μηροῦ κατὰ ἴξιν. ἐλλινίζειν

οὐ ξυμφέρει, ἀλλὰ γυμνάζεσθαι, μὴ ἐμπίμπλασθαι σίτου νέους. ἐλλεβορίζειν, ἰγνύην τάμνειν, οὐρητικοῖς καθῆραι λεπτῦναι, καὶ ἁπαλῦναι. id eſt, Si in renem dolor grauis, quando replentur ciborum excrementis, inciderit, uomunt pituitam: quando autem ingraueſcunt dolores, æruginoſa: & alleuiantur quidem. ſoluuntur autem, quando à cibariorum excrementis euacuantur, arenulęq́ fuluę ſubſident, & cruenta mingunt: fœmoris è directo torpor. pergræcari, id eſt, deſidem in crapula uitam agere, non prodeſt: ſed exercitari, nec repleri ſagina: iuuenes ueratro purgare, uenam poplitis incidere, ac diureticis purgare, extenuare, & emollire, confert. En diuinus Hippocrates, nõ modò iuuenes aut robuſtos, calculo renali affectos, ellebo ro purgare, humores uiſcoſos, calculorum gluten incidere & extenuare, diętaq́ attenuante uti, aluumq́ lumbricis anodynis emollire præcipit: ſed etiam eam à ciborum excrementis, ne his meatus urinales & renes coarctentur, exonerare ſuadet. σῖτος apud Græcos, teſte Galeno & Heſychio, non modo ex frumento & carne cibum, ſed etiam horum in prima digeſtione congeſta περιττώματα ſignificat: quæ etiam in dolore coli per clyſterem eiecta, dolorem alleuiant: etiam non rarò ſimul excreto uitreo phlegmate radicitùs, ut Galeno contigit, radicitùs extirpatur. Vnde Galenus: Quinetiã, inquit, colicorum cruciatus multo magis quàm nephriticorum, lenientibus mitigantur clyſteribus. Quibus uerbis non negat, clyſteres nephriticis prodeſſe: ſed colicos plus iuuare. utriuſq́ affectus quoq́ eadem ferè eſſe remedia, affirmat. Quare temeritatem illorum non ſatis admirari poſſum, qui rectam curandi calculum legem & methodum, ueteribus probatam, abrogant, & nouã errore plenam ſubſtituunt: quos certè ex lege & decreto Platonis, eorum qui iuſtas ueterum leges euertunt, luere pœnas, æquum & fas eſſet. qui tamen præter antiquorum exemplũ, iuniores medicos in curando renũ calculo

Purior & ſynceriorverborũ Hippocratis uerſio.

Quid apud Hippocratẽ σῖτος.

Verba Galeni ex lib. 6. de Locis affect. ca. 2.

In eos qui clyſteres in calculi renalis cura auerſantur.

Decretum Platonis hoc habes in lib. 5. de Republica, & li. 9. de Legib.

calculo assidua clysterium iniectione ęgros excarnifica re, impudēter asserunt: quum Aetius eos non semel, sed bis atq; iterum, etiam efficacissimos infundere iubeat. quos tamen, quamuis aluum deijciant, lubricent, ureterasq; emolliant, & obstructiones detergant: tamen eo nomine noxios testantur, quòd intestina repleāt, & urinales meatus coarctēt, quominus calculus excerni possit. At quandoquidem inanitio & euacuatio, & repletio, ex diametro pugnāt: dic quęso mihi, qua ratione noxia, enemata quæ intestina à fęcibus expurgant, flatus dissipant, detergunt, & ureteras ipsis incumbentes colis, mulcebri suo uapore emolliant, urinamq; proritent, ea replere, coarctari, & calculi exitū remorari possunt? & eris mihi magnus Apollo. At quòd ea intra aluum iniecta, triduum substitisse causaris, nescio quàm uerè, huius culpam non usui clysterium, sed medicorum imperitiæ te impingere oportet, quæ ea satis efficacia non composuerint. Atqui quum ingenui sit, & docti uiri, errorē suum fateri, quod nec Hippocratem facere puduit: si palinodiam cecineris, hęc & plura, ut nostro & ueritatis amico, tibi condonabimus. Itaq; illud quoq;, uelut huius epistolæ auctarium, addere placuit, de saluberrimo clysterium usu: Oborto in sede interna, uel intestino recto, tumore phlegmonode, Galenum medicamēti diachalcitheos Phœnicei pōdo, selibra olei rhodini liquefactum, cum uesica suilla, cui cornea fistula alligata fuerat, iniecisse. Qua te quoque, si opus fuerit, malim uti, quàm illis ex ære conflatis tubulis, quibus cum flatus copia plus ingeritur: & quàm ex bubulo corio sacco, qui manibus non ęquè, ac uesica porci aut bouis, est cōtrectabilis. Adde quòd exactius exprimitur, & flatum conceptum, si subter arctè constrinxeris, emittere poteris: id quod in syringa ænea commodè fieri non potest. Vale.

Veteres uesica cornu alligata ad clysteris usum utebātur. Gal. lib. 5. Methodi. & lib. 2. Compos. medic. gen.

DE

DE PITYOCAMPIS, PICEARVM *crucis.* *Epist.* LXXXI.

NOn temerè quidem, optime Lysander, fœda illa erucarum, quas Græci κάμπας uocãt, copia, uos Palatinos, Hercyniæ Bohemorum syluæ accolas, terruit: quę non olera, sed uniuersas picei generis arbores, ita depascunt, suaq́ue uirulentia inficiunt, ut amœnissima abietum pinorumq́ue nemora, quæ fabris uestris præcipuam ad ædificia & carbones materiem suppeditabant, penitùs marcescant: non temerè inquã animos incolarum perculit. Nam huiusmodi uirulenta insectorũ reptilium ac uolucrium genera, uel ob pestiferi aeris putrilaginem, aut ob irati nostrisq́ue peccatis offensi Numinis uindictam ingrauescere solent. Sic enim cum Aegyptij ac Pharao obstinacia contumax, mandata Dei Israel per Mosen illis denunciata, capessere nollent, fœda horum colluuie & tabe contumaces afflixit, & protriuit. quippe post aquas Nili, uirga Aaronis in cruorem uersas, siti ardentibus, grauiora afferentes pœnarum remedia, quàm pœnas: post horridos ranarum, domos & cubilia penusq́ue esculentorũ polluentiũ squalores, quarum interitu teter pestilensq́ue odor omnẽ cœli tractum, contagiosa tabis lue infecerat: post phtiriasim pediculorum, post uesicas efferuescẽtes, ulceraq́ue tabe manantia, & ut ipsi dicere maluerũt, scabiem acui tiliginẽ totis corporibus erumpentẽ: subsequuti sunt, de culicũ genere igniti σκνῖπες, quos corruptè Siniphes appellant, unà cum muscis caninis, toto sese aere uibrãtes: ineuitabili ictu & morsu tã grauia tormenta, quàm turpia inferẽtes. ἔστι γὰρ ὁ σκνὶψ, ait Suidas, ζῶον μικρὸν ξυλοφάγον, id est: Est enim scnips uolucre animalculum, ligna arrodens. Deiecta quoque, cum his grãdo de cœlo est, ad id tẽporis agricolis inexperta, quę sata, segetes,

Plagæ Aegyptiorum decé, habentur Exodi 7.8.9. & ultra. Ioseph. lib. 2. ca. 10. Oros. li. 1. cap. 10.

De Scnipsesi, hæc Suidas, ac Greg. Nazáz. in suis carminibus.

arbores, omne pecus miserabili strage ꝓtriuit. Cęterùm quicqd illa cœlestis clades in agris reliqui fecerat, subsecuta locustarum nubes, præter fidem ingens, totum id quod uirebat depauit. Atqui hæc nefanda mala & prodigia, anno ante urbem conditam octingentesimoquinto, Aegyptijs acciderunt. Verùm præstat recentiora in memoriam reuocare. Ab eo, quo ista meditamur, anno, septuagesimotertio, locustæ sturnatim in Italiam aduolantes, circa Brixiam & Mantuam omnia terræ germina, sua inexplebili uoracitate radicitùs deuastarunt: quas ingens & immanis subsecuta pestis, plus quàm quinquaginta hominum millia interemit. Quin neque illud te latebit, me natu longè maiorem, Lysander, quòd elapsis iam uigintiquatuor annis, ex Thracia immensa locustarum nubes in Poloniam, Vngariam, & Germaniæ ultra limites, aduolauit: quę non fruges tantum, sed & olera, & quicquid in pratis uirebat, & agris, præter uites, depascebat: ob idq; crudelis (ut pleriq; diuinabāt) futuri Turcarū exercitus ꝓdigia, & portenta. Nec eos fefellit præsagium. nam altero anno statim Viennæ obsidio, Vngariæ deuastatio, & ex Anglia ac Britannia febris illa sudore exitialis, ad nos deuoluta est: non tantum arborum, sed etiā pestifera hominū pernicies, ex aeris putredine & intemperie concepta. Nā, ut Theophrastus refert, summatim morbi omnib. seminib. ob alimēti cœliq; intēperiē eueniūt: uidelicet, cū plus minus'ue alimēti pbetur, aut aer immodicè humidus siccus'ue est, uel etiam nō tēpestiuè humescit: cum prius q̄ siccata fuerint, dies feruidi accesserint. tū.n. humor siccitate aeris ambiētis cōclusus, effundi nequit, putrescitq;, ac uermes ꝓcreat. quippe natura ubiq; animal gignit, modò calor cū humiditate ratione debita coeat. In Mileto (idē Theophrastus ait) oleas, cū florēt, erucæ erodūt, aliæ frōdē, aliæ florē, genere diuersæ, itaq; arbores dispoliāt. Nascunt̄ tēpore austrino, & uēto

De fœda locustarū calamitate Euf. in Chronicis, & Pli. li. 9. & passim toto opere.

Theophra. de cau. plāt. lib. 3. ca. 27. & de histor. plāt. li. 4. cap. 17.

De erucis in Mileto, Theophrast. de hist. plāt. lib. 4. cap. 16. & de causis lib. 5. ca. 14.

uento. Si uerò acrior æstus insecutus fuerit, disrumpuntur omnes, & intereunt. Sed enim alibi quoque idem refert, pinum plus quàm abietem, corrodi à teredine posse. hanc enim esse amaram, pinum uerò nonnihil dulcedinis participare: eoq; magis, quo fuerit tęda refertior. Vnde erucæ, quæ in pinis aut piceis intra corticem nascuntur, quarum uirulenta rosione arbores marcescunt, Græcis πιτυοκάμπαι dicuntur. de quibus Plin. Eadem, inquit, quę cãtharidibus, uis pityocampis quoq;, in picea nascẽtib. eadẽq; bupresti. similiterq; in olla linteolo obducta, ne excidãt, & super aceti euaporatione suspensæ præparantur, efficacissimæ ad lepras lichenasq; dicũtur: mẽses urinãq; cient. quas ideo Hippoc. etiã hydropicis dabat. & Gal. πιτυοκάμπαι, ait, πιτύ⊕ εἰσι κανθαρίδες, ἐκπρήσεως δυνάμεως. quarũ exitiale uirus Aetius ex Dioscoride ita describit: Picearum eruca pota, statim dolor circa os & palatũ oborit, & uehemẽs lingue inflãmatio, stomachi, alui ac intestinorũ afflictio fortis, cũ sensili circa interna uiscera pruritu, corpus uniuersum æstuat, & stomachus cibũ fastidit: quib. eisdem auxilijs, quibus cantharidib. deuoratis, opem ferimus. Propriè autem illis subuenit oleum ex cottoneis, melinum, pro simplici oleo exhibitum, & uomitu reiectum. Quibus etiam, auctore Plinio, sapa ac lac bubulum haustum magnopere confert. Verùm, ô Lysander, non alexipharmaca quæris forsan: sed quibus hæc pestifera lues, uestri fundi ac nemorum calamitas arceatur, & intereat. Itaq; cum his Palatinatus terris, in quibus primùm medicinam professus sum, ex animo bene consultum uelim, & quum hæc nostro seculo sit non uisa uel experta prius pityocamparum pernicies, quicquid remediorum ex Græcorum Latinorũq; primæ classis auctorum lectione exploratum habeo, ea qua acceperim fide, libens communicabo. Quumq; ratione naturali non careat, de his periculum facere poteris, non modò si ole-

Pityocãpæ in pinis & piceis nascũtur, Plin. li.29. ca.4. & li. 23. ca.2. & 4. ac lib.28. cap.9.

De picearũ erucis, hæc Aetius li.13. ca.51. Gale. lib.10. de Sim. me. Dios. li.2. c.53. & lib. 6. ca.2. Pau. li. 5. cap.34.

ſi olera, uerùm & arbores infeſtauerint. Campas, inquit Palladius, fertur euincere, qui faſciculos allij, ſine capitibus, per horti omne ſpacium comburens, nidorem locis pluribus excitarit. Si uerò uitibus uoluerimus conſulere, allio trito falces putatoriæ inungantur. Naſci quoque prohibentur, inquit, ſi circum arborum uel uitium crura bitumen, aſphaltum, & ſulphur incendas. & Cōſtantinus Cęſar ex Aphricano in ſuo Geoponico inquit: διαφθαρήσονται σκώληκες, οἱ ταῖς ἀμπέλοις ἐνοχλοῦντες, ἢ ἐνοσσεύοντες τοῦ μέρους τοῦ ἀμπελῶνος, βολβίτων καπνισθέντων κατὰ ἄνεμον. οἱ δὲ χαλβάνην, ἢ κέρας ἐλάφειον, ἢ ὄνυχας αἰγείους, ἢ ἐλέφαντος πρῖσμα, ἢ κρίνου ῥίζαν ἐν τῷ ἀμπελῶνι θυμιάσαντες, ἀπήλασαν αὐτόθεν τὰ θηρία. id eſt, Deſtruuntur uermes, uites infeſtantes, aut in aliqua parte uineæ ad fœtum incubantes, ſi qui ſtercora boum aduerſus uentum ſuffumigant, aut galbanum, uel cornu ceruinum, aut caprarum ungulas, aut eboris limaturam, uel lilij radicem, bulbum, in uinea ſuffiunt: inde nanque uenenatas expellunt beſtias. Didymus in Georgicis ait: Si nudatas arboris radices columbarū ſtercore illeueris, arbor uermib. nō infeſtabit: pariter ſi trūcus uel caudex ſtercore ſuillo in aſinę urina macerato, illita fuerit, caudex à uermibus & erucis illibatus durabit. Eſt & aliud contra olerum erucas impudicum & obſcœnum Democriti præſtigium potius, quàm remedium: cuius ueritatem, niſi in Noricorum terris experientia approbaſſet, certè id referre puderet, quod grauis rei agrarię ſcriptor Columella carmine celebrauit. Iubet Democritus, mulierem, dum menſtruis purgatur, unica tantum ueſte indutam, ac diſcinctam, paſsis capitis diſcooperti capillis, ac nudis pedibus ter areolas, & ſepem horti perluſtrare: quo facto, tandem per medium horti ſi egrediatur, tum inſtar imbris de oleribus derepentè erucas decidere, & emori. Vnde Columella ait:

De cāpis & allio, hęc Pallad. de re ru. li. 1. ti. 35. ex Africano & Democrito Cōſtā. li. 5. Geopo. & li. 10. ac 12. eadē & plura.

Mulieris menstruatæ lustratione campas enecari, Colu. in fine libri 11. & 12. Pallad. li. 1. ca. 35. Constatinus prope finem lib. 12.

At si nulla ualet medicina repellere pestem,
Dardaniæ ueniunt artes, nudataq; plantas
Fœmina, quæ iustis tum demum operata iuuentæ
Legibus, obscœno manat pudibunda cruore,
Sed resoluta sinus, resoluto mœsta capillo
Ter circum areolas, & sepem ducitur horti:
Quæ cum lustrauit gradiens (mirabile uisu)
Non aliter quàm decussa pluit arbore nimbus,
Vel teretis mali, uel tectæ cortice glandis,
Voluitur ad terram distorto corpore campe.

Si hoc terribilis mulieris uelut Erinnys habitu, erucarum fœda in hortis, oleribus ac arboribus impuritas expiari posset, tum certè res salua esset. Sed cum nulla credibilis & naturalis subsit ratio, mihi ex galbano asphalti bitumine, sulphure, & ceruino cornu, ac allio suffumigia magis approbantur: quæ etiam tutò, à uenti flatu auersus, experiri poteris. Adde, quòd graues non uulgaris experientiæ auctores tradunt, culices, cimices, formicas, pulices, locustas, pediculos, blattas, & erucas, ac unumquodq; id generis insectorum, fumo ac nidore ignis quo cremātur, expelli. Squillę quoq; phyllurę combustæ, aut iuxta uites aut arbores squilla consita, sui odoris acredine noxia plantis & arboribus insecta fugat. Vale: Deumq; supplex precare, ut hanc quam erucæ portendunt, irati ob delicta nostra sui numinis uindictam, misericors & benignus nobis condonare, & à uestra regione amoliri uelit.

DE RECTA, LVXATA INSTAVRANDI *methodo. Epist.* LXXXII.

Thermarū Badensiū origo.

DE Heidelberga, mi Pandulphe, ad thermas Badenses, quas olim Marcus Aurelius Antoninus condidit, & postea Carolus quartus suæ nomēclaturæ Imperator instaurauit, ꝓfecturus, cū parū à recto

à recto itinere uerſus pagum Kyrloch diuertiſſes: omnes tibi obuios, quos de recto itineris compẽdio perconctatus fuiſſes, uel luxata coxendice, uel diſtortis talis loripedes claudicaſſe, ſcribis. Quum uerò chirurgos etiam, inſtaurandi luxata peritos (quos Græci ἐνεμβόλους appellant) hunc pagum incolere accepiſſes: admiratus quoque è proximis uillis claudicantium multitudinem, quid cauſæ ſubeſſe arbitrer, à me ſciſcitaris. Non enim illic eſſe Lemnum, Aegei maris inſulam, in quam Iuno Vulcanum (qui inde claudus eſſe factus traditur) præcipitaſſet: quũ pagus hic multis millib. paſſuum ſit Rheno quàm Aegeo mari uicinior. Cauſam itaq; tibi eius rei petenti, reddere haud pigebit. Noſti quidem ex Hippocratis aſſertione, quoſdam claudos naſci: alios uerò ex morbo arthritide, aut alio morbi dolore, caſu à præcipiti loco, aut ex paleſtre lucta, aut quauis alia uiolenta concuſsione luxatos: plures uerò, ut Galenus refert, ob chirurgicorum imperitiam claudicare, qui rectam ueterum inſtaurandi luxata methodum penitus ignorant. De quorũ ſecta, huius pagi euembolos paucis tibi oſtendam. Recta quippe luxata reducendi methodus quatuor habet ſcopos. Primus, ut membra de ſuo ſinu elapſa, ante inflammationem, quantum natura neruorum ac tendinum fert, modò ſolis manibus, aut loris, uel chiromactris iniectis, aut glocoſſomio, ſiue alijs machinis, leniter diſtenta, in ſuum priſtinum acetabulum reponantur, cum minori quantum fieri poteſt dolore. Enimuero ſi pars luxata, dolore intẽſo afflicta, phlegmone occupetur, aut congenita neruorum tendinumq; duricies obſtiterit, ſi membrum ſic affectum diſtenſione laceſsiueris temerè, incrudeſcente dolore (ut Galen. ait) tali diſtenſione, φλεγμονὰς δὲ ὕστερον καὶ πυρετοὺς καὶ σπασμοὺς ἐνίοτε καὶ παραλύσεις ἐπιφέρεις, καὶ παραφροσύνας. Proinde Hippocrates, & poſt eum Cor. Celſus: Quicquid, inquit, loco ſuo motum eſt, ante inflammationem

Vulcanus claudus natus.

Claudicantiũ uariæ cauſæ.

Gal. & Hippo. li. de Articulis

Rectæ luxata inſtaurãdi Methodi tres ſcopi.

Pericula prauæ inſtaurandi oſſa methodi: Gal. li. 3. de medic. uulnerum officio. Hippoc. de Articulis, & Cor. Cel. lib. 8. cap. 11. & 10.

reponendũ eſt, ſi illa iam præoccupauit, dũ cõquieſcat, haudquaquã laceſſendum eſt. ubi finita, tẽtandũ eſt, in his mẽbris, q̃ id patiũtur. Oportet autẽ inflãmationẽ ipſam, atq; dolorẽ leuare lana ſuccida ex hydrelæo, id eſt aqua & oleo moderatè calido, acetiq; momẽto ſuperimpoſita, febriſq; rationẽ in uictu habere quàm maximã. At iſti, ſi dijs placet, chirurgi, nec quid ſit phlegmõ, aut febris, nec ullũ reponẽdi luxata organũ norũt, quo leni tẽſionis moderamine elocata, ſine doloris exacerbatione reponerẽt.

Alter inſtaurationis ſcopus. Alter uerò & ordine ſecundus ſcopus exigit, ut membrũ inſtauratũ in ſinu articuli quieſcere ſinas, donec firmatũ in eo probè coaluerit. id uerò effeceris, ſi roſaceo Meſuæ perfecto, aut quod primas certè obtinet, unguẽto noſtro de alabaſtro illeueris, & pannũ lineũ, uſu emollitũ, lenẽ, rhodino quoq; delibutũ, applicueris. Deinde ſi ſplenia ex ſtupa ab acerib. purgata, aut multiplici pãno cõſarcinata, ouorũ candido imbuta, appoſueris. Poſtremò faſcijs poſca uel uino madidis, primùm circa articulũ, aut etiam oſsis fracturã iniectis, pro mẽbri habitu latis aut oblõgis, nõ nimis arctè, nec plus æquo laxè deligaueris. Quin etiã ſi neceſsitas poſtulat, poſt quartũ uel quintũ diẽ, ferulas ex corio bubulo uel ſuillo, aut tenuiorib. aſſulis faginis, quib. panifices impoſitis pãnos ſub prælo applanãt, rectè applicato.

Quis rectus oſſis fracti aut reducti ſitus. Sic igitur mẽbro deligato, & ad quietẽ ſchemate, figura naturali, doloris maximè experte, ſecundũ uillorũ & muſculorũ rectitudinẽ ſituato, quieſcere ſinas: nec antè ſeptimũ aut decimũ diẽ religabis, niſi prauũ aliquod ſymptoma pruritus intolerabilis, aut phlegmõ ex dolore, aut quauis alia occaſiõe inciderit.

Hippo. li. I. de Fracturis. Vnde Hippoc. inq̃t, ἐχρῆν τὸν ἰητρὸν τῶν ἐκπτωσίων τε καὶ κατηγμάτων, ὡς ἰθυτάτας καταστάσιας ποιέεσθαι. αὕτη γὰρ ἡ δικαιοτάτη φύσις. id eſt, Oportet medicũ luxatorũ ac fractorũ ſitus ac ſtatus q̃ directiſsimos facere, ſecũdũ naturalẽ mẽbri ſtatũ: ipſa enim natura iuſtiſsima eſt.

Duo ſcopi ſitus membrorũ. Vnde Gal. ibidẽ ait: Duo ſunt ſcopi, quib. naturalis mẽbri læſi figura, σχῆμα Græcis, aut ſitus,

tus exploratur:indolentia,quæ experientia exploratur (naturalis.n. mẽbri ſitus, doloris eſt præcipuè expers) alter,rectitudo ſitus partiũ membri. hãc ex Anatomia addiſcimus:quã nec norunt,nec aliter uiderunt, quàm dum lanius porcũ mactat,aut Iudæus ſuũ exenterat uitulũ. Scitè mehercule Hippocrates ait: Circa omnes articulorũ repoſitiones attenuare oportet, ac fame macerare,uſq; ad ſeptimũ diem. & ſi inflãmatio inciderit, frequẽtius ſoluere:ſin minus,rarius. quietẽ uerò ſemper habere oportet afflictũ articulũ, & quàm optimè figuratũ poſitũ eſſe. At noſtri de genere paganorum chirurgici, mẽbra inſtaurata nec unũ diẽ quieſcere ſinunt: ſed quotidianis concuſsionibus ea diuellũt,ac ita diſtorquẽt,ut de ſuis acetabulis nõ rarò iterũ excidãt, nouusq; incrudeſcat dolor. unde membrũ ex humorũ alluuio phlegmone,patiens uerò cõuulſione corripiatur, tam crebra quidem diſtentione & uiolenta uulſione: pręcipuè in macilentis & duris ſiccisq; corporibus, ut Galenus ait, σπῶνται καὶ ἀπορρήγνυνται μυῶν καὶ νεύρων ἶνες: id eſt, Diuelluntur & franguntur muſculorum & neruorũ uilli, aut fibræ: unde cum febre inflammationes, deliria, ſpaſmi, & paralyſes coincidũt, q̃ patientẽ interimũt. Rectè igitur Hippocrates, ut alia omnia, de fracturis oſsium, hãc per uectes cõmotionẽ & extenſionẽ eadẽ die aut ſecũda fieri ſuadet, nõ autem tertia: minimè uerò quarta, aut quinta. Nã ſi etiã his dieb. nõ reponas, ſed alia moleſtia luxata laceſſas, inflammationes induces. Qui uerò, ait Hippocrates, tertia aut quarta die deligãtes premũt artus, aut fracturas extẽdũt: hi in re adeò multi ac magni momẽti imprudẽter agũt: minimè enim ijs dieb. omnia uulnera mouere oportet. Et ut uno uerbo dicã, etiam omnia cũ ſpecillis ſcrutinia euitare cõuenit, & ſingula q̃bus uulnera laceſſunt. In uniuerſum enim tertia & quarta dies incrudeſcentias pariunt: quæ ad inflammationes, ſordiciem & febres deueniũt. Hæc ſanè, inquit, res adeò magni momenti, ut ſi qua alia, eſt, ut non ſolũ obſeruetur

Iudæorum anotomia.

Victus luxatorum ex li. Hippocrat. de Articulis.

Gal. li. 3. de Medici uulnerar. officio.

Violẽtæ inſtaurationis pericula.

Dies & tempus inſtaurãdi luxata.

Hippo. li. 3. de fracturis.

Morbi sunt ulcera, Galē. de inæquali temper.

seruetur in uulnerum, sed etiam aliorum morborū cura, quos etiam ulcera esse forsan quispiam dixerit. At finita inflammatione, sedatoq; dolore, frictionem adhibere membro affecto, Cor. Cels. non dissuadet: ac tum uti cibis bonis, ac uino modicè, iamq; ad usus suos mēbrū ꝓmouere. motus enim ut in dolore pestifer est, sic aliàs salubérrimus corpori & membro existit. Nam ut Hippocrates li. de Medici uulnerarij officio ait, χρῆσις κρατυνεῖ, ἀργίη δὲ τήκει: id est, Vsus roborat, ociū extenuat. Proinde uenerādus ille medicorum parens, in libro de Articulis primo: Articulum, ait, cōmouere oportet, nō ui, sed in tantum ut dolore uacet. cōsistunt enim quędā in plurimo, alia in minore tempore. Vbi Galē. fidus eius interpres: Hac, ait, doloris experte cōmotione in declinatione phlegmonis nihil est utilius: resoluit. n. humoris affluxi reliquias, & articuli mucores liquefacit, quib. articulus inuiscatus, immobilis consisteret, quod Greci ἀγχυλοῦσθαι dicunt. Meritò igitur id Hippocratis pręceptum, tertius & ultimus curandæ luxata methodi scopus constituitur, ut membro luxato in suam sedem reducto, confirmatoq;, & conuenienti schemate locato, id ab humorum affluxu & dolore ac inflammatione uindices. quod facilè assequeris, si quæ roborant & repellunt stiptica applicueris, ac sobriam & tenuem uictus rationem principiò indixeris, uenamq; reuulsionis gratia secueris, & aluum leni pharmaco subduxeris, ac aromata, & id genus quę sanguinem inflāmant, prohibueris: tum fluxiones à particula affecta facilè depelles. Et cum hæc expediueris singula, postremò reliquum erit, & præter hoc nil aliud, quàm ut membrum opportunis exercitijs accommodes, illiq; pristinum robur restituas. At illi plus æquo audaces, scelerati de gente rusticorū euemboli, temerario uulgi applausu, procerumq; quorundam suffragio, qui doctis eruditionis honorem inuident, elati: totum rationalis diuini Hippocratis methodi

Verba Corn. Cels. ex lib. 8. cap. 11.

Exercitium roborat: Hippo. li. 3. de Medici uulnerarij officio.

Laudatur Articuli instaur. exercitium.

Tertius instaurationis scopus.

Epilogus dictorum.

A phlegmone & affluxu humoris præseruatio.

Chirurgicorū audacia, fastus & tyrannis.

thodi ordinem euertunt. Nam membra fortè fortuna repoſita, nondum confirmata, necdum ſedato dolore aut phlegmone reſoluta, miſeris carnificum modis, & quotidianis diſtorſionib. ne dicā torturis, exercent: nec ægrotorū (quā unicā laudē nobiles illis tribuūt) miſerētur: uerùm ſi quis natura delicatior ſęuas illorū manus inciderit, qui hæc chirurgicorū tormenta epaueſcit, cū illo obiter luctātur, proſtratū in terrā, mēbrorūq; torſionib exanimatū ferè, pudet dicere q̄ obſcœnis ſcōmatibus ægro illudāt. Certè Deo naturaq; nil iuſtius, qui tales euembolos, ne dicā tyrānos, literarū oſorib. reliquit. Nec Nemeſis iuſtè in illorum patruo uindictæ oblita fuit, quem claudicantem perpetuò, omnibus ludibrio expoſuit: ut eius exemplo quiſq; admonitus, hæc ſibijpſis artis ſubſidia præſtare non poſſe agnoſceret, quę in alienorum corpore temerè experiri auderent. Vale, mi Pandulphe: ac faxit Deus, ne quiſquam illorum manus incidat, niſi qui doctis medicis malè affecti ſunt, & honorem ipſis inuident.

DE DIFFERENTIIS SIGNORVM, *quibus medici morbos diſcernunt, & futura præſagiunt.* Epiſt. LXXXIII.

MVſitant, & ut audio obmurmurant quoque, barbari & ſcelerati illi in re medica impoſtores, quòd delirum ac planè temerarium eorum in diſcernendis morbis ex urina iudiciū damnauerim. quorum, mi Andrea, calumnias ne gry quidem fecerim. Nam qui prodeſſe non queunt, quomodo obeſſe poſſint, non uideo. Perinde ac ignorata morbi conſtitutione, quid medicus in cura morborum præſtare poterit, non intelligo. Ob id ueteres non ex lotio tantum, ſed ex ſignis ac indicijs pathognomicis, uniuerſaq; ſymptomatum morbi ſyndrome, cauſam & ſubſtantiam

Gry ſordes ſub ungu bus contentæ.

Signorū & indiciorū differēt. Gal. prope finem 3. lib. Prognoſtic.

Primaria medic. diuisio. Gale. lib. 1 de officio chirurgi.

Medicina diagnostica.

morbi, à quibus remediorum indicationes acciperent, summo studio & obseruatione scrutati sunt: ipsamque medicinā primario diuiserunt in Therapeuticā, cuius cōmunissimus scopus est, τὰ ἐναντία τῶν ἐναντίων ἰάματα, Contraria contrariorū medicamenta: & in Diagnosticā, cuius primarius scopus est, Sana à similib. ęgra à dissimilibus sanis discernere. quæ medicinæ præstantior pars, longo interuallo Therapeuticam præcedit, quæ sine Diagnostica nullius frugi est, aut usus. Et quia morborum exactam per signa pathognomonica, cuilibet morbo peculiaria, & symptomatum coincidentias, quas empirici συνδρομὰς uocabant (αἳ δέ τινές εἰσι συμπτωμάτων ἀθροίσματα, quę erant accidentium aut casuum morbi per obseruationē collectiones) cognitionē tradebat, eam tandem iuniores σημειωτικὴν appellarunt. Ob id meritò quispiam admirabitur Galenum illum polyhistorem, qui præter ducentos & quinquaginta libros, quos de uarijs disciplinis condidit, de alijs uerò singulis medicinæ partibus supra quadringentos ediderit, easque ad unum omnes rationali methodo expediuerit: quòd hanc solam præstantiorem medicinę partem διαγνωστικὴν, nulla exacta methodo excoluerit: sed tantum passim, præcipuè in libello de Artis constitutione, eius semina sparserit. Attamē Auicēna, Rasis, & alij de Arabū schola medici, & posteriores de classe Græcorum, Paulus Aeginas, Aetius, Actuarius, & Alexander Trallianus (quē Mesue iatron appellat) ueteres empericos imitati, signorū & accidentiū syndromē in singula morborū capitula congesserūt: sed adeò indistinctè, ut quod illorum sit pathognomicū, aut epiphænomenum, aut synedreuomenum, alterū ab altero discernere non possis: ut illorum medicinā diagnosticā rectè quispiā cōfusum Democriti chaos dixerit. Adde quod nec doceant, quod morbi signū uel indiciū uiribus alteri præponderet. Verū his lōgè ineptiores nostri seculi in Germania quidā logiatri, qui, ac si omnia morborum signa

De syndrome empiricorum lib. de officio chirur. de constit. artis. & passim alibi Gale.

Medicina symeotica.

Galen polyhistor.

Galenum diagnosticen method. nō absoluisse.

Arabes & Græci symptomatum syndromen indistinctè conscribūt in suis practicis.

Medicorum urinariorū impudentia.

in

in urina elucescerent, ex solius lotij inspectione de morbi substantia, patientis salute uel interitu, ob triobolaris scorti salarium temerè pronunciare (nugari rectius dixissem) non erubescunt. Vt igitur illorum impudẽtia omnibus innotescat, pauca de signorum differentijs huic epistolæ inserere constitui: ut ijs me doctioribus, quib. hæc absoluta tractare methodo uacet, ansam prębeam: quam & ego, si plus ocij nactus fuero, ob ægrorũ salutẽ, libens apprehendã: ut tandẽ semel hoc flagitium ex temerario de morbis urinæ iudicio, facinus certè flagris dignũ, ex medicorũ palęstra elimineť, & recta curãdi iudicãdiq́ morbos methodus instituať. Atqui cũ apud philosophos, tũ apud medicos omnes in confesso est, effectus & accidẽtia suã prodere & indicare causã. Constat q̃q́, symptomata esse morborũ διαθέσεως, effectus. Nemo igiť inficiari poterit, symptomata (de q̃rum numero sunt actiones læsæ, & quędã essentialiter inhærẽtia inseparabilia) morbos, & locũ affectũ q̃q́, uelut eorũ domiciliũ & nosocomiũ, cui applicari & accõmodari debẽt remedia, indicare. Symptomatũ uerò q̃dã Gręcis dicũť epiphęnomena, siue συνεδρεύοντα: alia uerò pathognomonica, q̃ ex essentialiter inhęrẽtib. ac simul cũ morbi cõstitutiõe orta, cũ ea q̃q́ dispereũt. Hęc sunt inseparabilia & certa morborũ indicia, quorũ syndrome morbi speciẽ rectius ac uerius omni lotio indicat. Sic febris cõtinua cũ dolore lateris pũgitiuo, ac tussi anhela, cũ simul & quasi unà irruũt, pleuritida morbũ indicãt. Alia uerò q̃ deinceps succedũt accidentia, epiphęnomena aut synedreuonta dicta, quasi morbi assessores, cui neq́ necessariò aut inseparabiliter cohęrẽt, nec unà oriuntur, sed utplurimum aut rarò uel ἀμφιδόξως, id est ancipiti ratione morbo assidẽt, nec substãtiã illius constituũt, sed ꝓprias morborũ differẽtias faciũt: ut in pleuritide, sputũ cruẽtũ uel citrinũ, dolor ad furculã, uel ad diaphragmatis inferna protẽsus, uigilia, delíriũ, somniorũ spectra. Hæc sanè accidẽtia epiphænomena dicta,

Effectus suas indicare causas.

Morbi diathesis symptomatum causa.

Signorũ diuisionẽ Gale. de artis cõst. li. I. Aphor. 12. & li. 4. reg. acut.

Epiphænomena, ut in locis hic allegatis.

Symptomata synedreuõta, assidentia morbo.

uel morbi differentiā, aut illius ἀπλότητα, id est mansuetudinem, aut κακοήθειαν, id est prauitatem indicant.

Medici docti officium in discernendis symptomatis.

Oportet certè in tali symptomatum syndrome medicū singulorum symptomatum uires æqua lance ponderare, & lethalia cum salubribus acri iudicio expēdere. Si enim perniciosa uel uiribus aut copia, salutaria & naturæ uires superauerint, tum periculum mortis non lōgè aberit: & uicissim, si salutaria perniciosis potētiora extiterint, tum æger iam ferè Scyllā & Charybdim eluctatus, in crisis impetu saluus, in portu nauigabit. idq́ eo certius, si inter hæc perfecta concoctionis signa affuerint.

Signorum diuisio, Gal. li. 1. Aphor. 12. li. 3. Prognost.

De numero uerò talium signorum, aliqua sunt decretoria aut iudiciaria, alia concoctionis aut cruditatis indicia, alia salutis aut mortis indicatiua. Signa uerò cō-

Signorum concoctionis descriptio.

coctionis, finito morbi principio, & eius humore per calorem naturalem probè concocto, & à putridis sequestrato, in augmento uel morbi uigore in urina sputo, & apostematum suppuratione quoque, digestioni, quæ in uenoso uasorum genere fit, simillima, & alijs excre-

Excremēta suarum partiū dispositionē indicant. Gal. li. 1. de crisi.

mentis apparent: nempe cuiusq́ partis in corpore & humorum excrementa, quæ sunt concoctionis perittomata, & reliquiæ, eam quæ illis inest dispositionem ostendunt: si quidem cocta fuerint, sanam: si cruda, ægram arguunt.

Signa concoctionis in morbis pectoralib.

Vnde in ægritudinibus pectoris, & spirationis instrumentis, sputum album, lene, equali consistentia concretum, semper est salubre cōcoctionis signum. Si uero nihil expuitur, integram ostendit cruditatem: si uerò sincerum, aquosum, tenue, liuidum, æruginí simile sputum eructatur, non cruditatē modò morbi, sed etiā

In morbis mēbrorum naturalium & febrium concoctionis signa.

perniciem minatur. At urina, secundæ digestionis excrementum, quę in uenoso genere uasorum, uisceribus, epate & præcordijs fit, dum hæc febre, phlegmone, scirrho, aut intemperatura quauis oblæsa fuerint, certus est

Vrinæ digestæ & crudæ descriptio.

cruditatis aut concoctionis index. Quippe si hæc colore & substantia sanorum urinis fuerit simillima, hypostasim albam, lenem, puri exactè concocto similem habue

buerit,hæc non modò concoctionem morbi præcipuè in febribus,ſed etiam uirtutes naturales eſſe ui,rib.morbi longè potentiores,easq́ in criſis cõflictu uictoriam obtenturas,uerè teſtatur.At ea ratione non eſt urina ſignum pathognomonicum:ſed concoctionis uel cruditatis in febribus, & morbis uiſcerum,præcordiorum,ſignum obſeruatione penitus neceſſarium.Proinde Galen.in Prædictionibus Hippocratis concedit, urinam, diathesim, id eſt morbum partium epatis, ac renum,& ueſicæ,ac ſanguinem continentium uaſorum, ac uirtutis naturalis humores generantis robur & imbecillitatē indicare:at cerebri,pulmonis,matricis & neruorum, affectuum alia eſſe ſigna pathognomonica affirmat.Nec tamen quiſpiam temerè aſſereret, urinam eſſe quorundam morborū, membrorum per quę labitur, indicem, non primaria ratione,ſed per accidens,ratione contentorum, quæ ſunt membrorum diureticorum excrementa. Proinde Hippocrates teſtatur, ſi quis arenulas,furfures,aut ſquamulas furfuribus ſimiles,caruunculas, ſanguinis grummos,pus,aut capillamenta quædam alba, cõglomeratis ſub cauda cancrorum uenulis ſimillima, eminxerit,hæc ueſicam ſcabie,ac renes lithiaſi, ſuppuratione aut quauis alia nephritide,uel uenæ ruptura laborare. At ne quis temerè hæc urinæ indicia ad alios q̃ prædictorum membrorum affectus referat, uenerãdus ille medicorum parens in fine ſubiungit: Ne igitur decipiaris,inquit,caue, ne ueſica quouis modo affecta, ſi huiuſmodi reddiderit urinas,te decipiant.tales enim nõ ad uniuerſum corpus,ſed ad ipſam dũtaxat ueſicam referri debent. Eſt & ſatis uerendus renum morbus,hydrops ad matulam,aut diabetes, ſiue urinæ profluuiū, ob inexplebile bibendi deſiderium dipſacus à Græcis dictus.hic renum ueſicæq́ affectus,inteſtinorum lęuitati,quam lienteriā uocant,ſimilis eſt:ob idq́ ſubinde bibere coguntur.quod tandem,ob uirtutis renum retentricis & alteratricis imbecillitatem, nihil in colore ſub-

In quibus morbis urina indicet morbū, & concoctionem morbi.

Gal.ſuper ſecūdū libr. prædict.Hippocr.

De iſtis urinæ in morbis ueſicæ & renum ſignificationib. Hippoc.lib.4. Aphor. lib. 2. prognoſt.& li. 2.de Criſi. Verba Hippo. li.2.prognoſt.

ſtantia & odore immutatum, quale biberunt, exuberanter quoq; reddunt. Tale uerò lotium, diabetes eſſe proprium & cognobile morbi accidens, quod Græci pathognomonicum appellant, nemo inficiabitur. Reliquum eſt tertium ſignorum concoctionis & excrementorum genus, nempe alui ex prima digeſtione excrementa, quæ mollia & leniter pro coli cauitate figurata & cōcreta, ſi conſueto tempore egeruntur, & excreta cibo ingeſto proportione correſpondeant: tum hæc, ut Hippocrates ait, naturalium uentriculi facultatum & concoctionis robur rectè indicant. Tria igitur hæc excrementorum genera, propriam cuiuſq; membri, per quod deferuntur, diſpoſitionē, & uirium naturalium robur indicant, uentriculi uires, cibi excrementa. Ob id Antonini ſtabularij, equi eius praſini ſtercora quotidie olfaciebant, ac etiam deguſtabant, an probè pabulum concoxiſſet exploraturi. At uenoſi uaſorum generis, & epatis, quod ardens humorum cōcoctionis focus eſt, urinę: morborum & humorum pectoralium, ſputa, ſunt concoctionis aut cruditatis ſigna & indicia. hæc ut plurimum mala, nec rarò etiam pernicioſa: illa uerò ſemper ſalutaria, ac ſalutiferæ criſis internuncia. Vnde Hippocrates ait, πέπασμοι ταχυτῆτα κρίσιος, ἀσφάλειαν ὑγιεινὴν σημαίνουσιν. ὠμὰ δὲ, καὶ ἄπεπτα, ἐς κακὰς ἀκρασίας ἐκτρεπόμενα, ἢ πόνους, ἢ θανάτους, ἢ τῶν αὐτέων ὑποστροφάς. Sunt ad hæc alia plurima, ut futuræ criſis ſigna decretoria, mortisq; & ſalutis ſigna ꝓgnoſtica: quorū declaratio nō epiſtolā, ſed iuſtū exigeret uolumē, prius ab Hippocrate adamuſſim deſcripta, pcipuè ex pulſib. prædictionis ac præſentis morbi & loci affecti ſigna admodū perplexa: q̃ libēs ideo prętereo, q horum uis, energia, & ſignificatio à ſignis cōcoctionis depēdeat, nec ulla ſint concoctionis ex ſignis pathognomonicis ſcitu medico magis neceſſaria. Dic enim obſecro, qui medicus potis eſt ignotos curare morbos, niſi ſigna pathognomonica illi hos manife-

De diabete hęc Gal. li. 1. de criſi. & de loc. affec. li. 6. ca. 3.

Tertiū excrementorum genus, & digeſtionis ſignū, li. 1. de criſi. Hippo. 2. ꝓgnoſt.

Epilogus dictorum.

De ſtercore equi praſini hęc Gal. lib. 7. Methodi, & Iul. Capitolin⁹ in Antonini uita.

Signa pathognomonica & concoctionis, medico ſcitu neceſſariora.

manifestarint: in quorũ cognitione adeò ueteres medici desudarunt, ut nõ modò signorũ pathognomonicorũ syndromen diligẽter obseruarint, sed ad exactã morbi cognitionem, etiam sudores in balneis strigili exceptos, ac aurium sordes degustauerint. Verùm cum non medicus, sed natura concoquat & curet morbos: maximè intererit medici, scire naturalium uirium robur, an morbum euincere posint, aut eas sub morborum tyrãnide succumbere oporteat: unde certiora salutis ac mortis accipiũtur signa, quàm uel augures & uates, quos ob ægros Romani alebant: unquam statuere potuerint. quorum uera esse uaticinia,

Nec pueri credunt, nisi qui nondum ære lauantur.

Medicos etiã sudores & aurium sordes degustasse, Gal. prope finẽ tertij lib. de symptomat. differentijs.

Romanos de ægrorum salute augures cõsuluisse, Cic. li. 1. diuin. Gal. li. 1. Epidem. cõ. 3. & lib. 1. ac 3. reg. acut.

Iuuenal. Sat. 2.

At ea quæ à signis concoctionis prognostica accipiuntur, tam firma sunt, ut illis nunquam se falsum Galenus glorietur. At nostrates medici, ex urina hydromantes, uel hæc ignorant penitus: aut non intellecta, flocci pendunt: qui domi desides, ex solo lotio de omnibus morbis uaticinari non erubescunt: quiq; alteram præstantissimam medicinæ partem, diagnosticam, sine qua Therapeutica subsistere non potest, nec à limine salutasse uidentur: tamen nec ignotis mederi morbis, nec se profiteri medicos pudet. Vale: & qua nam methodo compendiaria, medicina diagnostica conscribi doceriq; posit, aliquando mihi rescribe.

FINIS.

BASILEAE, EX OFFICINA IOANNIS Oporini, Anno Salutis humanæ M.D.LIIII. Mense Augusto.